DEMONSTRATIO CATHOLICA

SIVE TRACTATUS

DE ECCLESIA VERA CHRISTI

ET

DE ROMANO PONTIFICE

Auctore

P. RAPHAELE CERCIA' SOC. IESU

IN COLLEGIO NEAPOLITANO THEOLOGIÆ PROFESSORE

VOLUMEN I

COMPLECTENS TRACTATUM DE ECCLESIA CHRISTI

EDITIO ALTERA

AB IPSO AUCTORE EMENDATA ET AUCTA



NEAPOLI

TYPIS CAIETANI MIGLIACCIO

ANNO MDCCCLII.

IN

DEMONSTRATIONEM CATHOLICAM

PROLOGUS

Divinae ac supernaturalis religionis professio negotium procul dubio est quod pietatis ac fidei obsequio praestatur; at non minus sub alio respectu opus eadem est, quod naturalis rationis ac rectae logices usu perficitur. Mira res est sed tamen verissima, sic a Deo temperatam fuisse oeconomiam fidei, ut nemo huic refractarius esse possit, quin sit etiam rebellis adversus sanae logices principia, et sua abutatur ratione. Si mentis aciem per universum orbem qua late patet cogitatione circumducimus, innumeras deprehendimus hominum classes, quae uno alterove pacto a catholica Religione dissident, eam contemnunt, irrident, execrantur, qua possunt etiam ope et vi oppugnant; atque in his omnibus sese rectae rationis partibus maxime consulere

existimant, eosque uti vecordes dementesque traducunt, qui nomine catholico gloriantur. Quid ego idololatras commemorem, in quibus non tam rationis abusus quam iactura est deflenda? Quid Hebraeos, quid Turcas, qui vix ab idololatrarum dementia distant? At certe varia ac multiplicia Protestantium agmina in millenas sectas divisa praeterire non possum. Nequeo praeterire nuperos variorum generum Rationalistas. Non possum praeterire ex ipso saepe sinu catholicae Ecclesiae pullulantes incredulos innumeros, atque illos praecipue italos qui nostra aetate ab Anglis protestantibus coecis et ducibus coecorum in Deismum atque Atheismum magnis passibus pertrahi patiuntur. Hi omnes, ac postremi praesertim, id plenis buccis ingeminant et quotidie obstrepunt, imbecilli ac praeiudicato animo esse, stultos etiam et a recta ratione abnormes eos omnes, qui catholicam religionem sincere profitentur; seque solos in rectae rationis veraeque scientiae ac prudentiae luce consistere.

At nae ii quidem turpissime falluntur, et hallucinantur vehementissime! Quid enim? Ut caetera missa faciamus, eiusmodi falsissimas accusationes et inanes gloriationes refellit ac reiicit ipsa indeficiens Ecclesiae catholicae stabilitas et

hanc usque in diem servata perennitas, quae sola sufficit ut ii potius vecordes atque insani habeantur, qui catholicae religionis divinitatem nolint agnoscere. Et re quidem vera quaenam humana caussa, quaenam naturalia sive subsidia, sive adminicula assignari possunt, quibus adscribi queat tanta Ecclesiae catholicae in existendo et florescendo constantia? Nonne ex adverso omnia humana adiuncta eiusmodi sunt, ut ipsam iamdiu interiisse necesse foret, nisi divinis fundamentis nixa consisteret? Enimvero nonne Ecclesia catholica ex ipsa sui constitutione, et proprio spiritu, adversus omnes humanas cupiditates iuge bellum atque atrocissimum exercet, rerum terrenarum contemptum fovet maximopere, docet solum amare coelestia, caeteraque a suis asseclis exigit, quae adversa fronte cum carnalibus hominis affectionibus ac desideriis pugnant? Catholica igitur Ecclesia haberet in semetipsa dissolutionis interitusque principium, nisi eius origo divina foret, ipsiusque conservationi Deus ipse iugi eoque perinsigni miraculo advigilaret.

Quae quidem si cui non satis palmaria ac decretoria videntur; recolat is praeterea catholicae Ecclesiae ab eius incunabulis totam quanta est historiam; hostium internorum atque exter-

norum quibus ea perpetuo impugnata fuit, et hodiedum impugnatur, varietatem, numerum, vires, potentiam, nisus, molimina, technas, insidias, fraudes, acerbissimum odium accurate perpendat; cogitet cum iis consociatas atque coniunctas omnes tartareas potestates; ac secum reputet, num si catholica Ecclesia divina non foret, potuisset tanto saeculorum fluxu ex tanto adversariorum impetu nedum non fatiscere, sed immo magis magisque impetita atque concussa in dies consolidari atque excrescere. Profecto omnis humana institutio licet omnibus naturalibus subsidiis praeclare fulta, ac minimum adversitatibus oppugnata, tamen ob ipsam humanarum rerum caducitatem, labefactata demum est penitusque protrita. Si itaque in adiunctis utraque ex parte disparibus catholica Ecclesia non disperiit; id evidentissimo indicio est, quod eadem humana institutio humanumque figmentum non sit, sed opus plane divinum; nimirum quod sit ipsissimum illud aedificium de quo Christus spopondit: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.*

Atque ut haec in exemplo exploratissimo aeque ac nuperrimo conspiciantur; aetatis qua vivimus postremae vices memoria recolantur. Nonne vere « fremuerunt gentes et populi

convenerunt in unum adversus Dominum et catholicam eius Ecclesiam, ut huius vincula disrumperent, et a se abiicerent iugum ipsius? » Nonne ex omnibus Europae partibus inito consilio ac facto simul impetu irruperunt impii homines religionis cladi excidioque inhiantes? Quibus, proh Deus immortalis, non sunt usi malis artibus, qua vafritie ac nequitia non pugnarunt, quibus praesidiis, ob patrocinium praesertim Anglorum protestantium vel potius atheorum, non potiebantur? Ac proh miserum! Quo res iam pene deductae videbantur! Summus Pontifex Roma Religionis arce exulare coactus; purpurati Ecclesiae patres profugi ac dispersi; episcopi passim suis sedibus eiecti; sacerdotes in ipsis Italiae urbibus ludibrio habiti, publica luce prohibiti, in carceres coniecti, non raro etiam ad necem quaesiti ac crudelissime interfecti: dum interim omnia nedum civilia, sed ipsa sacra in impiorum potestatem in dies magis proruebant, quin quidquam iam in humanis esset, quo eorum tyrannis posset retardari. Quis fide in Christi promissiones non sat animatus, haud affirmasset, necesse iam fore ut catholica Ecclesia funditus eversa interiret? Ac certe id sibi nequam homines iam gratulabantur, nec semel aut saepius, sed passim huiusmodi falso laetantium ac

triumphantium voces audiebamus. Verum brevi: *qui habitat in coelis irrisit eos, et Dominus subsannavit eos!* Dum vehementius triumpho plauderent, dum palmam stringere iam iam existimarent; *locutus est ad eos in ira sua, et in furore suo conturbavit eos.* Quibus minimum sperari poterat mediis, dissipavit inimicos uti pulverem ante faciem venti: Ecclesia vero catholica, veluti sol post disiectam procellam, lucidior ex ipso conflictu emersit; novâ victoriâ novum robur atque ampliorem dignitatem auctoritatemque nacta, canticum illud ad se transfert ac laeta ingeminat « Ego autem constituta sum regina ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius. Dominus dixit ad me: Filia mea es tu; ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae. Et nunc populi intelligite; erudimini qui iudicatis terram . . . . Apprehendite disciplinam nequando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta. »

Haec procul dubio, paucis licet adumbrata, ostendunt quod ab initio assumpsimus, ipsam Ecclesiae catholicae in facto positam perennitatem, argumento ineluctabili esse, ut stultus ille censeri debeat, qui eius divinitatem nolit agnoscere. Itaque ad caussam catholicam a qualibet

cum recta ratione repugnantiae nota vindicandam, haec abunde sufficerent. Verum incredulorum hominum non tam nobis exprobranda stultitia est, quam fascinatio qua occupantur, dissipanda. Nimirum apte docendi sunt, ac veluti manuducendi ut sua uti recta ratione norint, eâque duce de una in aliam veritatem circa religionem deducantur, donec rei summam manu teneant; scilicet veram Christi Ecclesiam, eiusque caput conspicuum rom. Pontificem agnoscere ac revereri condiscant: qui enim duo isthaec animo tenet, virtualiter omnia quae catholicae religionis sunt, enimvero possidet. Atque hic quidem scopus est huiusce operis, cui praefixo nomine *Demonstrationis Catholicae* usuram publicae lucis iam denuo permittimus. Profecto non desunt quamplurimi, iique doctissimi iampridem vulgati libri, qui id praestent. Verum nobis proposuimus totam quanta est rem de Ecclesia romanoque Pontifice pro viribus animo complecti: in summam omnia quae facile ab aliis tractata disputataque sint, contracta exhibere; ac, quod caput est, universa scientificae methodi rigori ac severitati subiicere, ut directo etiam accuratoque instituto examine pateat illud: nihil rectae rationi ac sanae logicae esse conformius, quam ut Ecclesiae catholicae alumni gloriemur et simus.

Porro id duobus exequimur voluminibus, quorum unum exhibet tractatum de Ecclesia vera Christi; alterum de conspicuo eius capite romano Pontifice. Quo quidem patet hosce duos tractatus opus seipso integrum absolutumque conflare, nimirum quod inscripsimus *Demonstrationem catholicam*. Id tamen minime vetat quominus iidem tractatus in serie etiam spectari possint, ac primi recenseantur in ordine reliquorum tractatuum theologicorum, quos de praecipuis theologiae dogmaticae capitibus in lucem edere in animo habemus. Quo quidem factum est, ut in prima editione duo isthaec volumina *tractatuum theologicorum* titulum in fronte gestaverint. Sed quocumque nomine compellentur, eo certe spectant, ut verae religionis iura dignitatemque apud homines sive ignorantia errantes, sive perfidia contumaces pro virili vindicent. Quod quidem nostrum votum piumque studium, ut Deus Opt. Max. qui dedit concipere, praestet etiam perficere, enixe atque humillime flagitamus.

IN TRACTATUM
DE ECCLESIA CHRISTI
PROOEMIUM

Disceptatio de Ecclesia Christi variis hominum classibus pro diversa singularum conditione diversimode prospicit. Primum Catholicis, quibus suppeditat examen, ut aiunt, confirmativum propriae fidei, prout haec generalibus suis fundamentis niti concipitur. Deinde haereticis omnibus. His enim praestat ut suas sectas totidem esse Satanae conventicula intelligant, veram atque unicam Christi Ecclesiam norint agnoscere, eiusque infallibile magisterium discant revereri: quod quidem, uti perspicuum est, ipsum veluti germen omnium errorum quibus occupantur, radicitus evellit. Atque idem obtingit schismaticis, quos necesse erit a suo schismate absistere, semel ac in animum induxerint unam dari atque indivisibilem Ecclesiam Christi, nec eam in castris ipsorum posse reperiri. Restat eorum classis qui a naturali religione quam solam profitentur, ad supernaturalis exercitium traduci debeant. Isti posteaquam ope notarum divinae revelationis, quae in tractatu de vera religione enucleari solent, supernaturalis revelationis existentiam universim agnoverint; ad explorandam Ecclesiam Christi necessario sunt transferendi. Norunt enim ipsi utcumque Christum: aliquam etiam revelationem ab eo factam confitentur: ve-

rum nequeunt in hac cognitione tamquam metam assècuti conquiescere. Plane enim adhuc ignorant undenam Christi doctrinam absque deceptionis periculo haurire possint: num organum aliquod suae doctrinae conservandae et ad posteros transmittendae Christus instituerit, ac quodnam illud sit, quibusque indiciis agnosci queat; et caetera huiusmodi, quae omnem ex animo ambiguitatem valeant expellere. Accedit quod plurimae extent communiones seu societates, quarum singulae Christum auctorem sui iactant, et veram se eius doctrinam possidere affirmant. Quo igitur neochristianus ille sese vertet, quidve sibi potissimum complectendum iudicabit? Profecto aliqua via et ratione ad nodum extricandum opus habet, quam quidem tractatus de Ecclesia Christi abunde suppeditat.

Quae cum ita sint, iam ferè, aliud agentes, adumbravimus quae praecipue in huiusmodi tractatu in disputationem adducenda sint, quibusque cum adversariis simus dimicaturi. Nam, quod ad hostes attinet, perspicuum est manus nos conserere cum iis omnibus qui vel, ut increduli et Rationalistae faciunt, originem seu institutionem divinam Ecclesiae inficiantur; vel, quemadmodum haeretici actitant, catholicam Ecclesiam uti veram Christi Ecclesiam agnoscere diffitentur: vel denique, quales schismatici sunt, ab eius salutari communione extorres vivunt. Bellum igitur generale est nobis cum omnibus, et quidem eiusmodi, ut si divinum ac infallibile Ecclesiae catholicae magisterium adstruxerimus; possimus, ut inquit Hieronymus (Adv. Lucifer. num. 27) omnes adversantium propositionum sive errorum rivulos uno Ecclesiae sole siccare.

Quod ad res disceptandas spectat, tota controversia quinque summis partibus seu sectionibus constabit, quarum singulae variis subalternis mutuoque connexis lectionibus expedientur. Prima sectio adversus Ratio-

nalistas praestitam a Christo suae Ecclesiae institutionem vindicabit. Altera Ecclesiae naturam scrutabitur, cuiusmodi scilicet eam Christus esse voluerit quoad intima ipsius constitutiva, eorumque nexum, et internas relationes. Tertia essentiales proprietates vestigabit quae ex natura Ecclesiae dimanare comperiuntur; itemque de eisdem proprietatibus aget, prout externe manifestantur et Ecclesiae notas seu characteres constituunt. Quarta in notarum usu occupabitur, ut scilicet earum ope quaenam inter omnes christianas societates vera Ecclesia dicenda sit, liquido innotescat. Quinta denique iura atque dotes recensebit quibus ea quae deprehensa sit vera Ecclesia Christi, eodem auctore et largitore potiatur. Quo etiam loco relationes ad trutinam revocandae erunt quae intercedunt inter ecclesiasticam societatem atque civilem; atque invicem iura utriusque erunt componenda, quantumque prior alteri ad veram felicitatem opituletur, perspicuum fiet.

Haec sunt quae praecipue praesentis disputationis ambitu continentur; iucunda ea quidem et momenti gravissimi. Age ergo, Deo auspice, a prima sectione aggrediamur.

TRACTATUS

DE ECCLESIA CHRISTI

SECTIO I.

QUA ECCLESIAE CHRISTI ORIGO SEU DIVINA INSTITUTIO, ET QUAE HUIC AFFINIA SUNT IN PERSPICUO PONUNTUR.

LECTIO I.

Nominalis et realis Ecclesiae definitio praestruitur.

Ecclesia graece ἐκκλησία dicitur ab ἐκκαλέω, quod est *evoco*, *congrego*: unde Ecclesia iuxta sensum litteralem et grammaticum *convocationem* seu *congregationem* importat. Quia vero quilibet coetus quaedam convocatio est seu congregatio; hinc mirum non est si nomen Ecclesia in ipsis ss. Scripturis multiplices acceptiones nancisci contigerit.

Primum itaque traducta voce a re contenta ad continens, usurpatur nomen Ecclesia pro loco in quo coetus aguntur, uti (Iudith VI, 21) *Convocatus est omnis populus, et per totam noctem intra ecclesiam oraverunt.* Itemque (1 Cor. XI, 22) *Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis?* etc.

Secundo sumitur pro ipsis coetibus sed quibuscumque, etiam humanis seu civilibus; prouti (Ps. XXV, 5) *Odivi ecclesiam malignantium*. Et (Act. XIX, 40) concursus Ephesiorum irruentium contra Paulum vocatur ecclesia: *Et cum haec dixisset* (scriba) *dimisit ecclesiam*.

Tertio importat vox ecclesia societatem seu congregationem fidelium. Id vero dupliciter. 1. Late quatenus eo nomine complectimur Ecclesiam triumphantem in coelis, patientem in purgatorio, et militantem in terris, sive ante sive post Christum 2. Presse pro societate fidelium christianorum in terris existentium. Sic autem adhuc sumitur multipliciter. 1. Enim usurpatur pro aggregatione fidelium in eadem domo aut familia commorantium, uti (Rom. XIV, 3-5) Paulus salutem dicit Priscae et Aquilae, ac *domesticae eorum ecclesiae*. Ita etiam (Col. IV, 15) etc. 2. Pro coetu fidelium in una civitate aut provincia degentium. Sic (Rom. XVI, 16) *Salutant vos ecclesiae Christi*. Ac passim Apostolus commemorat *ecclesiam Corinthiorum*, *Thessalonicensium* etc. 3. Accipitur pro coetu fidelium ubique terrarum diffuso et unum Ecclesiae universalis corpus efficiente. Sic (Ephes. 1, 22) *Et ipsum* (Christum) *dedit* (Deus) *caput supra omnem Ecclesiam*. (1 Tim. III, 15) *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi*. etc. 4. Intra eandem significationem aggregationis fidelium, Ecclesia saepe sumitur pro solis Pastoribus seorsim a vulgo fidelium inspectis, veluti (Matth. XXVIII, 17) *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*. Saepe vero pro solis ovibus seorsim a pastoribus consideratis. Ita (Actor. XX, 28) *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* etc. (1)

In ea acceptione vocis Ecclesia, qua quoquo modo fidelium congregationem importat, iure advertit Bellarminus

(1) Cf. Suicerum *Thesaur. ecclesiast. ad voc.* Ἐκκλησία.

(de Eccl. mil. lib. III. cap. 1.) maxime etymon eiusdem verificari. Diximus enim derivari eam vocem ab ἐκκαλέω *evoco*. Id autem nulli melius quadrat quam congregationi fidelium, quorum nullus per se et proprio instinctu Christo adiungitur, sed quotquot veniunt a Dei vocatione praeveniuntur. Insuper adnotandum est ex eodem Bellarmino(ibid.) quod licet, uti mox dicetur, eadem sit quoad substantiam Ecclesia veteris ac novi testamenti, atque insuper ipsum nomen hebraicum רעה aeque Synagoga atque Ecclesia verti possit; tamen mos invaluit, ut christifidelium coetus nonnisi *Ecclesia* diceretur, et populus veteris testamenti *synagoga*; atque hoc pacto illius praecellentia supra alterum commendaretur (1). Bellarminus (loc. cit.) ex s. Augustino (in Ps. LXXXI) itemque ex veteri auctore apud Hieronymum (Comment. in cap. V. Prov.) hanc invecti discriminis caussam reddit: populus veteris testamenti proprie dicitur synagoga, idest congregatio; novi autem semper appellatur Ecclesia, idest evocatio. Siquidem congregari commune est hominibus cum brutis; at evocari proprium est hominum.

Atque haec de etymo et nominali Ecclesiae definitione dixisse sufficiat. Definitio realis ita post Bellarminum (De Eccl. mil. lib. III cap. II) a theologis concipi consuevit: *Ecclesia est coetus hominum viatorum unius et eiusdem fidei christianae professione, et eorundem sacramentorum communione adunatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue rom. Pontificis.*

Dicitur 1. coetus hominum viatorum, quippe agitur de Ecclesia in terris militante. 2. Additur, unius et eiusdem

---

(1) רעה ex hebraeis magistris coetum significat non quemlibet, sed ex certo hominum genere constantem: קהל coetum quemcumque denotat. Sed solent istae voces in usu permisceri, nec LXX distinxerunt: nam קהל συναγωγήν vertunt (Lev. IV, 13, 14) at ἐκκλησίαν (I. Paral. XIII, 2. — Ps. XXVI, 5) רעה etiam συναγωγήν reddunt (Lev. IV. 13, 14 — Prov. V, 14) Et Scriptor Ecclesiastici collectionem promiscuam turbae vocat ἐκκλησίαν ὄχλου. Cf. Criticos sacr. in h.l.

fidei christianae professione coniunctus; quo excluduntur omnes infideles, tum qui nunquam in Ecclesia extitere, ut Turcae et Ethnici; tum qui ab ea recesserunt, ut haeretici et apostatae. 3. Ponitur: eorundem sacramentorum communione; ut excludantur cathechumeni, qui ad ea nondum admissi sunt, et excommunicati, qui ab iisdem sunt reiecti. 4. Adiicitur: sub regimine etc. et hac particula excluduntur schismatici, qui habent fidem et sacramenta, sed non subduutur legitimo pastori; ideoque foris profitentur fidem et sacramenta. Includuntur autem ex nostra definitione in Ecclesia omnes alii, etiamsi reprobi, scelesti, et impii.

Longe alia fuit mens haereticorum circa notionem Ecclesiae. Pelagiani, uti constat ex s. Augustino (lib. de haeresib. cap. LXXXVIII) Ecclesiam definivere: congregationem hominum perfectorum nullum habentium peccatum. Pelagianis vero ex parte praeluserant Novatiani, quatenus in persecutione lapsis negarent posse concedi reditum ad Ecclesiam, prout testatur s. Cyprianus (tract. de lapsis, et epist. LVII ad Cornel. ex Euseb. H. E. lib. VI c. XXXV). Idem sensere Donatistae, teste s. Augustino (lib. de haeresib. cap. LXIX)

Wiclefus, ex Thoma Valdensi (tom. 1 doctrin. fid. lib. XIII, capp. VIII, IX) et Ioannes Hus, ex concilio Constantiensi (sess. XV) non alios in Ecclesia recensuere, nisi praedestinatos.

Lutherani Martinum Lutherum secuti (in Confess. August. art. VII) docuerunt Ecclesiam esse sanctorum congregationem qui vere credunt et obediunt Christo. Sed addunt: etsi in hac vita huic congregationi multi mali et hypocritae admixti sunt usque ad supremum iudicium. Quibus verbis duplicem innuunt Ecclesiam a se confictam, unam veram ad quam pertineant privilegia in Scripturis expressa, quaeque sit sanctorum congregatio oculis non corporis sed fidei adspectabilis; alteram externam, quae nomine tantum sit Ecclesia, quaeque extet congregatio hominum convenien-

tium in doctrina fidei et usu sacramentorum: atque in hac dicunt bonos et malos inveniri.

Idem propugnasse sua aetate Anabaptistas testatur Calvinus (lib. IV Instit. n. 13); quos propterea Catharis et Donatistis accenset. Verum ipsemet Calvinus, utut aequivoce hac de re loqui studuerit, ab ea sententia reapse non abluit. Nam 1. (Instit. lib. III, cap. II, numm. 8-11) docet fidem esse inamissibilem. 2. (Instit. lib. IV cap. 1, n. 2) tradit veram Ecclesiam a solo Deo cognosci posse, ciusque fundamentum esse divinam electionem, utpote conflatur ex solis fidelibus, qui idcirco ad album electorum spectant. 3. (eod. libr. et cap. sectionib. inseq.) adstruit Ecclesiam externam, in qua boni et mali numerentur.

Suffragati Calvino sunt plerique ipsius asseclae; atque his accinens apostata M. Antonius De Dominis (de republ. christ. lib. VII, c.X) scribit: *Praesumptivam* (Ecclesiam) *videmus*; *veracem credimus*: *neque enim possumus illam nisi per coniecturas indicare. Reprobi, occulti haeretici, mali catholici sunt in Ecclesia praesumptiva*; ***soli autem praedestinati et probi sunt in Ecclesia veraci.***

In hoc conflictu sententiarum circa realem Ecclesiae notionem, latent semina omnium disputationum quas in huius tractatus decursu cum heterodoxis habituri sumus. Vicissim vero ex iis quae suis locis disserentur, constabit veritas traditae definitionis catholicae circa Ecclesiam, et haereticarum notionum falsitas. Sed priusquam haec quae Ecclesiae naturam attingunt in disputationem adducantur, vindicanda est adversus incredulos et Rationalistas ipsa existentia, seu divina institutio Ecclesiae Christi. Id vero proxime adoriemur posteaquam breve specimen tradiderimus Ecclesiae Iudaicae et primigeniae, quae christianam antecessit.

LECTIO II

Ecclesiae veteris institutio, natura, et ad christianam habitudo paucis innuitur.

Neminem latet tres Christum natum humani generis status praecessisse; nimirum innocentiae, naturae, ut inquiunt, lapsae ac nondum lege scripta instructae, eiusdem denique sub scripta seu mosaica lege constitutae. Age ergo, ut omittamus statum innocentiae, de quo nonnisi merae coniecturae praesto esse possent; saltem a promissa Adae (Genes. III, 15) humani generis reparatione, aliqua Ecclesia est agnoscenda quae et christianae praeluserit, et cum ea quoad substantiam sit identificata (1). Etenim, ut alibi suo loco ostendetur, per verba nuper indicata ex III Geneseos, omnibus plane hominibus per Christum et in uno Christo salus est promissa; unde ipsius expectatio, seu fides et spes in eum ut unicum medium salutis, est universis indicta. Dubitari etiam nequit quominus huiusmodi fidem comitarentur in omnibus externae eiusdem significationes seu protestationes, quarum etiam subsidio salus a Christo repetenda singulis applicaretur (2). Denique, nisi Deum improvidum velimus fingere, aliqua is ratione consulere debuit

---

(1) Suaresius (op. de fide spe et carit. disp. IX sect. II) affirmat hanc sententiam fuisse sua aetate communem, pluresque allegat egregii nominis theologos qui eam propugnaverint.

(2) Cf. Suar. in 3. p. s. Th. tom. III. Q. LX Disp. III sect. III — Item Cano relect. de sacram. p. III — Gotti Theol. Sch. Dogm. de sacr. in gen. Q. 1. Dub. XIV, n. 2, 3. — S. Th. p. 3 q. 70 art. 4 a 2. Denique celebre est effatum s. Augustini (lib. V c. Iulian. c. II.) « *Nec ideo tamen credendum est et ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem eis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo sacramento eius opitulatos fuisse parvulis suis . . . . Nam et sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui solus tollit peccata mundi* » Plura dabimus in tractatu de sacramentis.

ut fidei unitas et integritas conservari posset, et ad posteros intemerata transmitti. En tibi igitur iam tum omnes homines unius eiusdemque fidei vinculo sociatos; satis etiam externi cultus communione invicem constrictos; ac denique idoneo praesidio instructos quo unitas fidei et cultus inter ipsos conservaretur. Iam vero haec, ut ad alicuius saltem imperfectae societatis notionem sufficiunt; ita etiam cuiusdam veri nominis Ecclesiae conceptum per se exhibent. Ergo.

Porro si huius Ecclesiae primigeniae naturam consideres; eius pars materialis extitere homines qui in futurum reparatorem fidem profitebantur; pars vero formalis seu, ut aiunt, *anima* fuit fides et spes in Christum eisdemque informata caritas. Cum igitur, ut inferius ostendetur, eâdem parte materiali atque formali constet Ecclesia quam Christus instituit; perspicuum est Ecclesiam illam primigeniam ab Ecclesia Christi re et quoad substantiam non discrepasse, sed tantum *statu* et gradu perfectionis, qua, uti mox demonstrabimus, prior alteri plurimum cessit.

Diximus ab ipsa pollicitatione humanae reparationis ducenda esse Ecclesiae primordia. Hinc primum eiusdem membrum Adamum poenitentem consentanee agnoscimus. Et sane qui Adamo praetermisso Abelem sufficiunt; nimium levibus ducuntur argumentis. Primum inquiunt: Apostolus(Hebr.XI, 4)ex Abel seriem inchoat membrorum Ecclesiae; uti et Christus (Matth. XXIII, 35) ait: *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae.* Secundo aiunt: Abel omnium primus legitur aliquo sensibili signo Deum coluisse. Tertio: Ecclesia cui competit esse sanctam, in eo debuit sumere exordia in quo sanctitas absque interruptione perseveravit, quod certe de protoparentibus nequit affirmari. Quarto: suffragatur Augustinus qui (Enar. in ps. CXLIII n. 3) *Haec*, inquit, *civitas* (Ecclesia) *initium habet ab ipso Abel, sicut mala civitas a Cain.* Et s. Gregorius M. (Hom. XIX in Ev.) docet Ecclesiam

incipere ab Abel iusto usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est (1).

Haec, inquam, nullius sunt momenti. Ad 1. enim respondemus ibi Paulum non texere catalogum membrorum Ecclesiae, sed ad fidei virtutem commendandam recensere eos quorum aliquod insigne facinus ex fide gestum in V. T. libris commemoratur. Cum igitur nihil tale ibidem narretur de protoparentibus ; mirum non est si eos Paulus silentio praetermiserit (2). Christus etiam evidenter de iis agit quos impii a mundi exordio interemerant. Iis vero quo pacto protoplastas accensere potuisset?

Ad secundum: primus omnium legitur Abel sacrificia obtulisse: sed inde non sequitur primum revera tali Deum cultu prosecutum esse. Sane ideo Abelis potissimum sacrificia Scriptura commendat, quia cruentae eius mortis occasio extitere. Cum vero etiam Cain dicatur in ss. litteris sacrificia Deo impendere consuevisse : quis non videat morem hunc non Abeli unice proprium, sed omnibus in communi propositum antecedenter fuisse. A quo autem eiusmodi mos proponi potuit ac debuit, nisi ab Adamo omnium parente et magistro, et cui primum reparatoris et salutis facta fuerat revelatio ?

Ad tertium de sanctitate nunquam interrumpenda in primo membro Ecclesiae, negamus assumptum: nam nec Adam post recuperatam per poenitentiam gratiam a recto iustitiae tramite legitur declinasse; et ex alia parte nullo pacto probari potest debuisse Ecclesiam ab eo inchoari qui nullo unquam se actuali piaculo antea commaculasset.

Ad quartum obiecta Patrum auctoritas nequaquam nos urget. Non enim ii locis citatis hanc quaestionem versant, unde nempe sumenda sint exordia Ecclesiae; nec procul dubio illis loquendi formulis protoparentes excludere intendunt : sed

(1) Ita ferme Tournelyus — Praelect. theol. tom. VI de Eccl. Chr. Q. I. art. III. Concl. II.

(2) Cf. Bern. a Picon. tripl. expos. in h. l. Insuper Estium Comm. in epist. d. Pauli, ibidem.

tantum primis illis Ecclesiae initiis, quod obscuriora essent, silentio pressis, eius quasi omnium primi mentionem iniecerunt, qui et saepius laudatur in Scripturis, et sua innocentia ac cruenta morte Christum arctius expressit, et in quo propter eius sacrificia quae Scriptura commemorat, luculentius cernitur existens pridem ac florens Ecclesia.

Atque haec de primo velut aevo institutae a Deo Ecclesiae delibasse sufficiat. Ventum porro est ad praeceptam Abrahae eiusque posteris (Gen. XVII) circumcisionem. Haec ex Apostolo (Rom. IV) hunc inter caeteros finem et effectum habuit, ut populum Dei fide et caritate ipsi adhaerentem designaret; eos qui ad talem populum pertinerent arctius invicem coniungeret; ac fidei ipsorum et expectationis messianae simul esset impressa in carne indelebilis memoria, simul etiam eiusdem publica et solemnis protestatio. Hac igitur mundi aetate ceteris sacrae societatis elementis quae antea vigebant, hoc etiam in circumcisione positum accessit; quo tanto Ecclesiae existentis est aucta perfectio, quanto per validius externum circumcisionis vinculum ipsa ratio societatis maius incrementum accepit.

At enim adventante iam magis Christi ortu; per Moysen Deus Ecclesiam illam, ut ita dicam, hebraeo-christianam in perfectiorem longe expressioremque Ecclesiae christianae formam provexit. Nam et vinculum fidei per frequentiora valde atque apertiora de Christo vaticinia iugiter confirmavit; tum sacramenta veteris legis, seu sacrificia, expiationes, unctiones, initiationes instituit, quibus fides ipsa vehementius aleretur, et homines in eiusdem professione efficacius continerentur. Praeterea Aaronicum sacerdotium inauguratus est, (Exod. XXVIII, 1 seqq.) constans summo sacerdote, sacerdotibus vulgaribus, atque levitis (1). Denique in his ipsis quamdam veri nominis excitavit hierarchiam, penes quam staret administratio cultus, legum interpetratio, et dogmatum sacrorum custodia.

(1) Cf. Calmet diction. historic. s. Scripturae, ad vocem *Sacerdotium*.

In his omnibus cernitur evidenter perfecta ratio societatis spiritualis, seu Ecclesiae. Cernitur etiam substantialis identitas huius Ecclesiae cum ea quam demonstraturi sumus Christum instituisse. Liquet enim toto hoc tempore unum fuisse commune ac quod postea viguit obiectum fidei spei et cultus, nempe Christum reparatorem. Ritus communes, fuere tantum materialiter diversi a ritibus postmodum in Christi Ecclesia invectis. Sed formaliter iidem extitere, cum in sua typica repraesentatione idem obiectum respicerent, et easdem exhiberent fidei spei et amoris solemnes protestationes. Denique hominum consociatio non fuit nisi materialiter tantum diversa a consociatione christiana; cum semper coaluerint homines ad obtinenda ex ipsorum societate per Christum media saluti sibi comparandae opportuna.

Ipsa igitur Ecclesia iudaica, christiana semper extitit, nec ab ea quae per Christum successit, diversa fuit nisi *statu*. Inspicienda est enim ut Ecclesia christiana, sed in statu viae non termini, promissionis non implementi, figurae non figurati. Quocirca fit ut eadem iudaica Ecclesia necessario debuerit christianae dare locum. Ut enim promissio, si vera sit et impediri nequeat, debet perfici; ut figuram figurato occupari oportet; ut imperfectum perfecto cumulari necesse est; ita iudaica Ecclesia ex promissoria effici debuit realis, ex typica substantialis et verax, ex imperfecta numeris omnibus absoluta. Nec tamen proprie priorem Ecclesiam aboleri contigit, aut unam alteri succedere. Ut enim puer, quin idem esse individuum desinat, sensim mutatur in virum perfectum; ita vetustior Ecclesia eadem perseverans, in eam quae christiana audit et omnimoda suae evolutionis perfectione pollet, est transformata. Re quidem vera inde vetus Ecclesia erat promissoria et typica, quod nondum ortus esset Christus, sed adhuc foret venturus; unde omnes quoque ritus significando Christo venturo erant accommodati. Simul

vero ac Christus in terris illuxit, iam per se debuerunt immutari ritus et omnis forma prioris Ecclesiae, cum non amplius exprimendus esset Christus promissus et eius promissa gratia; sed Christus praesens et praesens gratia, cum iis omnibus quae ex utroque dependent. (1)

Universa haec doctrina Paulum in suis epistolis praecipue suffragatorem habet. Etenim (Rom. X, 4) diserte inquit: *Finis legis Christus in iustitiam omni credenti*: nimirum: lex eo demum fuit ordinata et hoc munus habuit, ut ad Christum duceret; seu alendo fidem in ipsum, hominibus iustificationem compararet. Idem (Rom. IV) docet non aliam in lege veteri, atque ipsa Abrahami aetate viguisse oeconomiam iustificationis, nisi per fidem in Christum. Tum (Cap. IX) ostendit nonnisi fidei in Christum adnexam fuisse filiationem ex Abraham, et promissionum huic factarum participationem. (Gal. III, 24) monet legem datam esse tamquam paedagogum in Christo *ut ex fide iustificemur*; prout superius dictum est debuisse legem ad Christum manuducere. Denique, ut alia omittam, in epistola ad Hebraeos (cap. VII) patefacit imperfectionem veteris pacti prae novo: (cap. IX) necessitatem ut novo superveniente, antiquum foedus aboleretur: rursum(cap. IX)typicam revelat naturam omnium rituum et ipsius Ecclesiae iudaicae: ac postremo (cap. XI) prolixa inductione demonstrat praecipuos V. T. sanctos nonnisi instrumento fidei sibi iter ad salutem perpetuo stravisse. Haec omnia principia simul collata, et prout a Paulo locis citatis evolvuntur intellecta, cam reddunt amussim veteris Ecclesiae notionem, quam superius tradidimus.

---

(1) Vide de his Mart. Becanum in op. Analogia V. et N. T.

LECTIO III.

Ad Ecclesiae christianae institutionem descenditur, cuius prima traditur demonstratio.

Quaestio haec magni facienda est hac nostra aetate propter Rationalistas, qui ad evertendum ipsum fundamentum divinae auctoritatis Ecclesiae, eius institutionem a Christo perfectam uti commentitiam passim traducunt. (1) Cum

(1) Quae ad Rationalismum pertinent satis hac aetate vulgaria sunt, ac praeterea legenda prostant apud innumeros scriptores, inter quos eminent Amandus Saintes (Histoire crit. du rationalisme en Allemagne. Paris 1841 — lib. II. c. I.) et Eugenius Mussard (Du sisteme mythique). Nihilominus e re erit ad dicendorum perspicuitatem pauca quaedam compendio exhibere. Rationalismus ex definitione Wegscheideri (Institution. theol. dogm. Halae edit. VII — 1833 Protegem. cap. I. §. II p. 49) est cogitandi methodus ac norma, qua humana ratio constituitur unicus fons et solus legitimus iudex omnium nostrarum cognitionum in iis etiam quae ad mores et ad religionis dogmata spectent. Libertas privati examinis invecta a Novatoribus saec. XVI stravit iter Socinianis ut rationalismum, tametsi imperfectum et rudem, praeformarent. Ex socinianismo deismus prodiit, qui brevi Gallia et Anglia potitus, cum Germaniam quoque aderiretur; ex Protestantibus Lutheranis pauci in propugnando supernaturalismo ss. Scripturarum perstitere. Reliqui pacisci cum adversariis maluerunt; quatenus ea lege ss. Litteras rursus in honore recipi iuberent, ut vicissim ipsi naturalis rationis iudicio eas plane subiicerent, ac reiecta inspiratione, uno aliove pacto ad consuetas naturae leges exigerent quidquid in ss. codicibus continetur. Primus omnium hoc iter ingressus est Lessingius, tum Ernesti, Semlerus, Heyne, Eichornius, Paulusius, Gabler, Schelling, Fichte, Baver, Vater, de Vette, aliique sexcenti usque ad Straussium, qui germina impietatis a reliquis omnibus disseminata in se uno collegit, et quam maxime fieri posset evolvit.

Ab ipsis sectae primordiis divisi sunt Rationalistae in *vulgares* et *gnosticos* seu *mythicos*. Primi docuerunt Scripturas foetus fuisse hominum imperitorum; adeoque, ut sano sensu intelligantur, defoecandas esse ab omni eo quod ex ignorantia et vulgaribus praeiu-

vero iidem, ut notum est, innumeras tricas moverint circa historiam evangelicam; ideo primum argumento utimur quod a ss. N. T. libris plane praescindit; nimirum arguimus ex perenni existentia christianae societatis. Dicimus enim: si a nostra ad Christi aetatem de saeculo in saeculum cogitatione assurgamus; nullum tempus reperire est quo nobis non se exhibeat quaedam societas sese christianam constanter dicens et a Christo auctore institutam. Igitur vere Christus Ecclesiam suam in formam cuiusdam societatis instituit. Uti liquet, totum argumentum duobus concluditur: facto quod positum in antecedente est, et iure quod consequentia exprimitur. Quare utraque pars est seorsim explicanda.

Age ergo quod ad antecedens spectat, si aetatis qua vivimus moralem conspectum cogitatione lustramus; tria quae ad rem nostram faciunt exploratissima facta per se in oculos

---

diciis in eas irrepserit; sive ab omni eo quod naturalem ordinem excedat. Reliqui vera semper sensisse ac docuisse scriptores sacros propugnarunt; sed ea involucro allegoriarum et mythorum obvolvisse iuxta morem primae vetustatis, in qua, inquiunt, omnis historia aut philosophia a mythis inchoatur. Hinc docuerunt distinguendum perpetuo esse in ss. Bibliis rei fundum a forma exteriori qua eadem res sit exhibita. Quod ut facilius facto esset, distinxit Baverius mythos in historicos, philosophicos, poeticos et mixtos; prout subiectum quod mytho substernitur, deprehenditur esse factum, aut idea philosophica vel poetica, vel etiam factum admixtum ideae.

Principio mythorum oeconomia soli veteri testamento coaptata fuit: tum paulatim ad ipsam historiam evangelicam transferri coepit; adeo ut ipsa Christi persona trasformata fuerit in mythum historicum exhibentem ideam *humanitatis*. Nimirum docuere tum alii, tum praecipue Strauss, Christum ex se non fuisse nisi purum putumque hominem Iudaeum pium et scitum: in eum vero tamquam in typum perfectionis quae propria sit humanae naturae, congesta et collata fuisse omnia attributa et munia humanitatis. Hac igitur philosophandi methodo, ipsi Ecclesiae, Rationalistarum iudicio, nihil aliud reale respondet, nisi doctrina Christi quam eadem profitetur, quin revera illius fundationem Christus inchoaverit, aut eidem unquam adlaboraverit.

incurrunt. Primum quidem per se proditur magna quaedam existens societas toto orbe diffusa, quae se christianam dicit et a Christo auctore conditam, ac catholicae Ecclesiae agnomine donatur. In ea fideles singuli propriis episcopis obtemperant: hi vero una cum suis gregibus supremo antistiti parent, seu romano Pontifici, a quo etiam proprio in munere instituuntur, quemque quasi centrum totius suae communionis reverentur.

Secundo incidimus in parvas quasdam societates, quae itidem se christianas iactant, et a Christo fundatas, licet una ab aliis sive regiminis forma, sive dogmatum professione dissideat; omnes vero utraque in re ab ea societate quae catholica Ecclesia audit, vehementer discrepent.

Tertio comperimus, quod licet exiguae illae societates mutuo inter se et a catholica societate quamplurimis in rebus discordent; tamen nullam invicem habeant in eo controversiam, num scilicet Christus instituerit aliquam in modum societatis Ecclesiam. Hoc omnibus sanctum est et ineluctabile: immo eo ipso quod invicem disceptent penes quos reperiatur vera Christi Ecclesia; apertissime perhibent, exploratam a se haberi institutionem primitus a Christo perfectam suae Ecclesiae.

Haec ex praesentis aetatis contemplatione colligimus. Porro si pari methodo saeculi proxime elapsi aetatem contuemur; eadem illa tria quae modo expendebamus, praeter propter occurrunt. Nec secus se res habet quoad omne tempus antecedens. Sane quoad saecula nobis propinquiora, res est manifestissima. Loquuntur omnes historiae, templa, altaria, icones, successiones episcoporum ac romanorum Pontificum; legum civilium ratio ac forma regnorum, quatenus in his omnibus manifesta relatio perspicitur ad aliquam existentem christianam societatem; sacrae expeditiones; et sexcenta huiusmodi.

De antiquiori aetate, puta de tribus prioribus post Christum saeculis, facilis quoque est rei demonstratio. Huc enim
1. faciunt scripta apologetarum christianae religionis, in

quibus perpetuo christiana societas perhibetur; eaque designatur ut vera Christi Ecclesia, ab haereticorum sectis distinguitur, etc. Porro scriptores horum operum partim ad tertium a Christo saeculum, partim ad secundum pertinent. Adversarii vero gentiles ipsum institutionis factum impugnarunt nunquam, sed tantummodo Deum esse illum qui Ecclesiam instituerat, inficiabantur.

Secundo spectanda sunt hanc in rem scripta eorum universim qui dicuntur Ecclesiae Patres, quotquot primis tribus saeculis floruere. Omnes enim in suis operibus factum idem institutae a Christo Ecclesiae non una ratione supponunt et perhibent (1).

Tertio his addendae sunt omnes historiae ecclesiasticae, sive gesta plurima eisdem contenta. Quippe pleraque ipsorum, existentiam modo dicto Ecclesiae evidenter demonstrant; vel certe sunt eiusmodi, ut ea non praesupposita, nullo modo subsistant; veluti controversia antiquissima de rebaptizandis baptizatis ab haereticis, de die celebrandi paschatis, de ritu circumcisionis, et alia permulta.

Adiunge insuper scripta sive historica sive alterius cuiusque generis profanorum scriptorum etiam vetustissimorum, uti Celsi, Porphyrii, Plinii, Ammiani Marcellini, Svetonii, Iosephi Flavii etc. qui omnes pariter forent passim inexplicabiles, non supposita existentia christianae Ecclesiae.

Quarto innotescit existentia ad eam aetatem Ecclesiae ex haeresibus. Siquidem ab ipso aevo Apostolorum extitere complures qui non caeterorum a se dissidentium coetum, sed suum dixere coetum a Christo veluti suam Ecclesiam fundatum. Ipsis vero reliqui qui nomine catholicorum censebantur, non id contendebant, quod dicerent Christum fundasse Ecclesiam; sed quod suam traducerent uti veram Christi Ecclesiam. Quare utrimque conveniebatur circa fundationem Ecclesiae; et haeretici cum impeterent coetum catholicorum,

(1) Inducimus heic Patres prout tantum sunt auctores synchroni aut suppares, sive testes eorum quae asseruntur; quin interim, quod nondum licet, traditionalis ipsorum auctoritas attendatur.

illius ad eam aetatem produnt existentiam; itidemque catholici dum nisus adversariorum retunderent, affirmarentque apud se Ecclesiam Christi consistere, sui coetus existentiam evidenter demonstrant.

Sexto argumentum sumitur ex persecutionibus adversus christianos excitatis, et quidem tum active tum passive inspectis. Active; quippe a Nerone qui vixit aevo Apostolorum deinceps, persecutores non aliud insectati sunt nisi Ecclesiam sive, ut vocabant, sectam quae se christianam diceret, et a Christo conditam; unde saepe exprobrabant martyribus religionis eorum auctorem cruci suffixum obiisse. Iidem praecipue ad necem eos quaerebant quos nossent episcopali, aliave hierarchica auctoritate caeteris praeesse. Passive vero inspectae persecutiones rem confirmant, utpote martyres suis ad iudices responsis passim Ecclesiae catholicae sese membra dictitabant. Item traditione libellorum pacificorum prodebant ecclesiasticam communionem. Ac denique in censu martyrum plurimi occurrunt romani Pontifices, episcopi, presbyteri: etc. Unde rite deprehenditur ecclesiastica iam tum extans ac florens hierarchia.

Septimo denique huc facit complexus omnium veterum monumentorum, scilicet sacellorum, altarium, signorum, iconum; praesertim quae Christum exhibent in medio ovium congregatarum; vel quae continent series rom. Pontificum; et alia huiusmodi.

De facto igitur in argumenti antecedente pridem enunciato nulla dubitatio adesse potest. Consequentiam qua deduximus Christum proinde vere suam Ecclesiam instituisse, ita primo vindicamus. Si posito illo facto non posset deduci Ecclesiae per Christum institutio, nullius societatis fundatio posset simili methodo constabiliri. Atqui omnes consentiunt reliquarum societatum institutionem legitime illa methodo adstrui, et eam perpetuo usurpant. Igitur etc.

Ratio huius consensus continetur in eo quod mox loco secundae demonstrationis illiusmet consequentiae afferimus.

Haec itaque altero isto modo evidenter adstruitur. Existentia perennis societatis cum iugi exposita attestatione fundationis a Christo praestitae, est factum quod aequivalet testimonio constanti universali, perpetuo, unanimi omnium gentium, et cuiusvis conditionis hominum, quin quidpiam in contrarium obsistat et dubitationem ingerat. Sed tale testimonium non potest respui: nullum enim datur de ullo humano facto plenius et constantius testimonium. Quamobrem si nihilominus hoc reiici queat, iam nullum testimonium, historia nulla ineluctabilis videri poterit; adeoque fides historica plane concidet, et in putidum scepticismum omnino prolabemur. Ergo etc.

LECTIO IV

Momenta Rationalistarum contra propositam demonstrationem expenduntur.

Obiic. I Rationalistae: in proposita demonstratione vel assumitur christiana societas uti vera Ecclesia a Christo fundata, vel non: si primum, supponitur quod est in quaestione: si alterum, iam nullus est nexus inter talem Ecclesiam et eam quam fundaverit Christus; unde haec ab illa nullo pacto deduci potest. Igitur etc.

Resp. Nego mai. et assigno tertium membrum: nimirum non assumitur christiana societas uti vera Christi Ecclesia, neque uti falsa; sed ab hac re praecisione facta, consideratur uti simplex societas perpetuo existens et perenne reddens suae institutionis testimonium. Et re quidem vera, instructa demonstratio evidenter non nititur veritate aut falsitate christianae Ecclesiae, sed tantummodo uniformi ac perenni testimonio quod in christiana societate perpetuo existente deprehenditur. Igitur in nostro argumento nullo modo attenditur num commemorata societas christiana sit vera vel falsa Christi Ecclesia, sed ab hoc omnino abstrahitur; cum id unum ad inferendam conclusionem sufficiat, ut in tali societate talis ac tanta concurrat testium copia

et auctoritas, ut factum quod perhibent, irrefragabile haberi debeat.

Obiic. II. Ipsa uniformitas testimonii nutare perspicitur. Ut enim in demonstratione dissimulatum non est, nunquam defuere reactiones adversus Ecclesiam dominantem; ita quidem ut tum haec tum sectae illae reagentes Ecclesiae primitivae nomen sibi usurparent. Quis porro in tanto partium colluctantium conflictu, ullum consentiens testimonium possit agnoscere? Ergo.

Resp. Nego assumpt. Ad prob. dist. mai. Nunquam defuere reactiones circa ipsam in se institutionem Ecclesiae; *Nego*: circa possessionem verae Ecclesiae, quam sibi sectae reagentes adversus catholicos usurparent; *Conc.* Iam diximus in hoc maxime conflictatos semper esse sectarios cum Catholicis, utri possiderent Ecclesiam quam Christus instituit. Porro id quin evertat, vehementer confirmat nostrum argumentum. Ut enim superius animadvertimus, hoc ipso quod utrimque semper disputatum sit, apud quos instituta a Christo Ecclesia consisteret; utrimque constanter suppositum et proclamatum est, suam Ecclesiam Christum instituisse. Adde quod illiusmodi reactio quam ab ipsa aetate Apostolorum exercuerunt sectae adversus Ecclesiam dominantem, luculentissime ostendat, iam tum Ecclesiam dominantem extitisse quae catholicae nomine a sectis ab ea divulsis distingueretur, et se a Christo procreatam constanter assevcraret.

Obiic. III. Data etiam uniformitate et constantia testimonii, non sequitur conclusio. Ita siquidem res componi potest. Dudum Christi asseclae historico eius conceptui idealem ac symbolicam notionem superinduxerant humanitatis ad summum perfectionis gradum evectae (1) multaque eam in rem

(1) Paradoxum hoc conceptus Christi ex historico in idealem transformati Strauss qui haec obiicit, his verbis exponit (La vie de Jésus, ou examen critique de son histoire. Traduct. de d'Allemand par F.

fuerant philosophati iuxta indolem diversarum traditionum quae pridem invaluerant. Cum igitur hisce de Christo philosophematis essent assueti, simulque se magno iam numero adauctos cernerent; pronum fuit ut a Christo ideali ad institutam ab eo quamdam Ecclesiam gradum facerent. Traductis itaque a iudaica synagoga ideis, mira quaedam de ritibus, regimine, hierarchia, sacerdotio vulgari coeperunt; ac quaecumque de temporali gloria gentis iudaicae Abrahae et Iacob praenuntiata extabant, in commentitiam hanc Ecclesiam translata fuere. Quo factum est ut eadem eo ambitionis et auctoritatis excreverit, ut brevi in synagogam potuerit insurgere eiusque locum occupare. Igitur etc. (1)

Resp. Nego assumptum. Ad obiectum ab adversario commentum, illud imprimis non exhibet nisi gratuitam suppositionem, quae certe non potest evertere argumentum positnm in testimonio cumulatissimo omnium aetatum et gentium. Si enim hoc esset, iam cuiuscumque vel exploratissimae historiae fides, aliqua ingeniose conficta hypothesi elevari posset, atque hoc pacto de re quavis maxime perspicua putidum scepticismum inveheremus. Secundo Straus-

Littrè. Paris 1839.) *Subiectum attributorum quae Ecclesia de Christo praedicat, non est individuum quoddam, sed quaedam idea, realis tamen, non instar Kantianarum idearum realitate vacua. Dotes et munia attributa Christo ab Ecclesia, si spectentur in uno quodam individuo collecta, in Homine-Deo; mutuo contradictionem implicant: sed conciliantur in idea speciei. Humanitas est collectio duarum naturarum, seu Deus homo factus: nempe spiritus infinitus in naturam finitam conversus, quique suae sempiternae durationis sit conscius. Haec humanitas procreata est ex matre visibili et patre invisibili, nempe a spiritu et natura. Ipsa est quae miracula patrat... quae gaudet impeccantia... ipsa est quae moritur, resurgit, ad coelos ascendit. In hunc Christum homo credens, ac praecipue in eius mortem et resurrectionem, apud Deum iustificationem nanciscitur.* In quibus omnibus dubium sane est, an plus talium somniorum fatuitatem irrideas, an tantarum blasphemiarum impietatem detesteris.

(1) Ita Strauss op. cit. tom. 1. p. 1. pag. 85.

sii hypothesis est plane absurda. Primo enim, ut paulo post ostendemus, prorsus commentitia sunt quae de Christo ideali ac symbolico adversarius fabulatur. Porro his tota hypothesis obiecta circa originem Ecclesiae innititur.

Secundo in adversarii hyphotesi vix saeculo altero post Christum natum labente, debuisset primum existere ac florere Ecclesia Christi: post scilicet invectas de Christo diversas traditiones, post inducta philosophemata de Christo ideali, et auctum maximopere christianorum numerum. Sane ipsemet Strauss nonnisi saeculo secundo affingit existentiam variarum traditionum quae originem dederint evangeliis et mythis omnibus in iisdem contentis. Ergo tunc tantum debuisset prodire mythus respiciens Ecclesiam, et ipsa Ecclesia tunc primum concipi debuisset, ac in formam societatis coalescere. Atqui ex monumentis meridiana luce clarioribus, ipso aevo Apostolorum, et sub ipsam Christi mortem apparet existens ac florens christiana societas quae se Ecclesiam a Christo fundatam dicit; iam tum et regimen exhibet et ritus atque hierarchiam; iam tum etiam sectae reagentes adversus Ecclesiam catholicam sibi dignitatem verae Ecclesiae Christi vindicare adnituntur. Denique ex iisdem monumentis liquido constat non tunc ortam esse Ecclesiam cum fuerit in immensum auctus christianorum numerus, sed vicissim ideo auctum esse talem numerum quia a principio in paucis Apostolis et eorum immediatis asseclis inchoata sit Christi Ecclesia. Igitur etc.

Tertio vidimus ipsos gentiles nunquam inficiatos esse institutionem a Christo perfectam suae Ecclesiae. Iam vero pro gentilibus et quidem Christianis atque Ecclesiae maxime infensis, non militant coniecturae quas de christifidelibus adversarius congerit; immo illorum valde interfuisset ut funditus Ecclesiae originem uti commentitiam traducerent. Si igitur ab hac re abstinueruut; id indicio est, factum institutionis Ecclesiae ita exploratum vulgo fuisse, ut a nemine in dubium revocari posset. Idem dicendum de sectis quotquot a primo saeculo aerae christianae ab Ec-

clesia dominante divulsae sunt. Cum enim illae cogerentur cohonestare suam defectionem a catholica Ecclesia; potuissent facile notam perduellionis a se avertere, si dicerent revera Christum suum Evangelium hominibus nuntiasse; sed nullius Ecclesiae fundationi operam dedisse, nec eam fidei iudicem constituisse, sed doctrinam suam liberae cuiusque interpretationi demandasse. Cur igitur, quod expeditissimum erat, tentarunt nunquam; cur verae Ecclesiae apud se existentis paradoxum tueri constanter maluerunt, nisi quia exploratior erat facta Ecclesiae institutio, quam ut ab effrontissimo quoque homine posset detrectari?

Quarto ipsi catholici non fuissent adeo bardi, ut in re tanti momenti sibi ultro fucum facere vellent; nimirum scientes volentesque sibi fingerent commentitiam illam Ecclesiam esse supremum instrumentum aeternae salutis comparandae, et in hoc voluntario errore ad unum omnes absque ulla minima haesitatione convenirent; eiusdem falsae Ecclesiae ritibus ac sacramentis tamquam unicis gratiae vehiculis toti fiderent; eius iugo tamquam divinitus instituto totos se suosque intellectus manciparent; poenas ab eius pastoribus latas ultro ferrent; perpetuas inirent luctas et inimicitias cum iis qui magisterio talis Ecclesiae sese non subderent; ipso etiam fuso sanguine eiusdem iura ac unitatem tamquam divinitus instituta vindicanda censerent; cum ceteroquin, in hypotesi, non possent ignorare humanam et quasi fortuitam fuisse originem Ecclesiae.

Quinto neque vero haec omnia ex quadam, ut ita dicam, mythomania, qua homines tunc laborarent, explicari possunt. Viguisse enim ea aetate eiusmodi mythomaniam assumitur, sed nullo modo probari potest; nec certe id in libris auctorum illius aetatis ullatenus deprehenditur. Multo minus eadem mythomania poterat occupare christianos in re tanti momenti, scilicet in negotio aeternae salutis. Quid quod potius per id tempus ethnicorum mythicismus luce veritatis evangelicae perculsus coc-

perat fatiscere, ac vulgo contemni? (1) Tam longe abest ut eodem tempore christiani possent mythis indulgere: in quo casu mythis mythos paganorum repellere, stulte contendissent.

Sexto denique etiamsi per id tempus studio mythorum christifideles potuissent abripi; saltem successu temporis, postquam deferbuisset mythorum aestus, debuisset fraus aut error aliquatenus detegi et praeiudicium deponi. Atqui vidimus persuasionem de instituta a Christo Ecclesia semper evasisse in omnium animis successu temporis obfirmatiorem. Ergo.

LECTIO V

Instauratur demonstratio institutionis Ecclesiae ex libris N. T. ut sunt historica monumenta acceptis.

Exacta nuper demonstratio ad refellendos Rationalistas abunde sufficit. Sed tamen nefas est testimonium negligere ss. librorum N. T. tum propter eorundem dignitatem, tum propter innumeras utilitates quas deprompta ex ipsis argumentatio suppeditat. Verum, ut in titulo monuimus, sumuntur heic N. T. libri tantummodo ut sunt monumenta historica a synchronis scriptoribus exarata; in quibus idcirco non attenditur nisi authentia, et veracitas eorum qui scripserint. Itaque si N. T. codices consulamus, e vestigio deprehendimus, Christum data opera instituisse ut census suorum discipulorum Ecclesiae nomine comprehenderetur. Etenim (Matth. XVI, 18) inquit: *Super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Mox autem (Cap. XVIII, 18) habet illa verba: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Atque his consentanee

(1) Sane Origenes, Eusebius Pamphilus, aliique christianae religionis veteres apologetae toti passim sunt in refellendis offugiis philosophorum gentilium suae aetatis, quos Deorum suorum pudere iam coeperat, quique idcirco praetexebant, illos non ad vera numina exhibenda, sed ad philosophicas veritates insinuandas pridem fuisse invectos.

in Actis et Epistolis Apostolorum reperimus discipulos Christi constanter designatos nomine *Ecclesiae.*

At vero Christus non modo album assectarum suorum nuncupari voluit suam Ecclesiam; sed huic vocabulo talem conceptum subiecit, qui veri nominis societatem importet. Evincitur id 1. ex effatis Christi. 2. ex eiusdem in hanc rem gestis. Quoad effata, imprimis loco laudato Matthaei, uti nuper vidimus, suis discipulis indidit nomen Ecclesiae. Porro ex dictis hoc nomen *congregationem* importat. Unde ex mente Christi in suis asseclis quaedam saltem coadunatio verificari et agnosci debet. Cui quidem conceptui consonat vox *aedificabo* (οἰκοδομήσω); quod isto loco evidenter est: diversos homines tamquam tot lapides apte iungam, sic ut unum evadant spirituale aedificium. Unde et (1. Petri II, 5) fidelibus dicitur: *Et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis.* Pariterque fideles (1. Cor. III, 9) Dei aedificatio nuncupantur.

Verum (Matth. XVI) non quaevis fidelium aggregatio suadetur, sed quae vera societas extet. Etenim per pronomen *meam* contradistinguit Christus suam Ecclesiam a iudaica, quam solam Apostoli norant, et ex cuius tantum conceptu poterant Christum loquentem intelligere. Eadem ergo notio Ecclesiae Christi subesse debuit, ac in mente Apostolorum suberat respectu Ecclesiae iudaicae. Ast haec et fidelium congregationem referebat, et non qualemcumque, sed quae veram societatis spiritualis rationem complecteretur: igitur et Ecclesia Christi. Praeterea sensum determinat verborum Christi eorundem contextus, quo effato illo: *Et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam* Petro promittitur praefectura supra omnem Ecclesiam; ut et (Cap. XVIII, 18) data proportione reliquis Apostolis eadem communicatur. Iam vero haec sive Petri sive Apostolorum praelatio, haec munerum distributio, et respectiva aliorum fidelium subiectio, absque societatis proprie dictae conceptu nequeunt consistere--Ergo.

Confirmantur haec omnia ex figuris seu symbolis quibus

consuevit Christus suam Ecclesiam exhibere, et huic nomini subiectam ideam passim exponere. Iis enim semper, ad mentem suam circa Ecclesiam declarandam, similitudinibus est usus, quae societatis conceptum quam proxime exprimerent. Sane modo Ecclesiam comparavit ovili, uti (Ioann. X, 1 seqq.); modo convivio nuptiali (Matth. XXII, 2); modo domui et familiae (Matth. XXIV, 45); modo civitati in perspicuo positae (Matth. V, 14); modo regno (Ioan. XVIII, 36 — Luc. XVII, 28) etc. Iam vero notiones regni, familiae, civitatis et convivii ideam societatis per sese animo ingerunt. Igitur etc.

Quod attinet ad Christi gesta, ipsemet ab exordio suae praedicationis duodecim Apostolos elegit (Matth. X, 1). Eos arctissimo inter se vinculo per praeceptum caritatis adstrinxit; utque tum ipsi, tum reliqui fideles invicem unum essent, solemniter Patrem flagitavit (Ioan. XV, 12—XVII, 20, seqq.). Quod nuper innuimus, Petrum reliquis Apostolis et universis in Christum credituris (Matth. XVI, 18) praefecit. Eidem et caeteris, pro gradu ipsorum, Apostolis, reliquum vulgus fidelium subiecit (ibid. et Luc. X, 16). Horum solvendorum et ligandorum potestatem Petro et reliquis Apostolis tribuit. Ex ipsis vero Ecclesiae tribunal constitui decrevit, cui subiici universi deberent, quotquot in censu fidelium perseverare vellent (Matth. XVIII, 17). Addidit (Luc. X, 1) discipulos septuaginta duos qui in congregandae novae Ecclesiae munere Apostolis adiutores essent.

Atque haec praestitit Christus ex parte Apostolorum. Ex parte vero fidelium iussit ut singuli per visibile baptismatis sacramentum in Ecclesiae societatem cooptarentur(Marc. XVI, 16); ut aliorum sacramentorum participatione mutuo inter se et cum Ecclesiae pastoribus coniungerentur; ut iisdem tamquam Christo ipsi obtemperarent. etc. Quis non videat in his omnibus nedum societatis, sed perfectissimae societatis formam contineri? Igitur de mente Christi circa institutionem Ecclesiae nemo sanus dubitare po-

test. Neque vero ambigere licet num haec aetate tantum Apostolorum, num postmodum etiam ex Christi consilio locum essent habitura. Ut enim omittam quam per se absurda atque ridicula sit eiusmodi dubitatio; imprimis ipsemet Christus (Matth. XXVIII, 20) spopondit se perpetuo adfuturum et opitulaturum suis Apostolis in regimine Ecclesiae: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Quae verba cum intelligi nequeant de Apostolis in propria persona, utpote mortem essent aliquando obituri; explicanda sunt de eorum successoribus, qui post Apostolos recturi essent Ecclesiam. Insuper Apostoli fideles voluntatis Christi interpretes statim, ut ex libro Actorum patet et ex ecclesiasticis historiis, ordinarunt episcopos, suos in munere episcopali successores; christianam plebem hortati sunt ut episcopis a se institutis obtemperaret; ac reliqua instruxerunt quae ad perfectae societatis rationem pertinerent. Cuius autem imperio haec facerent, declarat inter caeteros Paulus (Eph. IV, 10, seqq.) inquiens: *Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores. Ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* In eandem sententiam idem Apostolus aiebat (Act. XX, 28) *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ac denique, ut alia missa faciam, Christi mentem praeclare explicant quae habet Apostolus (Eph. V, 25, seqq.) *Christus dilexit Ecclesiam et seipsum tradidit pro ea. Ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae.* Ac paulo post (v. 32) memorat spiritale connubium Christi et Ecclesiae: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia.* Haec meridiana luce clariora sunt: itaque exploratissime patet nostrum assumptum.

LECTIO VI

Rationalistarum sophismata adversus recensita argumenta biblica refelluntur.

Obiic. I Evangelia censeri debent partus incertorum hominum, qui saeculo secundo a Christo nato labente, voluerint litteris demandare varias orales traditiones quae profectae quidem ab Apostolis, sed ob eorum dispersionem aut mortem plurimum depravatae, ac innumeris mythis refertae, iuxta indolem diversarum regionum invaluerant. Quod quidem intrinsecis et extrinsecis argumentis fuit iampridem a doctissimis viris demonstratum. Sed hoc admisso, ruit fundamentum omnium haustarum ex evangeliis ratiocinationum. Ergo (1).

Resp. Nego mai. Etenim obiecta da origine evangeliorum assertio non est nisi merum deliramentum, ac proposita hypothesis non est nisi una ex innumeris suppositionibus, quae ad elevandam evangeliorum auctoritatem a Rationalistis excogitatae fuerunt (2). Sane ea imprimis re-

---

(1) Ita Strauss. op. cit. lib. I. p. 1.

(2) Incredibile dictu est quantopere ac quamdiu in hoc impio opere Rationalistae adlaboraverint; quamque vario ac praecipiti hypothesium vortice abripi sint passi. Principio Michaëlis, ut dempta inspiratione, Evangelistarum concordiam quadamtenus explicaret, somniatus est, quaedam anteriora documenta, unde evangelia quae habemus fuerint deprompta. At Eichornio placuit fingere praeexistens aliquod evangelium aramaeum sive syriacum, quod nostrorum evangeliorum scatebra extiterit. Iuxta Berthold, primum evangelium lingua hebraica aut syriaca scriptum debetur Matthaeo, qui tamen illud in graecum vertit auctum additamentis. Iuxta Herder, Marcus omnium primus graece reddidit evangelium aramaeum, quod rursum lingua aramaica Matthaeus retexuit. Inde vero Lucas, et ex iis quae per se rescire potuerat, graece suam narrationem adornavit. Postremo aramaeum Matthaei evangelium graece est versum, ita tamen ut ad Marci et Lucae historiam fuerit exactum. Ut alios praetermittam

pugnat testimonio uniformi et constanti totius vel remotissimae antiquitatis. Et re quidem vera apostolicam evangeliorum originem testatur imprimis s. Irenaeus qui (lib.III adv. haer. c. 1. 2) illorum historiam accurate tradit, praefinitque quinam quodvis evangelium scripserit, quo loco et tempore; ac concludit harum rerum veritatem ita sibi constare, ut sibi constat quatuor esse mundi partes, ac quatuor dari ventos cardinales etc. Adverte porro Irenaeum, ipsomet teste, fuisse discipulum s. Polycarpi, qui s. Ioannis Apostoli auditor extiterat, ac consuetudinem habuerat cum iis qui Christum in carne conspexerant. Insuper Irenaeus suscepta peregrinatione, praecipuas orbis ecclesias inviserat, praesertim romanam, atque harum traditionem circa evangelia apposite consuluerat. Denique martyrio affectus est anno 202 aerae christianae ; adeoque qua fronte illa de origine evangeliorum potuisset adversus haereticos ita affirmate asserere, quando ex hypothesi adversarii [apud o-

---

simili deliramento hac illac vagantes ; Eckerman sensit evangelium a Matthaeo primum lingua hebraica exaratum, fontem fuisse oralium traditionum ex quibus suas narrationes Marcus et Lucas delibarint. Haec oralium traditionum ab Eckerman iniecta mentio semen fuit de Wettio ut Straussianam hypothesim in obiectione propositam praeformaret. Is enim sanxit agnoscendam esse quamdam oralem traditionem apud christianos secundi saeculi vigentem, ex qua tria evangelia, ut aiunt, synoptica, hoc est Matthaei Marci et Lucae dimanarint. Hinc, inquit, horum narrationes eventibus prodigiosis scatent, qui proprii sunt traditionis, et ideis tempori congruentibus forma historica exhibitis; nimirum omni eo quod typum constituit historicum vel philosophicum. Quo fit ut necessario sit utendum interpretatione mythica, quo historia originalis et authentica ab arbitrariis additamentis secernatur. Ut liquet, haec de Wettii deliramenta iis quae obiicit Straussius sunt plane identica. Hoc tamen intercedit quod de Wettius haeserit in principio, veritus ad omnem congenitam illationem descendere. At repetitor Tubingensis eo usque dilapsus est, quo cum logica deductio potuit ferre. Interim tamen breve hoc specimen aberrationum satis foret ad easdem refellendas ; siquidem liquet nihil in ipsis esse nisi incertum, fluctuans, et ad arbitrium confictum.

mnes constaret paucis ante annis evangelia a privatis quibusdam hominibus ex faece vulgarium traditionum coagmentata fuisse?
Caeterum eadem de evangeliis tradidit Tertullianus (cont. Marcion. lib. VI, c. XIV); eadem Clemens Alexandrinus (ap. Euseb. lib. VI, c. XVI); eadem Theophylus Antiochenus (ad Autolyc. lib. II et III); eadem Origenes (ap. Euseb. H. E. lib. IV, c. XXV) idemque perhibent alii innumeri, quorum plerique ad traditionem ecclesiarum apostolicarum publice appellant.

Initio saeculi secundi vadem habemus Iustinum M. (in Dial. cum Tryph. et Apol. mai.). Nec omittendus Panthenus, quem saeculo secundo vertente Matthaei evangelium syrochaldaicum in India reperisse, quo ferebatur tulisse Bartholomaeus, narrat Eusebius (H. E. lib. V. c. IV).

Saeculo ipso primo occurrit s. Polycarpus, ut nuper dictum est, Ioannis discipulus; tum Papias Polycarpi coaetaneus (ap. Euseb. H. E. lib. III. c. IV). Insuper Ignatius M. et ipse Ioannis auditor (epist. ad Philadelph. n. 4) Clemens romanus s. Petri discipulus (Epist. II ad Corinth.) Barnabas Pauli comes et idem apostolus (epist. cath. n. 3) etc. Adde his documentis confessionem ipsorum haereticorum Marcionis, Valentini, Tatiani, quorum primus quamdam edidit evangeliorum concordiam διατεσσάρων dictam, seu *secundum quatuor* (1). Adde suffragium ethnicorum hostium christianae religionis, praecipue Celsi et Porphyrii, qui veracitatem evangeliorum impugnaverunt, at eorum authenticitatem attingere non sunt ausi. Iure igitur affirmavimus straussianam hypothesim consensui plenissimo totius antiquitatis repugnare.

Verum inde gravior detegitur eiusdem absurditas. Si enim per Straussium evangelia non prodiere nisi labente saeculo secundo; sane impossibile fuit ut ante hanc aetatem ulla

(1) Vide etiam hac de re Irenaeum (lib. III. adv. haer. c. II.).

a quoquam fieret illorum mentio: multo minus ut ex ipsis testimonia allegari possent. Atqui vidimus tanto ante, ipso primo aerae christianae saeculo, a Patribus ipsisque haereticis agnita et laudata fuisse; plures etiam in Patribus primi et secundi saeculi ineuntis occurrunt allegationes ex evangeliis depromptae (1). Igitur etc.

Praeterea adversarii hypothesis aperte supponit christianos in recipiendis evangeliis selectum nullum aut examen adhibuisse; sed undecumque profluerent, voluisse hoc illudve volumen in honorem sacrorum librorum suscipere. Atqui ex evidentissimis documentis plane contrarium constat. Primum enim scimus autographum evangeliorum in tabulario cuiusque principis ecclesiae religiose asservari consuevisse; atque aetate s. Ignatii M. eo quorundam processisse diligentiam, ut praeter commemoratum autographum, nulla alia exemplaria vellent agnoscere. (2)

Insuper haeretici ab ipso christianae religionis exordio nullis fraudibus pepercerunt ut veris evangeliis apocrypha consociarent. Verum irrito semper conatu. Ergo non caeco modo in recipiendis evangeliis catholici se gerebant; sed accurato semper examine illorum caussam expenderunt. Quî ergo eosdem christianos saeculo secundo labente tam bardos ac socordes in re huiusmodi extitisse autumabimus? (3)

Innumera alia fas esset congerere ad absurdissimum Straussii paradoxum evertendum. Verum non est hic locus ut sacros codices ex professo vindicemus. Interim cum argumenta extrinseca pro evangeliorum authenticitate sint inelucta-

---

(1) Cf. Spedalieri — Analisi dell' esame critico del signor Nicola Freret sulle pruove del Cristianesimo — Roma 1778 — Artic. III.

(2) Habetur ex laudata epistola s. Ignatii (ad Philadelph. n. 4).

(3) Confersis de hoc argumento elegans et eruditum opusc. Vinc. Fassini de apostolica origine evangeliorum, Liburni 1775. Item Franc. Marchini Tract. de divinitate et canonicitate sacrorum bibliorum, Taurini 1777. Tum etiam Franc. Blanchini, Vindiciae canonicarum scripturarum-Romae 1740. Praef. historica general. cap. 1. et in append. ad hoc caput. etc.

bilia, per se ruunt internae coniecturae quas adversarius nomine argumentorum internorum contra eadem congerit. Ubi enim res ex irrefragabili auctoritate cernitur in facto posita, omnis opposita velut a priori conquisita argumentatio ridicula extat. (1)

Obiic. II. Data etiam authenticitate et veracitate evangeliorum, nihil proficit caussa Ecclesiae. Si enim vere Christus eius institutionem intendisset; procul dubio Ecclesia perfecta ab ipso exordio prodiisset. Atqui omnia ab initio perturbata et imperfecta in Ecclesia deprehendimus, nec nisi temporis successu ad praesentem statum amplitudinis et splendoris adducta cernimus. Ergo. (2)

Resp. Nego assumpt. Ad prob. dist. mai. Ecclesia ab initio perfecta prodiisset quoad essentialem et internam suae constitutionis perfectionem; *Conc.* Quoad accidentalia incrementa, et externam suorum constitutivorum essentialium evolutionem; *Nego.* Profecto ut aliqua societas di-

(1) Eiusmodi coniecturae quatuor confictis ab adversario fallacibus axiomatis substernuntur. Primum est ut ex albo historicarum narrationum expungi debeat quidquid in evangeliis communes experientiae leges transcendit. Secundum ut antilogiae occurrentes apud diversos Evangelistas in narrationibus eiusdem eventus, historicum earundem valorem destruant. Tertium ut mythos agnoscatur quotiescumque narratio formam poëticam imitatur, aut personae in scenam productae maiorem praeseferunt enthusiasmum quam eorum indoles et conditio suadeat. Quartum ut mythis quoque accenseatur quidquid in narrationibus evangelicis ad ideas ea aetate qua eadem sint exarata vigentes, putetur referri. Ex quatuor hisce assertionibus viam sibi struit adversarius ad omnem partem evangelicorum narrationum suo veritatis loco exturbandam. At frustra: praeter enim perspicuam talium affirmationum falsitatem, aut fallaciam; eae, ut animadvertimus, per se concidunt semel ac extrinseca evangeliorum auctoritas in tuto sit posita. Sane id fatetur ipse Straussius qui professus est sua intrinseca argumenta per se fore collapsura, si possit Patrum apostolicorum suffragium evangeliorum authenticitati conciliari.

(2) Ita Iudaeo-incredulus Salvador in op. Iesus-Christ et sa doctrine, Paris — 1838 tom. 1. pag. 154, et seqq.

catur ab initio perfecta, ac eius fundator censeatur suo muneri satisfecisse; id unum exigitur, ut essentialia principia seu constitutiva idonee praeformet, apte invicem connectat, imprimatque constitutioni societatis a se procreatae vim et aptitudinem, ut evolutione essentialium principiorum debitam amplitudinem ac facultatem adipiscatur: non autem est necessarium ut a principio eiusmodi evolutio contingat. Nam et haec, iuxta ordinarium rerum cursum, instantanea esse non potest, et si talis esse deberet, iam nulla humana societas legitime instituta videri posset, nemoque veri nominis fundator posset existimari. Similiter ergo disserendum est de Christo et Ecclesia. Nam et Christus omnia a principio praeformavit quae perfectam delinearent essentialem Ecclesiae constitutionem, et hanc Ecclesia a principio integram absolutamque habuit. Haec vero ipsa successu temporis, nihil aucta vel immutata primigenia constitutione, evolvi debuerunt. Exemplo sit catholicitas seu universalitas. Ad hanc Ecclesia ex sui natura, cum primum orta est, intrinsecam destinationem, aptitudinem, et facultatem habuit, ut inferius ostendetur. Sed temporis successu perfici debuit; quoniam propagatio religionis christianae non potuit esse nisi successiva, et quidem coaptata ordini arcano providentiae et praedestinationis, quem sibi Deus ab aeterno praestituerat.

Instant. Atqui neque essentialis Ecclesiae institutio et constitutio potest a Christo repeti. Etenim in ipsa essentiali Ecclesiae structura et indole diversas phases a principio contigisse perspicuum est. Enimvero 1. Christus cum suis discipulis synagogae perpetuo adhaesit, ac ritus mosaicos sancte custodivit, et asseclis suis custodiendos commendavit. 2. Professus est (Matth. XV, 17) non fuisse se missum nisi ad oves quae perierunt domus Israel. 3. Ipse Petrus perpetuo favit circumcisioni; nec nisi timide (Actor. X) ad gentiles edocendos accessit; quam etiam ob rem a reliquis Apostolis et discipulis (Act.XI, 2-3) est reprehen-

sus. 4. (Act. XV) In concilio hierosolymitano serio dubitatum est, quo loco habendi essent a christianis ritus mosaici. Atque haec primam Ecclesiae phasim sive epocham constituunt. Tum vero 5. Apostolus Paulus aliam phasim invexit per indictam effectamque abolitionem rituum mosaicorum. 6. Denique Ioannes apostolus obtrusit tertiam, qua principium mysticismi evolvit, proclamata Christi divinitate; quo quidem in Ecclesiam forma positivae dominationis, spiritus rigidae politices, atque ardor insatiabilis ambitionis invecta sunt. Igitur etc. (1)

Resp. Nego assumpt. Ad 1. probat. dist. antec. Christus synagogae adhaesit ac ritus mosaicos servavit, cuiusdam peculiaris oeconomiae gratiâ; *Conc.* vel *Transeat*: Ad exclusionem institutionis Ecclesiae a synagoga distinctae; *Nego.* Si quaerimus cur Christus synagogae utcumque adhaeserit, ac ritus mosaicos non omnino neglexerit; nequaquam in caussa esse potuit id quod obtrudunt adversarii. Nimis enim perspicua sunt quae pro intenta a Christo institutione Ecclesiae ex eius dictis gestisque delibavimus. Ac praeterea idem (Luc. XXI, 5, seqq.) praenunciavit urbis et templi futuram mox eversionem; novum testamentum a se induci edixit (Lucae XXII, 20); novam etiam (Matth. XVI) Ecclesiam, qua posita oportebat interire synagogam, cum impossibile foret figuram rei figuratae coexistere, nec duae Dei Ecclesiae simultaneе dari possent. Christus insuper rituum mosaicorum abolitionem (Ioan. IV, 21) expressit illis verbis: *Venit hora quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem* etc: Denique illustratur Christi consilium ex (Act. VI, 14) ubi Iudaei Stephanum criminantur quod diceret: *Quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses*; adeo pervulgata erat notitia de abolenda lege rituali; cui quidem rei Stephanus non contradixit.

(1) Ita Salvador op. cit. lib. II. et III. ac praecipue tom. 1. pag. 154, seqq.

Ne sibi igitur Christum repugnantem fingamus, aliunde ratio petenda est, cur tali modo sese gesserit. Ea vero est plane in promptu ; peculiaris scilicet oeconomiae gratià. Nimirum ne si ritus mosaicos a principio negligeret aut interdiceret, Iudaeis eorum tenacissimis offensionis et scandali ansam praeberet ; ne suae praedicationi praeiudicium inferret , quasi legis a Deo institutae violationem suggereret ; atque ita suae missionis efficacitatem infringeret. Potius ergo in id incubuit Christus, ut omnigenis argumentis suam missionem confirmaret , cuius persuasione animis hominum insculpta ac longe lateque diffusa , suo velut pondere synagoga esset collapsura. Caeterum Christus nunquam positive rituum mosaicorum custodiam inculcavit ; tunc solum et eatenus eos observavit, quando et quatenus ad commemoratum finem expedirent. Illorum rigorem pluries emollivit. Ac generatim quid de iisdem sentiret, non semel nec obscure, ut paulo ante adnotavimus, insinuavit.

Ad 2 dist. antec. Christus professus est non se missum esse nisi ad oves quae perierunt domus Israel : quoad personalem praedicationem et miraculorum suorum effectionem; *Conc.* Quoad absolutam extensionem suae missionis; *Nego.* Sexcenties Christus professus est se missum esse in salutem totius universi , veluti (Ioan. III , 17) *Non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum , sed ut salvetur mundus per ipsum* etc. Unde (Matth. XXIII, 19) inquit : *Euntes ergo docete omnes gentes.* Et (Marc. XVI , 15) *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* Quod ergo habet in loco obiecto, nequit sumi absolute de ipsa eius missione. Unde accipienda est sententia de immediata eiusdem praedicatione, deque effectione miraculorum.Suffragatur vero omnino contextus; quippe eo loci(Matth.XV,24) Christus caussam reddit cur distulisset votis obsequi Chananaeae pro filiae valetudine deprecantis ; nimirum quod ea foret alienigena.

Si vero perconteris cur Christus angustis adeo finibus suam personalem praedicationem coarctavit; praesto est responsio. Videtur enim voluisse Deus ut vaticinia de Christo venturo a prophetis edita, sub illorum oculis omnia implerentur, qui ipsorum vaticiniorum custodes erant, et eorundem divinam originem commendabant. Sic enim Iudaei melius poterant de divina Christi missione iudicium ferre; atque ipsi ethnici facilius in eiusdem persuasionem poterant adduci. Nam, quod revera contigit, vidissent apud eos vaticinia impleta qui eorum veritatem propugnabant; et quae eiusmodi vaticiniorum implementum constituerent, non debuissent veluti dispersa ex toto orbe colligere, sed in una natione collecta sub oculis essent habituri. Est etiam alia ratio, quod vetera vaticinia docerent salutem et legem ex Iudaeis prodituram (Isai II, 3). Ac denique, ex Apostolo (Act. XIII, 46; et Rom. XI), licet Deus in ordine intentionis, omnium, etiam gentilium salutem intenderet; quod tamen attinet ad ordinem executionis, sic rem perfici constituerat; ut Iudaeis primum nuntiaretur evangelium, nec idem gentibus foret communicandum, nisi postquam fuisset ab Hebraeis repudiatum. Atque haec quidem ratio est cur Paulus (loc. cit.) gentiles comparet ramo oleastri inserto bonae olivae, postquam ramus naturalis fuisset excisus. Iuxta hunc ergo providentiae ordinem non poterat Christus a principio sese ad ethnicos conferre. Atque ideo etiam suis apostolis mandabat (Matth. X, 5) *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quae perierunt domus Israel.* Quae quidem ad tempus suae in terris praesentiae referuntur. Nam mox in coelum migraturus iisdem Apostolis ex adverso dixit (Marc. XVI, 15): *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.*

Ad 3. Falsum est Petrum favisse unquam ritui circumcisionis. Immo is (Act. XV, 11) inquit: *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super cervices discipu-*

lorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Quod si idem Petrus, si tamen Petrus est (Gal. II) (1) se subtraxit a gentilium convivio, advenientibus iis qui erant ex circumcisione; id non patrocinio circumcisionis debetur, sed timori: ac revera ob solum timorem ibi Cephas a Paulo reprehenditur. Immo eum Paulus (v. 14) sic alloquitur: *Si tu Iudaeus cum sis, gentiliter vivis et non iudaice; quomodo gentes cogis iudaizare?*

Ad 4. *Dist. antec.* Petrus timide accessit ad gentiles edocendos quasi dubitaret num Christi evangelium esset etiam gentilibus communicandum; *Nego*; alio sub respectu; *Conc.* vel *Trans.* Nullo pacto poterat ambigere Petrus num sua missio ad ipsos gentiles protendi deberet; utpote a Christo dudum audiverat: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* Item illa (Matth. X, 18) *Et ad praesides et ad reges ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus*; et alia huiusmodi. Ipsemet Petrus (Act. II, 39) pro concione dixerat: *Vobis est repromissio, et filiis vestris, et omnibus qui longe sunt, quoscumque advocaverit Dominus Deus noster.* Et (Act. X, 43) *Huic (Christo) omnes prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* etc.

Si ergo idem Petrus (Act. X) videtur eguisse divino monitu ut ad gentiles edocendos descenderet, atque ipse ex sua parte caute ea in re visus est se gerere; id non ad

---

(1) Clemens Alex. (ap. Euseb. lib. I. H. E. c. II) ait: *Cepham a Paulo reprehensum unum fuisse ex LXX discipulis, Petri Apostoli cognominem.* Idem habet Dorotheus Tyri (in commentario de LXX discipulis ap. Du-Cangium in chronico paschali) nec non illi quorum meminit s. Hieronymus in suis commentariis in ep. ad Galatas; auctor chronici Alexandrini ad annum Christi XXX, aliique. Hanc quoque sententiam propugnat Harduinus (in peculiari dissertatione quae inter opera eiusdem selecta Amstelod. 1709 relata est pag. 920 et seqq.) Idem defendit Zaccaria, aliique passim.

rem ipsam, sed alio sane est referendum. Potest vero Petri haesitatio 1. referri ad tempus, quatenus cuperet a Deo ipso intelligere iam adesse tempus abrogandi separationem Iudaeorum a gentilibus, et ipsis nuntiandi evangelium; nec id vellet sine divino nutu manifesto facere. Vel 2. dicendum cum aliis, visionem hanc ostensam fuisse Petro non ipsius caussa, sed Iudaeorum, quibus absurdum videbatur gentiles incircumcisos fieri participes promissionum Christi; quod quidem ex capite sequenti (v. 18) aperte constat. Nec obest capitis X, v. 14 ubi Petrus inquit: *In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus.* Nam iis verbis non dicit se id prius ignorasse. Saepe enim quae iam scimus, adhuc experimento aut alia ratione plenius discimus. Ac similiter accipienda sunt illa (v. 28) *Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudaeo coniungi aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem.* (1)

Quod additur de reprehensione Petro facta; ea non ab Apostolis profecta dicitur (Actor. XI, 2); sed ab iis qui erant ex circumcisione, hoc est a iudaizantibus, seu illis qui fidem Christi susceperant, sed adhuc tenacius adhaerebant legi et circumcisioni, censebantque circumcidendos esse gentiles ut in coetu fidelium eos recipere liceret. Unde (v. 3.) non vertunt crimini Petro quod ad gentiles accessisset, sed ad incircumcisos: *Quare introivisti ad viros praeputium habentes, et manducasti cum illis?* Caeterum eiusmodi imperfecti christiani ac semiiudaei cito errorem suum deposuerunt cum a Petro docti responderunt (v. 18): *Ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.*

Ad 5. De concilio hierosolymitano *negamus assumptum.* In eo enim tota dubitatio et disceptatio non penes Apo-

(1) Ita Estius–Adnotationes in difficiliora ac praecipua s.Scripturae loca- in hoc cap. Actor.

stolos fuit et veros discipulos Christi, sed penes iudaizantes de quibus nuper disseruimus. Sane legimus (v. 1) *Et quidam descendentes de Iudaea docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.* Et (v. 5.) *Surrexerunt autem quidam de haeresi Pharisaeorum qui crediderant dicentes: quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare legem Moysi.* Ex Apostolis vero Paulus et Barnabas Autiochiae falsis hisce doctoribus vehementer restiterant. In Concilio Petrus et Iacobus circumcisionis aliarumque legalium observationum inutilitatem sibi denique apertis verbis proclamandam censuerunt. Iacobus etiam productis prophetarum oraculis rei acquitatem ostendit. Universi Apostoli et seniores (vv. 22, 23) edito decreto sententiam Petri et Iacobi unanimes sanxerunt. Quid igitur in huiusmodi synodo contigit quod cavillationi adversarii velificare possit?

Ad 6. Ex modo dictis liquet Paulum novam doctrinam minime invexisse. Sed caeremoniae mosaicae tria, ut ita dicam, stadia percurrerunt. Usque ad Messiae praedicationem, necessariae extitere. Tum evaserunt indifferentes, quae scilicet nec utiles per se forent, nec salutis aeternae consecutioni interim obessent. Cum perspiceret Paulus adesse iam tempus abolendi eiusmodi ritus ex Christi ipsiusque gratiae praesentia dudum inutiles effectos; cum item caeteri Apostoli hac in re consentirent; et Deus ipse (Act. X) id Petro Apostolorum principi significasset; omnes nervos gentium Apostolus sibi intendendos duxit, ut christianum cultum a mosaici cultus superfluitate liberaret. Tum denique ritus mosaici illiciti et noxii evaserunt.

Ad 7. De Ioanne Apostolo falsissimum est mysticismum ab eo in proclamata divinitate Christi obtrusum fuisse. Neque enim ipse novum dogma atque aliis evangelistis ignotum invexit, sed tantum accuratius disertiusque illud argumentum illustravit, quod directe scriberet adversus Ebionitas, qui ab Ecclesiae sensu iam rebellaverant; et Christi

divinitatem inficiabantur. Sane quod ad reliquos evangelistas attinet, sufficit commemorare formam baptismi quam Matthaeus (XXVIII, 19) refert; testimonium Christo a Patre datum in eius baptismo apud Marcum(1,10)et Lucam (III, 22); ut alia missa faciam, cum non sit hic locus de divinitate Christi disceptandi. Ioannem vero eo quod diximus consilio suum evangelium fuisse aggressum, constat ex unanimi veterum consensu, puta ex Hieronymo (In catal.cap. IX.) Irenaeo (lib. III adv. haer. c. 1.) Clemente Alex. (ap. Euseb. lib. VI, cap. XIV) Epiphanio (haer. LI, n. 19) etc.

LECTIO VII

Finis quem sibi praestituit Christus in sua Ecclesia instituenda, illustratur.

Ex disputatis hactenus institutio a Christo perfecta suae Ecclesiae in confesso est posita. Nunc, quod ad ipsam institutionem magis magisque explicandam pertinet, quaeritur de fine cur Christus non fuerit contentus disgregata multitudine hominum qui doctrinam ipsius profiterentur; cur in iisdem socialis formae vinculum tantopere adamaverit; quid propterea ex huiusmodi socialitate sibi consequendum spoponderit; et quid societati ipsi consequenter imposuerit, quidve contulerit. Fateor horum peculiarem et adaequatam cognitionem ex iis pendere quae in tractatus decursu erunt per partes explicanda. Sed tamen eadem possunt et debent in praesens quodam generali conspectu exhiberi. Primum itaque si quaeratur finis mediatus et ultimus institutionis Ecclesiae; non potuit alius esse nisi hominum aeterna salus, et Dei gloria per hominum salutem obtinenda. Institutio enim Ecclesiae non fuit nisi pars et actus missionis Christi quam in terris gessit. Missio autem Christi, ipsomet teste (Ioan. X, 10 — 1 Ioan, V, 11) etc, non alio specta-

re potuit nisi ad gloriam Dei ex hominum salute resultantem. Igitur etc.

At vero nos in praesens de fine immediato proprie agimus; quaerimus nempe quo pacto et quatenus ex mente Christi ad hominum salutem conferre debuerit institutio Ecclesiae. Hanc in rem tuto affirmari potest intendisse Christum, ex parte sui, ut in Ecclesia et per Ecclesiam perennem faceret suam visibilem in terris missionem, et suum visibile magisterium. Ex parte Ecclesiae, ut consequenter Christi in terris agentis et docentis personam, quam cumulatissime posset, perpetuo exhiberet. Denique ex parte fidelium, ut in Ecclesia haberent omnia media ad salutem aeternam consequendam idonea, nec extra ipsam ulla media vel spem ullam salutis nancisci possent. Prima et altera pars finis enunciati verificatur in parte Ecclesiae *activa* seu *regente*; tertia in *passiva* sive *recta*.

Itaque ad primam quod attinet, voluit Christus in Ecclesia et per Ecclesiam perennem facere suam divinam missionem, si hanc reapse data opera Ecclesiae communicavit. Ita est; ergo. Et re quidem vera (Ioann. XX, 21) Christus Apostolos alloquens, inque ipsorum persona eorundem successores ait.: *Sicut misit me Pater et ego mitto vos*; hoc est ad idem vos mitto, et simili potestate, vosque orbis doctores rectoresque instituo. (1) Unde et (Ioann. XVII, 17, 18) Christus Patrem orat: *Sanctifica eos in veritate*; *sermo tuus veritas est*: *sicut me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum.*

Consentanee huic generali mandato Christus omnem partem missionis suae, cuius capax esset Ecclesia, in Apostolos, eorumque successores transfudit. 1. Munus docendi (Matth. XVIII, 18, 19) *Data est mihi omnis potestas in*

---

(1) Cf. Cornelium Iansenium --- Comment. in ss. I. C. evangelia --- Praeterea Estium --- in h. l.

coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes. Atque ut intelligeretur non de solis dixisse Apostolis, sed etiam de ipsorum successoribus, addidit (v. 21) se docentibus ipsis et praedicantibus peculiari assistentia adfuturum *omnibus diebus usque ad consummationem saeculi*. Quibus profecto non modo publicum et solemne Apostolis eorumque successoribus contulit magisterium, sed quod futurum esset ab omni erroris periculo immune, utpote iugi Christi peculiari adiutorio fultum.

II. Transfudit Christus in Apostolos eorumque successores omnem quantam caperent propriae missioni adnexam potestatem: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos* __ *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo* etc. nimirum ex hac potestate vobis communicata, atque eius participes et depositarii effecti euntes docete; ac si ego ipse ut antea docerem, et administrarem Ecclesiam. Collato (Ioann. XX, 21) Spiritu Sancto, potestatem Apostolis tradidit remittendi peccata: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ac generalius et pro foro etiam externo (Matth. XVIII, 18) *Amen dico vobis quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo.* Quod idem personaliter Petro tamquam Ecclesiae fundamento contulerat (Matth. XVI, 19) *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Unde merito (Ioann. XXI, 15-16) Petro iniungit: *Pasce oves, pasce agnos meos*: ita tamen ut idem munus participare debuerint reliqui Apostoli, et eorum successores episcopi. Quamobrem ipsis (1.Petr. V, 2) dicitur: *Pascite qui in vobis est gregem Dei*; sicut et (Actor. XX, 28) Paulus inquit: *Attendite vobis et universo gregi.* etc. Denique ne quisquam putaret posse impune a talium pastorum auctoritate se subducere; enunciavit Christus (Luc. X, 1) illam sen-

tentiam: *qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.* Immo etiam tamquam ethnicum et publicanum habendum edixit eum qui Ecclesiae iudicio obsistat (Matth. XVIII, 17): *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*; ita scilicet a Christo alienus et extraneus, ut ethnici sunt et publicani; perinde ac non adversus Ecclesiam, sed adversus Christum ipsum rebellasset.

III. Transfudit Christus in Apostolos eorumque successores exclusive et in solidum omnem copiam mediorum quibus ad aeternam salutem pertingere liceat. Dixi *exclusive et in solidum*, ut indicarem nulla media salutis a Christo instituta posse reperiri nisi in Ecclesia et per Ecclesiam, quaeve saltem nomine Ecclesiae non conferantur (1). Probatur assumptum: nam 1. fidem certe quae est salutis initium, et sine qua ex Apostolo (Hebr. XI, 6) *impossibile est placere Deo*, deposuit Christus in manu Ecclesiae. Etenim ut idem Paulus (Rom. X, 17) ex Isaia (LIII, 1) infert, *fides est ex auditu*; *auditus autem per verbum Christi*, seu per evangelii praedicationem. Sed hanc ex dictis exclusive et in solidum Christus commisit Ecclesiae. Ergo — 2. Posuit Christus in manu Ecclesiae gratiae seu sanctificationis communicationem. Hanc enim in N. T. ut suis locis patebit, sacramentis affinxit. Iam vero sacramenta omnia et singula nonnisi Ecclesiae suae Christus demandavit. Igitur etc. Et re quidem vera nonnisi Apostolis eorumque successoribus dixit: (Matth. XXVIII, 19). *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos* etc. Iisdem dixit: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* etc. Iisdem illa dixit (Luc. XXII, 19) *Hoc facite in meam commemorationem*; et reliqua quae de singulis sacramentis, cum de iisdem agendum erit, expendemus.

(1) Hoc ultimum membrum apponimus e. g. propter baptismum, qui valet quidem collatus extra Ecclesiam ab haeretico, infideli, aut schismatico; semper tamen confertur nomine verae Christi Ecclesiae.

Quamobrem aiebat Apostolus (1. Cor. IV, 1) *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Quid plura? Certe (Ioan. XXI, 15-16) Petro indictum est: *pasce oves meas; pasce agnos meos.* Iam vero pascendi vocabulo nihil magis intelligitur, quam suppeditatio omnium spiritualium mediorum, quibus aeterna salus attingi possit. Ergo etc. Praeterea nemo certe vitam aeternam ingredi poterit, nisi ei regni coelorum aditus pateflat. Atqui Petro dictum est (Matth. XVI, 19) *Et tibi dabo claves regni coelorum.* Igitur nonnisi per Petrum Ecclesiae fundamentum, adeoque et per ipsam Ecclesiam, aditus ad vitam aeternam patere potest. Denique nomine clavium regni coelorum venit etiam summa mediorum quotquot ad salutem aeternam sint idonea. Si igitur in Petro exclusive et in solidum claves regni coelorum posuit Christus in manu Ecclesiae; exclusive et in solidum omnia ei salutis media demandavit.

Si haec ita sunt; liquet veritas primae partis assumpti a principio positi, qua diximus Christum in Ecclesia molienda intendisse ut in ea et per eam perennem faceret suam visibilem in terris missionem, et iuge suum adspectabile magisterium. Sed ex his ipsis itidem innotescit pars altera et tertia eiusdem assumpti. Si enim, quemadmodum ostendimus, voluit Christus in Ecclesia et per Ecclesiam perennem facere suam visibilem in terris missionem et suum visibile magisterium; debuit profecto Ecclesiam talibus instruere auctoritatis ac dignitatis characteribus, ut personam Christi, quam fieri posset, cumulatissime exhiberet. Insuper si de facto, ut ostensum est, transfudit Christus in Ecclesiam omnem quantam ea caperet suam missionem; hoc ipso illam eiusmodi de facto constituit, ut personam sui agentis in terra quam posset cumulatissime exprimeret. Denique si de facto Christus in Ecclesia deposuit quotquot sunt salutis media; idem procul dubio instituit ut in Ecclesia homines haberent omnia media salutis, nec nulla extra ipsam

habere possent; adeoque nec spem ullam salutis; utpote haec sine mediis idoneis attingi nequit.

Verum idipsum confirmatur 1. Ex indole comparationum quibus Christus Ecclesiae suae conceptum identidem praeformavit, puta *ovilis*, extra quod procul dubio oves nec salubria pascua reperire, nec possunt a lupis salvae consistere; *convivii* a quo qui excluditur, detrudendus sit in tenebras exteriores; *areae tritici*, ex qua quae reiiciuntur paleae, comburendae sint igne inextinguibili; etc. 2. Ex consona doctrina Apostolorum, quos inter Petrus comparat (1. Petr. III, 20-21) Ecclesiam areae Noe per quam solam obtigit salus iis qui diluvio-non periere. Paulus vero, ut alios mittamus, Ecclesiam dicit *columnam ac firmamentum veritatis* (I. Tim. III, 15). Et (1. Cor. V, 5) cum incestuosum Corinthium vellet ab Ecclesia expellere; ea phrasi usus est: *tradere huiusmodi Satanae*; ut innueret extra Ecclesiam non haberi nisi regnum Satanae, nec dari medium inter haec duo: esse nimirum Ecclesiae Christi plane extraneum, et in diaboli potestatem concedere (1). Confirmantur 3. disputata superius ex eo quod si ab aetate nostra de saeculo in saeculum cogitatione assurgamus ad tempora Christi; reperimus Ecclesiam ita semper constitutam, ut apud ipsam sisteret possessio in solidum omnis potestatis spiritualis, et omnium mediorum salutis. Deprehendimus etiam talem omnibus persuasionem perpetuo inhaesisse, et id semper tamquam a Christo ipso profectum christianos omnes esse professos. Nimirum testes huius rei habemus non tantum catholicos, sed omnes per novemdecim circiter saecula cuiusque factionis haereticos. Ili siquidem negarunt ex catholicis coalescere veram Ecclesiam Christi; sed semper professi sunt neminem posse

(1) Cf. Estium — Comment. in h. l. et Matthaeum Poli-synops. Critt. sacr. ad 1. Cor. V.

salvari nisi in vera Ecclesia, et per veram Ecclesiam Christi (1).

Haec finem a Christo in sua Ecclesia condenda spectatum satis explicant. Praestat tamen ea ipsa quae demonstravimus, et quae inde sequuntur, variis enunciationibus tanquam totidem corollariis singillatim subiicere; quod sequens lectio praestabit.

LECTIO VIII

Ex praecedenti de fine Ecclesiae doctrina, nativa quaedam magni momenti corollaria eruuntur.

Finis a Christo intentus in sua Ecclesia molienda, veritas quaedam est ex qua veluti a priori possint explicari et demonstrari reliqua omnia quae ad Ecclesiam spectent. Non vacat singula persequi et accurate evolvere: sed tamen ad aliquod specimen exhibendum, sit

Cor. I. Si, prouti nuper ostensum est, ad revelationis suae custodiam et propagationem statim Christus aggressus est institutionem Ecclesiae, et huic in solidum revelationem a se praestitam sive custodiendam sive perpetuo disseminandam commisit; sequitur revelationem a Christo factam nunquam,

---

(1) Non pigeat cuiusdam speciminis gratia audire Calvinum qui (lib. IV. Instit. cap. II n. 4) inquit: *Verum quia non de visibili Ecclesia disserere propositum est, discamus vel uno matris elogio, quam utilis sit nobis eius cognitio, immo necessaria; quando non alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa concipiat in utero, nisi pariat, nisi alat suis uberibus, denique sub custodia et gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis.* Et paulo post: *Extra eius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nulla salus.* Idem legere est in plerisque fidei confessionibus Protestantium apud Bossuetum (Histor. Variation. lib. XV.)

ne unum quidem instans, sibimet veluti relictam mansisse; sed primitus in manibus Christi moratam esse; tum interventu Apostolorum e manibus Christi ad manus Ecclesiae transivisse. Proinde nunquam separata et, ut ita dicam, abstracta extitit revelatio, sed ut a principio nonnisi in Christo suum esse habebat, ita postmodum in Ecclesia velut inserta existentiam habuit; et ut ab initio quaeri nec potuit nec debuit nisi in magisterio Christi; ita postmodum quaeri nec potuit, nec debuit nisi in magisterio Ecclesiae; sive potius quaeri semper debuit et debet in magisterio Christi tradentis et explicantis doctrinam suam ministerio Ecclesiae.

Cor. II. Cum christiana religio non sit nisi praxis et usus ipsius revelationis et praeceptorum Christi; evidenter infertur ibi tantum posse reperiri veram religionem christianam, ubi vera Christi revelatio reperitur. Sed ex modo dictis divina Christi revelatio nequit reperiri nisi in Ecclesia et per Ecclesiam. Igitur etiam christiana religio nonnisi in Ecclesia et per Ecclesiam potest reperiri.

Cor. III. Sed non solum christiana revelatio et religio nequit reperiri nisi in Ecclesia et per Ecclesiam; verum etiam ipsarum professio, et exercitium religionis christianae nonnisi in Ecclesia et per Ecclesiam haberi possunt. Cum enim ex dictis noluerit Christus asseclas suos disgregatos et solitarios permittere, sed ad commemoratos fines voluerit omnes et singulos Ecclesiae inseri; sequitur neminem esse posse discipulum Christi et christianum, nisi de facto sese Ecclesiae inserat, in eaque perseveret, hoc est nisi actu, aliquo modo saltem, sit membrum Ecclesiae.

Cor. IV. Quamobrem christiana religio et christianismus non differunt ab Ecclesia, nisi ut abstractum et concretum. Re vero unum sunt et invicem inseparabilia; quippe nec potest dari vera Christi Ecclesia non imbuta vero christianismo, nec verus christianismus extra germanam Ecclesiam Christi vigere potest. Unde quem nostra aetate ratio-

nalistae sibi fingunt christianismum extra Christi Ecclesiam, adeoque solutum ab officiis eidem praestandis, pura putaque chymaera censeri debet. (1)

Cor. V. Ex dictis etiam perspicuum est christianitatem in concreto re ab Ecclesia nihil differre: neque enim ipsa christianitas conflari potest nisi ex membris Ecclesiae, neque Ecclesia ex membris potest coalescere quae non pertineant ad ipsam christianitatem. Nihilominus ad materialem et per se abstracte spectatum eorum numerum qui Christi fidem profitentur, se habet Ecclesia uti principium consocians, seu uti forma positiva et socialis a Christo praeconcepta et omnimode intenta, ut eius praesidio hominibus nihil deesset ad propriam salutem consequendam. Quamobrem Ecclesia sub hoc respectu ex sui natura involvit conceptum *organi* cuiusdam definite a Christo electi ad ea bona humano generi comparanda, quae paulo superius enumeravimus. Ac licet non inficiemur potuisse Christum aliis modis eidem humano generi consulere; de facto tamen hoc medium quod in Ecclesia situm est, prae omnibus adamavit.

Cor. VI. Consentanee huic intentioni, prout demonstratum est, Christus Ecclesiam instituit depositariam in solidum missionis suae, et quae vices eius in ipsa suscepta ad humanum genus missione deberet gerere. Hinc efficitur Ecclesiam spectandam esse uti expressionem realem personae Christi agentis et docentis in orbe terrarum; uti organum vivum perseverantis visibilis existentiae et praedi-

(1) Talis consequenter est opinio Beniamin Constant, qui (in op. *De la religion considérée dans sa source, ses formes, et ses développements*) asseruit religionem christianam plane independenter ab exteriori forma totam consistere in affectu cordis *sentimentali*. Item Bretschneidori qui (in op. cui tit. *Henricus et Antonius, seu de proselytis ecclesiae romanae et ecclesiae evangelicae*) affutiit Christum de mero christianismo fuisse sollicitum, non vero de Ecclesia, etc.

cationis Christi; uti os ipsius Christi pergentis praedicare et docere per suam Ecclesiam; immo etiam ut ipse Christus adhuc docens et regens homines ministerio Ecclesiae.

Cor. VII. Si haec ita habent; nequit Ecclesia carere ullo ex illis adminiculis, proprietatibus, iuribus, et officiis, quae sive ad Christum repraesentandum, sive ad muneris sui partes implendas sint necessaria. Quamobrem qui cum haereticis praecipuas quasque a catholicis assertas Ecclesiae praerogativas reiiciunt, nae ii quidem ostendunt nondum se comperisse ipsas primas et quasi rudimentarias notiones circa Ecclesiam Christi; nec advertisse aut intellexisse quorsum Christus instituerit Ecclesiam. Vicissim vero, ut nuper adnotavimus, ex hoc uno principio quod isto corollario enunciavimus, liceret omnem de Ecclesiae dignitate et auctoritate illationem vindicare.

Cor. VIII. Speciatim, ut unum tantum innuamus, consequenter tribui debet Ecclesiae peculiaris et iugis Christi assistentia; qua nempe Ecclesia per se humana, seu ex humanis individuis conflata, divinum munus exercendae missionis Christi praestare possit; nec unquam a proprii officii partibus et a Christo per ipsam regente et docente idonee repraesentando deficiat. Quod etiam spopondit Christus (Matth. XXVIII, 20) *Et ecce ego vobiscum* (nempe docentibus et praedicantibus) *sum usque ad consumationem saeculi.*

Cor. IX. Si haec ita sunt ex parte Ecclesiae; ex parte fidelium sequitur quod nisi Ecclesiae magisterium audiant, et ei se totos regendos committant, nullam salutem sperare possint. Si enim ex dictis, Christi partes agit Ecclesia, veluti si ipse pergeret morari in terris; tam nemo potest independenter a magisterio et regimine Ecclesiae salutem nancisci, quam nequit independenter a magisterio et regimine Christi. Praeterea nemo certe salvari potest nisi sit actu discipulus Christi. Sed nisi quis audiat magisterium Ecclesiae, nequit esse discipulus Christi; quandoquidem

ex dictis non docet in praesens Christus nisi ministerio Ecclesiae. Ergo. Denique ostendimus omnia media salutis exclusive possideri ab Ecclesia. Quam igitur nemo salvari potest sine mediis salutis; tam nequit salvari independenter ab Ecclesia.

Cor. X. Si nulla extra Ecclesiam est possibilis salus, quisque tenetur Ecclesiae se cooptare, et de ea quae vera sit Ecclesia Christi, si necdum ad ipsam pertineat, diligenter quaerere. Tam enim ad id evidenter urgetur, quam ipso iure naturae ad propriam salutem procurandam adigitur.

Alia atque alia fas esset ex adstructis de fine Ecclesiae principiis inferre. Sed ea in habendis postmodum de natura et proprietatibus Ecclesiae disputationibus opportunius recurrent. Interim cum Ecclesiae existentia seu institutio vindicata satis et explicata videatur; ad eiusdem essentiam explorandam e vestigio properemus.

SECTIO II

QUA INTERNA ECCLESIÆ CHRISTI NATURA SEU CONSTITUTIO EXPLICATUR.

Quae methodus in rei cuiusque natura vestiganda usurpari ferme solet, ea uti constituimus in exploranda Ecclesiae essentia. Primum itaque, ut moris est ac ordinis ratio postulat, universim de toto subiecto analysi subiiciendo quaerimus in quonam genere collocari debeat. Proinde cum ex dictis constet Christum instituisse suam Ecclesiam in formam cuiusdam societatis; disceptandum erit num eam fecerit societatem natura sua adspectabilem: ac propterea sermo erit de *conspicuitate* Ecclesiae. Secundo erit inquirendum in eiusmodi visibilis societatis veluti constitutiva essentialia, seu partes compositi: adeoque seorsim controversia habebitur de *anima* Ecclesiae atque *corpore*, deque illis qui sive ad animam sive ad corpus eiusdem spectent. Tertio dicendum erit de nexu quo ex Christi institutione ipsiusmet compositi sive societatis partes adstringi mutuo debeant. Unde de essentiali Ecclesiae unitate apposite disseremus. Quarto agendum erit de principio unitatis a Christo instituto ut essentiale vinculum in partibus et membris ecclesiasticae societatis servari possit. Quod quidem a nobis disceptationem de hierarchia et externa Ecclesiae forma seu dispositione exquiret. Quinto denique explicandus erit mutuus influxus animae Ecclesiae in corpus, et huius in animam, ut effectus inde resultantes comperiantur. Sit igitur primum de Ecclesiae conspicuitate.

LECTIO I

Ad quaestionem de conspicuitate Ecclesiae nonnulla praenotantur.

Solent vulgo theologi visibilitatem Ecclesiae in eius proprietatibus aut notis recensere. Quod quidem nos non reprehendimus. Sed tamen censemus non posse in praesens ab huiusmodi disputatione abstinere. Cum enim, ut nuper innuimus, agendum sit nobis de anima Ecclesiae atque corpore, deque iis qui ad utrumque pertineant etc.; putamus non posse legitime eiusmodi controversias dirimere, nec ita in partes Ecclesiam distinguere; nisi antea de genere ipso societatis a Christo fundatae constiterit, patueritque num essentialiter seu ex sui natura visibilis sit instituta. Non igitur, ut plures solent, spectamus heic conspicuitatem veluti affectionem Ecclesiae quae antecedenter cogitetur in suo esse constituta, sed ut quae ad ipsum genus institutionis pertineat, et ipsam substantiam fundatae a Christo societatis attingat.

Itaque, ut veteres haereticos omittamus, ex quibus plures una aliave ratione Ecclesiae conspicuitati derogarunt; Ecclesiam invisibilem proclamarunt Wiclefitae et Hussitae, qui ut alibi adnotavimus, illam conflari definiverunt ex solis praedestinatis. Eundem errorem professi sunt Cathari sive Albigenses, ut notat Hurter (In vit. Innoc. III. lib. XIV, tom. 3.). Lutherus et Calvinus eandem doctrinam propugnarunt. Unde Lutherus (lib. de abrog. miss. priv. p. 1.) inquit: *Quis Ecclesiam nobis monstrabit cum sit occulta in spiritu, et solum credatur, sicut dicitur: credo Ecclesiam sanctam*? Calvinus vero (lib. IV. Instit. cap. 1. n. 7) *Bifariam*, ait, *de Ecclesia sacrae litterae loquuntur: interdum enim cum Ecclesiam nominant, eam intelligunt quae est revera coram Deo*. Et inferius: *Nobis invisibilem, solius Dei oculis conspicuam crede-*

re Ecclesiam necesse est. Ac (n. 3) *Caeterum ad amplexandam eo modo Ecclesiae unitatem, nihil opus est Ecclesiam ipsam oculis cernere, aut manibus palpare*(1).

Eiusmodi haeresiarcharum asseclae ipsorum sententiam, quod nimis absurda evidenter foret, subinde emollire atque in bonam partem trahere conati fuerunt. Unde apud cl. Bossuetum (hist. variat. lib. XV, a num. 4 ad 16) plures recitantur confessiones Protestantium in quibus perpetua Ecclesiae visibilitas constanter asseritur. Eiusmodi sunt inter caeteras confessio Augustana (artic. VII) et eiusdem apologia (tit. de Eccl.); confessio Saxonica (cap. de Eccl.); Bohemica (cap. de conc.); Basileensis anni 1532 et 1536; Helvetica anni 1566. Quibus adde articulos Smalcaldicos, quorum sententiae subscripsit tota Lutheranorum secta. (2) Verum cum Catholici a Protestantibus quaererent ubinam fuisset reformatorum Ecclesia ante Lutheri et Calvini discessionem ab Ecclesia romana, nec iidem possent ulla-

(1) Recole etiam quae de calviniana Ecclesiae notione adnotavimus in superiori sectione lect. 1.

(2) Diximus in bonam partem voluisse etiam Protestantes trahere suorum maiorum effata. Exemplo sit Gerhardus qui (in loc. theologic. XI) *Patet*, inquit, *distinctionem Ecclesiae in* visibilem *atque* invisibilem *non esse divisionem generis in species, quasi duas specie fingeremus ecclesias sibi oppositas, uti perperam nobis affingunt ecclesiae romanae socii, sed esse dumtaxat* limitationem subiecti, *secundum* diversos *suos* status. *Quemadmodum scilicet in eodem homine duplex datur relatio*, exterior *nempe, qua alios homines*, *atque* interior, *qua Deum respicit; ita et de tota aliquo coetu hominum, qui in certum doctrinae sanctioris typum consentiunt, hoc est de ecclesia, vere enunciari potest, eandem quoad formam externam* visibilem, *quoad internam vero* invisibilem *esse. Prout* visibilis *est, definitur congregatio seu coetus hominum viatorum, qui amplectuntur verbum Dei, sacramentisque utuntur. Prout* invisibilis *autem est, definitur coetus pie credentium atque ad vitam sempiternam praedestinatorum.*

tenus ab hac sibi permolesta interrogatione se extricare; in professionem Ecclesiae invisibilis fuerunt relapsi. (1) Unde ortum habuere omnes illae Protestantium confessiones pro Ecclesia invisibili, quas laudatus profert Bossuetus (op. et lib. cit. num. 16 et seqq.) ac praeterea allegant Fratres Walemburchii (lib. 1. de unit. Eccl. cap. V. et tract. III. de Eccl.)

In hac tamen sententia Ecclesiae invisibilis, non eam Protestantes necessario separant ab omni forma exteriori, neque hanc absolute ab illius conceptu eliminant. Sed tantum duo statuunt. Primum est in ipsa Ecclesia visibili reperiri semper et repertos esse quosdam sive iustos sive praedestinatos. Ex his vero caeterorum numero admixtis conflatam semper esse ac conflari veram Ecclesiam, quae non hominibus, sed soli Deo sit agnoscibilis; reliquum vulgus Ecclesiae adspectabilis in censu Ecclesiae apparentis, seu praesumptivae et falsae esse computandum. Distinguunt etiam *Ecclesiam vocatorum* quae ex visibili coetu fidelium coalescat; et *electorum*, quae ex invisibili praedestinatorum numero resultet.

Iuxta haec docent Protestantes Ecclesiam in Papatu, ut loquuntur, delituisse sepultam, donec per reformatores statum etiam externae manifestationis acquireret. Unde etiam fatentur toto illo tempore eos qui essent verae Ecclesiae, non habuisse proprium ministerium, nec separatam a *papistica* visibilem Ecclesiam. Affirmant vero invisibilem Ec-

(1) Id ita plane habuisse testatur ipse minister protestans Iurius (in system. Eccl. pag. 216). Hinc vero patet eandem caussam movisse Lutherum et Calvinum ut a principio Ecclesiam invisibilem defenderent; quod nimirum non possent suam Ecclesiam sive potius sectam propriae rebellioni praeexistentem ostendere; quodque nequirent eiusdem existentiam cum ipsa instituta primitus a Christo Ecclesia connectere; ac denique non valerent visibiles notas seu characteres verae Ecclesiae in suis conventiculis demonstrare.

clesiam eam esse quam Scripturae hoc nomine designare intendunt, deque ipsa tantum explicant quaecumque Ecclesiae decora in ss. litteris praedicantur. Eandem statuunt usque ad mundi finem duraturam; nec errare unquam posse in iis quae sint ad salutem necessaria, licet in aliis possit, ut tradit Calvinus (lib. IV. Instit. cap. VIII).Caeterum fatentur Ecclesiae semper competere praedicationem verbi divini, et legitimam sacramentorum administrationem; quod qui possit componi cum statu Ecclesiae invisibilis, profecto non liquet.

Alterum quod de huiusmodi argumento adstruunt Protestantes, respicit Ecclesiam visibilem, quam dicunt fide et moribus posse idemtidem corrumpi, aut etiam plane vel ex parte deficere. Quare in iniuriam catholicorum aiebat Calvinus (in praef. Instit.) *Fremunt nisi Ecclesia digito semper ostendatur..... Quin potius permittamus Deo, ut quando ipse solus novit qui sui sunt, interdum etiam Ecclesiae suae exteriorem notitiam ab hominum aspectu auferat.* Quibus accinens confessio calviniana gallica (artic. XXXI) *Interdum*, ait, *ut nostris etiam temporibus, interrupto Ecclesiae statu, necesse fuit nonnullos extra ordinem excitari, qui Ecclesiae collapsae ruinas instaurarent.* Atque idem habent reliquae confessiones apud laudatos auctores.

Haec omnia, uti monuimus, studio propriae defectionis ab Ecclesia catholica cohonestandae excogitata atque invecta, non exhibent nisi radicalem et absolutam eversionem atque etiam inversionem totius fundamentalis constitutionis Ecclesiae; divini institutoris conceptum intrinsece et essentialiter immutant atque dissolvunt; nec non illa omnia incommoda inducunt et sanciunt, ad quae cavenda Christus essentialiter adspectabilem, uti mox ostendemus, fundavit Ecclesiam.

Et sane cum inter homines vel nulla detur societas, vel si aliqua datur, omnino visibilis esse debeat; eo ipso quod

heterodoxi veram Ecclesiam invisibilem proclamarunt, funditus societatis rationem eidem ademerunt. Insuper omnem internam atque externam[1], ut aiunt, organizationem, omnem mutuum membrorum nexum, et quamcumque dependentiam sustulerunt. Propterea etiam delevere omnem hierarchiam, omnem auctoritatem sive directivam sive legislativam aut coercitivam, et cuiusquemodi potestatem. In hypothesi quoque adversariorum abscessit prorsus a conceptu Ecclesiae omne principium unitatis, sive communionis sive fidei; siquidem omnia, vi ipsius hypothesis, cuiusque privati individuali iudicio sunt necessario relicta. Hoc ipso etiam quod ponatur Ecclesia scipsa interna et invisibilis ac soli Deo cognita; eadem per se nec sacramenta, nec sacramentorum administrationem, aut generatim ullum ministerium habere potest, nisi mutuetur ab Ecclesia visibili, quae saepe, adversariorum iudicio, falsa est atque satanica, aut etiam potest penitus deficere. Nec insuper talis Ecclesia notas habere potest ut queat distingui, et ab hominibus cognosci. Eadem proinde nullam hominibus utilitatem conferre valet; multoque minus potest divinam in terris Christi missionem gerere et perennem efficere. Omitto caetera: iuxta haec interim ad quid denique revocatur institutio Ecclesiae et constitutio? Ad hoc, ut vere nulla Ecclesia sit, sed tantum sint quidam, quocumque in numero, qui tum sibi tum aliis invicem ignoti Christi doctrinam profiteantur. Et tamen totum hoc sequitur ex negata Ecclesiae conspicuitate; atque ita verum est visibilitatem ad ipsam substantialem Ecclesiae structuram pertinere, et esse fundamentum omnium eorum quae de interna atque externa Ecclesiae constitutione affirmari debeant.

Iter igitur plane oppositum incuntes, asserimus Christum ita in formam societatis instituisse suam Ecclesiam, ut eam esse intenderet societatem necessario et essentialiter adspectabilem; adeoque non posse subsistere unquam Ecclesiam non retenta conspicuitate, sed vel, per impossibile, ipsam

Ecclesiam perire debere, vel adspectabilem perpetuo consistere. Ex hoc principio illationes per se fluunt e diametro illis oppositae quas modo innuimus ex falso Protestantium dogmate pullulare (1). In illud igitur principium evincendum incumbimus. Sed unum adhuc praenotamus ; nimirum non esse confundendam praesentem controversiam cum quaestione de Ecclesiae indefectibilitate. Non enim heic asserimus absolute Ecclesiam perpetuo duraturam, sed tamdiu fore visibilem quamdiu duret. Perpetua ergo Eccle-

(1) Hanc principiorum et illationum oppositionem egregie prosecutus est Moehler in sua *symbolica* cap. V, § 48, ubi sic disserit: *Les catholiques enseignent : L' église visible existe d' abord , puis vient l'église invisible*, c' est la première qui forme la seconde. *Les Lutheriens disent , au contraire :* l' église visible sort de l' invisible, *la seconde est le fondement de la première. Cette contrariété si petite au premier coup d' oeil implique une énorme différence. Quand l' Evangile vint éclairer le monde , le royaume de Dieu n' existait qu' en Jésus-Christ et dans l' idée divine. Ce furent les Apôtres qui, les premieres reçurent la nouvelle de ce royaume ; mais elle leur fut ennoncée par la parole externe , par le langage humain ; elle passa* du dehors *dans leur intelligence. Lors que le fils de Dieu fait homme eût formé les apôtres , il leur donna la mission extérieure de semer au loin la doctrine du salut. Alors on voit les ouvriers évangéliques traversant des contrées où régnait, non pas le souverain Dominateur , mais le prince des ténèbres. Instruments du Christ qui agissait en eux, ils apportérent l' image de l' homme céléste dans des coeurs qui jusque-là n' avaient reflecté que celle de l' homme terrestre. Or de même qu' ils avaient été envoyés par le Sauveur , à leur tour ils envoyérent des disciples qui portérent plus loin la divine parole ; et c' est ainsi que dans tous les siècles , de l' église visible a découlé l' invisible. Telle est aussi la marche qui entroînait l' idée de la révélation chrétienne : institution positive et permanente , enseignement determiné dans ses dogmes et ses préceptes , elle nécessitait un ministère vivant , et parlant , auquel pussent se rattacher ceux qui désiraient la connoitre.* Pergit deinde exponere principium protestantium, cuius absurda consectaria in lucem prodit.

siae conspicuitas adstruitur in praesens sensu hypothetico: indefectibilitas autem eandem, et caetera quae de natura Ecclesiae sunt, affirmat ac vindicat sensu absoluto.

LECTIO II

Ostenditur Christum ita in formam societatis suam Ecclesiam instituisse, ut ea esset societas natura sua et immutabiliter adspectabilis.

Quod de facto nonnisi visibilem suam Ecclesiam Christus a principio invexerit; nec unquam, ut paulo ante animadvertimus, heterodoxi inficiati sunt, nec ulteriori indiget demonstratione. Hoc evincit effatum Christi(Matth. XVI) iuxta animadversiones superius institutas. Hoc suadent omnes similitudines quibus Christus passim perrexit explicare conceptum Ecclesiae quam fundabat. Hoc probant inducta ab eo mutua officia docentium atque regentium, nec non discentium atque rectorum. Pariter baptismi institutio, et publica per eum cuiusque credentis inauguratio: quod de aliis quoque sacramentis est affirmandum. Denique totus complexus omnium monumentorum illius aetatis nobis exhibet Ecclesiam adspectabilem; et quidem omnium confessione ex ipso Christi instituto et voluntate.

De facto igitur nemo sanus potest dubitare. At praeterea evincimus ita Christum invexisse societatem visibilem, ut visibilitas esset de natura talis societatis: quo fit ut non possit tolli Ecclesiae visibilitas, quin tota funditus eius essentia pessumdetur, nec amplius habeatur illa specie et numero societas quam Christus instituit. Id pluribus confirmamus. Et 1. quidem certum est Christum in Ecclesia sua molienda intendisse instituere societatem, quae licet ex multis capitibus spiritualis et divina dici possit, esset ta-

men societas hominum et inter homines. Sed talis societas est essentialiter seu natura sua adspectabilis. Ergo. Maior patet ex omnibus Christi gestis effatisque quotquot referuntur ad institutionem Ecclesiae. Liquet enim omnia eo fuisse a Christo directa, ut universos homines in unam veluti suorum assectarum familiam congregaret. Minor etiam est manifesta; siquidem nequeunt homines invicem in aliquod sociale consortium copulari absque mutua externa coniunctione, absque signis sensibilibus quibus inter se communicent, et ad communem finem societati praestitutum sese promoveant; absque adspectabilibus mediis et adspectabili principio auctoritatis, quod societatis unitatem conservet. Ergo. etc.

II. Christus sic instituit suam Ecclesiam, ut visibilia eius elementa ad essentialem structuram et internam ipsius constitutionem pertinerent. Sed quae ad essentialem structuram alicuius societatis spectant, dici debent eidem societati essentialia. Ergo visibilia elementa sunt essentialia Christi Ecclesiae; adeoque visibilitas de natura eiusdem est existimanda. Minor in dubium revocari nequit. Maior innotescit ex ipsa serie institutionis. Nam si Ecclesiam spectes, ut eam Christus praeformavit, invenies visibilia elementa non poni in ea ut aliquid adventitium, accessorium, et quod veluti superveniat Ecclesiae iam in suo *esse* constitutae, sed in ipsa societatis substantia, et quasi fundo collocari. Sane Christus nomine Ecclesiae nunquam aliud designavit, quam societatem visibilem a se institutam, nec unquam contrarii ullam suspicionem iniecit aut permisit. Super *petram* visibilem uti super adspectabile fundamentum aedificaturum se spopondit suam Ecclesiam, sive demum illa *petra*, ut nos dicimus, sit Petrus, sive, ut contendunt haeretici, sit Christus, aut fidei confessio. Appositis etiam similitudinibus centies Christus insinuavit non alterius societatis in Ecclesia molienda sibi ideam praestituisse, quam societatis suo genere visibilis, in qua etiam

boni et mali locum obtinerent ; quemadmodum in sagena missa in mare boni et mali pisces haberentur, in agro zizania frumento admixta , in ovili agnis consociati hoedi, in domo virgines prudentes et fatuae reperirentur. Praeterea Christus attribuit Ecclesiae nunquam in ea defecturam praedicationem evangelii , et administrationem baptismi, quod idem dicendum est de aliis ipsi traditis sacramentis: quo quidem ostendit tam fore propriam et inhaerentem Ecclesiae visibilitatem, quam uunquam ab ea removeri posset sincera evangelii praedicatio et legitima administratio sacramentorum. Suam ipsam societatem in ipso eius fundo et quasi substantia in duos ordines funditus distinxit, eorum nempe qui docendi et regendi essent, et plebem Ecclesiae constituerent ; et eorum qui ex potestate docerent atque praecessent , ac partem Ecclesiae potiorem efformarent. Quid plura? Si Christi institutionem spectes, videbis ita praeformatam ab eo Ecclesiam , sicut a suis institutoribus praeformatae sunt aliae quaevis civiles societates. Sed in his ridiculum est suspicari quod elementa visibilia non sint de natura earundem societatum. Ergo pariter de Ecclesia.

III. Sic Christus instituit suam Ecclesiam, ut visibilitati eiusmodi societatis adnecteret omnes fines essentiales, seu principales et primarios quos in eadem instituenda sibi praestituit. Ut ergo iidem fines sunt institutioni essentiales; ita essentialis est Ecclesiae conspicuitas a qua illi dependent. Saue ex dictis (sect. praec.) intendit Christus in Ecclesia et per Ecclesiam perennem facere suam in terris missionem et iuge reddere suum orale magisterium. Sed missio Christi eiusque magisterium fuere visibilia ; nec item posset Ecclesia illi muneri satisfacere, nisi esset adspectabilis societas. Ergo. Praeterea Christus intendit in Ecclesia et per Ecclesiam arcam salutis hominibus patefacere , et in ea ac per eam omnia exclusive media salutis suppeditare. Sed nisi esset Ecclesia conspicua , nec talia media

salutis extarent, nec posset eadem Ecclesia ministrare, nec homines possent ipsam agnoscere atque adire, ut mediis idoneis ad salutem proveherentur. Igitur. etc.

IV. Si Christus non spectasset conspicuitatem uti essentialem suae Ecclesiae; ipsemet elusisset omnes fines a se praeconceptos, et omnia munia a se Ecclesiae imposita. Etenim 1. si permisisset quandoque Ecclesiam fieri invisibilem; hoc ipso quandoque cessare passus esset omnia prorsus externa salutis media, ipsam etiam evangelii praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem. Unde ergo homines eo temporis intervallo salutem haurirent, aut quomodo tunc Ecclesia esset hominibus organum salutis a Christo institutum? 2. Si permisisset Ecclesiam idemtidem fieri invisibilem, hoc ipso sivisset suis eam notis sive characteribus verae Ecclesiae privari. Sed hoc posito, non posset amplius a quoquam cognosci; nec ullus posset veram Ecclesiam detegere, cum caeteroquin omnes et singuli teneantur, ut salutem consequi possint, verae Ecclesiae se adiungere. Ergo. 3. Si Christus incertam reliquisset conspicuitatem Ecclesiae; semper fas esset cuilibet dubitare num reapse suo tempore vera Ecclesia facta sit invisibilis; num cessaverit in ea sincera evangelii praedicatio, et legitima sacramentorum administratio etc. Sed si hoc, quid fieret de illis Christi effatis: *Qui vos audit me audit — amen dico vobis quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis — si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus?* Nonne in ea hypothesi liceret unicuique, quoties libeat, non audire Ecclesiam et eius vincula impune contemnere; quandoquidem liceret semper credere et affirmare quod ipsa potius Ecclesia facta fuerit Christo extranea, ac sicut ethnicus et publicanus?

V. Confirmantur haec omnia ex eo quod, uti paulo superius ostendimus; ideo revera adversarii in Ecclesiae invisibilis latebris sese abdiderunt, ut omnes Christi fines

eluderent, Ecclesiae a qua anathemate perculsi fuerant iudicium declinarent, ac quoquo modo suam defectionem cohonestarent. Adde quod illiusmodi denique Ecclesia invisibilis nonnisi nomine dicatur Ecclesia. Quî enim Ecclesia aut societas haberi possit, ubi eius membra nullo modo invicem communicant, nullo vinculo exteriori coniunguntur, nec se invicem agnoscunt aut possunt agnoscere, ac Deo soli sunt perspecta? Nimirum habetur illud quod haberetur si nulla prorsus esset a Christo instituta Ecclesia. Quin ergo Ecclesiam invisibilem comminiscantur, cur potius non dicant adversarii, falso quidem sed minus absurde, Ecclesiam idemtidem funditus concidere?

Placet pro coronide instaurare demonstrationem ex specialibus quibusdam Scripturae locis. Ac. 1. quidem (Matth. XXVIII, 19-20) habetur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, docentes servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Sermo est ad Apostolos tamquam ad dispensatores mysteriorum Dei. Mandatum praedicandi evangelium est in verbo *docete*. Mandatum administrationis sacramentorum in verbo *baptizantes*. Utriusque perpetuitas in Ecclesia legitur in verbis: *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Cf. etiam (Matth. XXIV, 14) etc.

II. (Matth. XVI, 18) *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Agi heic de Ecclesia visibili produnt verba *super hanc petram*. Ut enim paulo ante animadvertimus, sive per petram intelligatur Christus, sive confessio fidei, sive Petrus; semper fundamentum Ecclesiae est aliquid sensibile. Perpetuitatem visibilitatis exhibent verba: *portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Nam contra Ecclesiam Christum profitentem et super

hoc fundamento a sapiente architecto aedificandam portae inferorum non praevalebunt.

III. (Matth. XIII, 30-38.) *Sinite utraque crescere usque ad messem.... Ager autem est mundus; bonum semen, hi sunt filii regni. Zizania autem sunt filii nequam.* Hanc parabolam agere de Ecclesia fatentur omnes. Agere de Ecclesia visibili constat ex malis qui dicuntur esse in Ecclesia visibili, quique, iuxta adversarios, non reperiuntur nisi in Ecclesia visibili. Perpetuitatem huius Ecclesiae visibilis legimus in verbis: *sinite utraque crescere usque ad messem. Messis vero est consummatio saeculi.*

Consonat productis testimoniis doctrina Apostolorum. Nam (1. Tim. III, 15) legimus: *Ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Agi heic de Ecclesia visibili explicat verbum *conversari.* Agi de constanti visibilitate, praeferunt verba : *columna et firmamentum veritatis.* Ut enim non ita pridem adnotavimus, si posset dubitari de perenni Ecclesiae visibilitate, iam semper dubitare liceret de eius praedicationis veracitate, unde nullo pacto eadem columna et firmamentum veritatis extaret. Ergo.

Item (Eph. V, 25) *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Docemur heic Christum sanctificare Ecclesiam tamquam sponsam suam et *mundare lavacro aquae in verbo vitae*, quae procul dubio sunt visibilia. Sed haec et quae in textu sequuntur nequeunt conciliari cum notione Ecclesiae identidem corrumpendae et abolendae, et in qua ipsum lavacrum et vitae verbum corrumpatur aut amittatur. Igitur etc.

Omitto caetera ne sim nimius in re iam satis perspicua.

Tantum animadverto omnibus prophetiis veteris testamenti similiter commendari constantem Ecclesiae conspicuitatem; veluti (Isai. III, 2) *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes* etc. Item (Ps. XLVII , 9) *Sicut audivimus sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri. Deus fundavit eam in aeternum*. Denique Aggaeus iuxta explicationem Pauli (Hebr. XII , 26) *Adhuc semel : et ego movebo non solum terram sed et coelum. Quod autem adhuc semel dicit , declarat mobilium traslationem , tamquam factorum , ut maneant ea quae sunt immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes ; habemus gratiam per quam serviamus placentes Deo. etc.*

LECTIO III

Momenta Haereticorum pro Ecclesia invisibili expenduntur.

Obiic. 1. vices Ecclesiae Iudaicae. Nam 1. Aaron et populus Israeliticus (Exod. XXXII) obtulerunt vitulo holocausta. Unde tunc tota Ecclesia visibilis defecit cum capite visibili. 2. Elias (1. Reg. XIX, 14) conqueritur se relictum esse solum ; eique Dominus respondit : *Reliqui mihi septem millia virorum ex Israel, qui non curvaverunt genu ante Baal*. Ergo tunc Ecclesia facta fuerat invisibilis ; quippe illos ipsos septem mille viros Elias ignorabat. 3 (II. Paral. XV , 3) legimus : *Transibunt autem multi dies in Israel absque Deo vero , et absque sacerdote , et absque lege*. Et alia huiusmodi habentur (Is. 1, 6—LVI , 10 - Hierem. II, 8) etc. 4 Aetate Christi omnes sacerdotes et seniores populi condemnarunt illum, et omnis populus clamavit : *crucifige*. Ergo tota Ecclesia iudaica tunc defecit, quae tamen sola erat visibilis. Simi-

liter ergo ipsa visibilis Ecclesia christiana potest idemtidem deficere.

Resp. I. Ad haec atque alia quae congeri possent ex V. T. *nego paritatem*, et animadverto omnia prolata exempla non attingere nostram quaestionem. Neque enim inhaerentem Ecclesiae christianae conspicuitatem ex visibilitate Ecclesiae iudaicae demonstravimus; neque ab huius vicibus potest duci argumentum adversus Ecclesiam christianam. Quidquid enim fuerit de iudaica; ostendimus quod attenta institutione et destinatione Ecclesiae christianae, et item quod promissum sit fore in ea perpetuam evangelii praedicationem, sacramentorum administrationem, et externam fidei professionem; visibilitas ab ea, quamdiu maneat, non possit abscedere. Negatur etiam paritas, quia alia est dignitas Ecclesiae christianae prae veteri, alia destinatio, aliae promissiones. Nam, ut ait Paulus (Hebr. VIII, 6) Ecclesiae christianae testamentum *melioribus repromissionibus sancitum est.* De Ecclesia christiana dictum fuit (Matth. XXIV, 14) *Et praedicabitur evangelium hoc in universo mundo, in testimonium omnibus gentibus; et tunc veniet consummatio.* Contra dictum fuerat de Ecclesia iudaica (Dan. IX, 27) *Deficiet hostia et sacrificium.* Ac certe qualescumqne promissiones easdem haberet, eae non protendebantur ultra aetatem Christi.

Resp. II. Ad locum Exodi, nihil ibi legi de toto et omni populo. Immo Moyses ibidem contrarium insinuat (v. 26) *Siquis est Domini iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filii Levi.* De quibusdam intelligitur patratum scelus (1. Cor. I, 7) *Neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis.* Adde etiam Aaronem eo tempore nondum fuisse constitutum summum sacerdotem. Unde falso dicitur in obiectione caput Ecclesiae.

Ad (1. Reg. XIX, 14) reponimus nihil ibi dici de tota Ecclesia visibili, sed ea referri ad regnum Israelis.

Porro praeter hoc, erat regnum Iuda, in quo tempore Eliae viguit cultus Dei sub piis regibus Asa et Iosaphat. Solus Iosaphat habebat ad manum supra undecies centena millia bellatorum, exceptis aliis quos collocaverat in urbibus muratis in universo Iuda, exceptis mulieribus et pueris. Hinc ergo coniice quot adhuc hominibus pie Deum colentibus conflaretur visibilis Ecclesia.

Ad 3. Textus (II. Paral. XV, 3) agit de Israele, non de regno Iuda. Et siquid probat, evincit cessasse ibi ipsam Ecclesiam invisibilem, quae non potuisset consistere sine lege et sine Deo. Item (Isai. 1, 6) describuntur peccata populi; (Isai. LVI, 10) arguitur negligentia sacerdotum. Denique (Hier. II, 8) non agitur de omnibus.

Ad 4. Si de synagoga et populo Iudaico aetate Christi res habere putanda sit, uti ponit obiectio; tunc non modo cessasset Ecclesia visibilis, sed ob fidei universalem defectum, desiisset etiam Ecclesia invisibilis. Patet ergo hanc difficultatem nec posse hoc loco ab adversariis proponi, neque ad hunc locum pertinere, cum potius impetat indefectibilitatem Ecclesiae. Quare cum ad hanc ventum erit, opportunius ipsi satisfaciemus.

Obiic. II. (Hier. XXXI, 33) dicit Deus: *Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos...... dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum; et ipsi erunt mihi in populum.* Ergo Deus in eo distinguit Ecclesiam veterem a nova, quod illa esset coetus quidam exterior et visibilis, atque idcirco legem haberet scriptam in tabulis exterioribus et lapideis; haec autem sit populus quidam interior, ideoque legem habeat scriptam in tabulis cordis; ac propterea non habeat conspicuitatem sibi essentialem.

Resp. Admisso textu dist. sensum: secernit Deus Ecclesiam novam a iudaica, quatenus Ecclesia christiana una cum lege visibili contineret etiam prae iudaica legem invisibilem, seu legem caritatis sculptam in cordibus, per abun-

dantiam gratiae sub evangelio conferendam; *Conc.* Quatenus Ecclesia christiana carere deberet lege visibili et futura foret, vel esse posset invisibilis ; *Nego.* Nihil magis ridiculum est quam existimare in eo poni apud Hieremiam discrimen inter veterem et novam Ecclesiam, quod nova prae veteri simpliciter futura foret invisibilis , nec aliam legem habitura esset nisi invisibilem. Si enim ita res haberet ; iam valedicendum foret innumeris aliis V. T. prophetiis quibus Ecclesia novi foederis gloriosa et instar solis conspicua promittitur. Deinde nulla unquam externa lex evangelica, nulla sensibilis praedicatio, nulla missio, praefectura nulla atque etiam nullo unquam tempore adspectabilis christiana Ecclesia induci et extare debuisset. Atqui facto constat Ecclesiam , Christo ipso procurante, ortam esse visibilem ; praedicationem , missionem perpetuam , et externum regimen fuisse ab eo inducta. Ergo. Adde quod loco Hieremiae promittitur quidpiam gloriosum et praecellens Ecclesiae christianae proprium prae iudaica. Sed huiusmodi non est invisibilitas, quippe, iuxta ipsos adversarios, evadit Ecclesia invisibilis cum corrumpitur ; unde invisibilitas arguit statum defectus et imperfectionis. Igitur etc. Hac ergo reiecta interpretatione quo prophetae refertur effatum? Nimirum innuit differentiam legis mosaicae et evangelicae , de qua Paulus (Rom. VII); ut scilicet illa per se inspecta non esset nisi lex exterior doctrinae, seu dumtaxat suppeditaret praeceptum , adeoque haberetur tantum scripta in tabulis lapideis; evangelica vero simul esset lex interior, seu una cum praecepto forinsecus insonante per se importaret gratiam , adeoque simul insculperetur in cordibus et visceribus hominum.

Instant. Eodem loco subiungit Propheta: *Et non docebit ultra vir proximum suum, et vir fratrem suum dicens : cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum , ait Dominus , quia propitiabor iniquitati eorum, et peccati eorum non*

recordabor amplius. Iam verò in his habentur omnes characteres Ecclesiae invisibilis. Ergo.

Resp. Admisso textu dist. sensum: Et ea dicit Hieremias ad emphaticam expressionem futurae sub evangelio abundantiae gratiae, et facilitatis qua possint homines Dei notitiam arripere; *Conc.* Ad exclusionem Ecclesiae visibilis; *Nego*. Responsio satis patet ex dictis; et si secus esset, non diceret Isaias (LIII, 7) *Quam pulchri super montes pedes annunciantis et praedicantis pacem, annunciantis bonum, praedicantis salutem* etc. Nec in N. T. diceret Paulus Timotheo (II. Tit. IV, 2) *Praedica verbum, insta opportune importune* etc. Aut (Actor. XX, 28) *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei* etc.

Obiic. III. Isaias (LII, 1-2) christianam Ecclesiam sic alloquitur: *Non adiiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus.... Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius, et ego recipiam vos, dicit Dominus*, ut subdit Apostolus (II. Cor. VI, 14, seqq.) recitata verba exponens, qui etiam caussam addit inquiens: *Quae enim participatio iustitiae cum iniquitate...... quae conventio Christi ad Belial.* Iam vero haec nequeunt componi cum Ecclesia visibili, adeoque sinu suo complectente mundos et immundos. Ergo.

Resp. Dist. sensum testimonii: Et ea dicit Isaias de separatione fidelium ab infidelibus, quae in Ecclesiae christianae institutione esset facienda; *Conc.* De separatione quae sit facienda a peccatoribus sive occultis sive manifestis; *Nego.* Populos gentium ibi Isaias oculo prophetico contuetur, ac eos qui ex gentilitate praedestinati essent ad fidem et gratiam alloquens, verbis illis sollicitat ut ex profanis idololatriae castris transfugiant, et in instituendam christianam Ecclesiam undequaque cöcant. Proinde huc tantum revocantur phrases omnes quibus eiusmodi a numero

pollutorum et, ut ait, incircumcisorum separationem inculcat. Eundem etiam in modum interpretatur Apostolus (II. Cor. VI, 14) scribens: *nolite iugum ducere cum infidelibus; quae enim participatio* etc. Adverto etiam iuxta sensum litteralem Isaiam loqui de solutione captivitatis babylonicae et reditu iudaeorum in patriam; licet hoc typo utatur ad exprimendam hominum liberationem a captivitate daemonis, et reditum eorum ad verum Dei cultum et amorem, futurum utique in coadunatione christianae Ecclesiae.(1)

Obiic. IV. In N. T. (Luc. XVII, 20 seqq.) Christus interrogatus a Pharisaeis: *Quando venit regnum Dei?* respondit: *Non venit regnum Dei cum observatione. Neque dicent: ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Unde sic arguunt adversarii. Per regnum Dei venit isto loco Ecclesia. Sed idem dicitur inadspectabile et homini internum. Ergo.

Resp. I indirecte: non posse sensum huius testimonii esse de Ecclesia quam Christus polliceatur invisibili. Nam sic Christus sibimet verbo et opere contradixisset; quippe commendavit et condidit Ecclesiam visibilem, et constituit eiusdem tribunal ac visibile magisterium, voluitque ut omnes Ecclesiae obtemperarent. etc.

Resp. II. *Nego maior.* Contextus enim docet non agi heic nomine *regni* de Ecclesia, sed universim de Christi in mundum adventu, et de stabilienda ab eo in terris dominatione. Sane imprimis nullo modo est verisimile voluisse aut potuisse Pharisaeos de Ecclesia quaerere. Quam enim

(1) Iure adnotat Estius (in h. l.) quod si de terrena tantum Ierusalem verba Isaiae explicentur, sensus evadat humilis et abiectus, ac quodammodo etiam falsus; quippe post tempora captivitatis babylonicae saepe adhuc incircumcisi urbem et templum contaminaverunt, sicut tempore Antiochi Epiphanis, maxime vero sub Tito Vespasiano, quando templum eversum est, et civitas incircumcisis tradita ad habitandum, ac Iudaei in omnes terras captivi sunt ducti.

ipsi de ea notionem habebant, aut quid eorum ea poterat interesse? Ex alia parte Christus statim post obiecta verba iungit sermonem de suo secundo in terras adventu, de ortu Antichristi, et aliis huiusmodi. Atqui haec nullum nexum habere possunt cum iniecta, ex hypothesi, mentione fundationis Ecclesiae. Optime autem cohaerent, si supponatur antea locutus Christus de suo priori adventu; ita ut arrepta occasione ex interrogatione sibi facta, de utroque disserat. Ergo etc.

Ut igitur Christi sententia paucis exponatur; Pharisaei, sive ex animo, sive ad irridendum, cum saepe a Christo verba illa audissent: *appropinquavit in vos regnum Dei*; quaerunt quando demum foret venturum? Sed quia praeoccupati erant falsa idea quod Messias venturus esset cum pompa saeculari et regio apparatu, quodque futurum foret regnum quo Deus per Christum, et Iudaei cum eo caeteris imperarent nationibus; ideo sensus interrogationis erat: quandonam videbimus comparere hunc regem magnificum qui suum in terris temporale dominium fundet, et iugum gentium auferat?

Respondet Christus: ***Regnum Dei non venit cum observatione***; seu frustra expectatis regnum Dei, si cum hoc apparatu veniens opperimini. Non venit ipsum cum hac pompa; neque ad huius pompae praesentiam est agnoscibile. Proinde non dicetur tamquam ad huius pompae praesentiam: ***Ecce hic*, *aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.*** Videlicet: regnum Dei venit in humilitate et sine strepitu. Ac si velletis, possetis agnoscere iam existens et florens. Nam ipsum iam extat inter vos licet in statu humili. Sicuti et Baptista dixerat de Christo (Ioan. 1, 26) ***Medius vestrum stetit quem vos nescitis.*** (1)

---

(1) Ipsi interpretes Protestantes viderunt loco obiecto praepositio-

Pergit Christus : *Venient dies quando desideretis videre unum diem filii hominis , et non videbitis*. Nimirum nunc quidem homines nolunt agnoscere humilem Messiae adventum. Veniet tempus quando desiderabunt unum diem praesentiae eius in terris , sed frustra. *Dicetur illis* : *Ecce hic Messias et ecce illic* : *nolite sectari*. Nam Messias ille non est , sed antichristus. Ilic utique , ad illudendum , veniet cum observatione. Ne putetis Messiam. Veniet enim tunc utique Christus , sed eius iteratus adventus erit transitorius et instantaneus. *Num sicut fulgur coruscans de sub coelo , in ea quae sub coelo sunt fulget ; ita erit filius hominis in die sua. Sed ante haec debet ille multa pati et reprobari a generatione hac*. Iam ergo advenit Messias , nec mirari est si sic advenerit.

Instant. Christus (Ioan, IV , 20 seqq.) mulieri Samaritanae obiicienti : *Patres nostri in monte hoc adoraverunt , et vos dicitis quia Ierosolymis est locus ubi oportet adorare* ; respondit : *Mulier , crede mihi, venit hora quando neque in monte hoc , neque in Ierosolymis adorabitis Patrem . . . Sed venit hora , et nunc est , quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate . . . Spiritus est Deus , et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*.

---

nem *intra* ἐντὸς poni in sensu *inter* seu *in medio*. Grotius exponit: *in ipso populo Iudaico regnum illud incipit vires suas exerere , vobis non observantibus. Signum autem huius rei evidens sunt miracula , praesertim eiectio daemonum , ut dicit Christus* (*Matth. XII, 28*) *ubi voce* ὑμῶν *similiter populi iudaici universitas intelligitur*. Pricaeus : ἐντὸς ὑμῶν *dicitur ut* ἐν ὑμῖν (*Ioan. 1, 14*) *et* ἐν ἡμῖν (*Luc. 1, 2-VII, 16*) *et* ἐν Ἰουδαίοις (*Ioan. XI, 45*) Beza etiam scribit : ἐντὸς *hic emphaticum est , ut significetur , Messiam ita apud eos esse , ut minime lateat , sed in medio versetur omnium conspectui expositus , ut* (*Ioan. 1, 26*) *eosque non modo propinquum, sed intus etiam , idest domi suae , Messiam habere*. Cf. Critt.sacr. in h.l.

Ergo Ecclesia novi testamenti non consistit in aliquo signo exteriori, nec est alligata locis et caeremoniis visibilibus etc.

Resp. Dist. conseq. Si ea diceret Christus sensu absoluto, et ad exclusionem cuiuscumque cultus adspectabilis, *Conc.* Si ea dicit tantummodo per oppositionem ad sensum et erroneam mentem Samaritanae; *Nego.* Si Christus intelligatur locutus sensu absoluto, tunc 1. damnabitur omnis cultus exterior; quod nec ipsi Protestantes admittunt. Deinde Christus ipse suum praeceptum violasset, utpote ascendere consuevit ad templum cum discipulis ad orandum. Admisit semel iterumque sui adorationem; de genibus et prostratus erat pernoctans in oratione Dei. Visibilia etiam instituit sacramenta, etc. Nequeunt ergo verba Christi sumi sensu absoluto et exclusivo. Unde restat ut accipiantur per oppositionem ad mentem Samaritanae. Nimirum: *venit hora qua neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitis Patrem* h. e. nullus erit determinatus, ut antea, ad sacrificandum locus, sed ubique per omnes nationes et regiones offeretur sacrificium, iuxta Malachiae vaticinium (I, 11). *Adorabunt Patrem in spiritu et veritate*; nempe cultu prosequentur non ut illo iudaico aut samaritico, carnali, typico, et per se bona carnalia spectante; sed spirituali, i. e. spiritu fidei dilectionis ac sincerae subiectionis informato; nec morante in umbris et figuris, sed attingente rei veritatem. Reddit postremo caussam prioris effati (v. 24): *Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*

Obiic. V. s. Petrus (I Ep. II, 5) *Et ipsi*, inquit, *tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Unde ex d. Petro fideles sic superaedificantur Christo, et exsurgunt in unum Ecclesiae aedificium, ut conflent domum non

corpoream, sed spiritualem, nec alias offerant hostias, quam spirituales. Iam vero haec conceptum exhibent Ecclesiae invisibilis. Ergo.

Resp. Imprimis absurdissimum esse vel suspicari quod verba obiecta referantur ad invisibilitatem Ecclesiae. Etenim heic Petrus scribit ad Ecclesiam visibilem. Scribit ut praeses visibilis a Christo constitutus talis Ecclesiae. Mox etiam (cap. V, 1 seqq.) *Seniores*, inquit, *qui in vobis sunt obsecro consenior et testis Christi passionum... neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* etc. Quomodo haec habere possent locum in Ecclesia non conspicua? Alio ergo verba Apostoli spectare debent.

Itaque *Dist. mai. subnexi argumenti.* Ex d. Petro fideles conflant domum spiritualem, hoc est invisibilem; *Nego.* Spiritualem, hoc est non pure materialem, et mysticam; *Conc.* Item qui offerant hostias spirituales, seu mere internas; *Nego.* Spirituales, seu non carnales et cruentas, quales erant sacrificia Iudaeorum; *Conc.* Ipsemet Petrus in reliquo hoc capite declarat eiusmodi hostias spirituales esse continentiam corporis, subiectionem legitimis potestatibus, opera misericordiae etc. quae non sunt mere interna; sicut etiam dicitur (Rom. XII, 1—Hebr. XIII, 15) etc. Ac certe Paulus (Rom. X, 10) ad salutem exigi declarat ipsam oris confessionem: *Ore autem confessio fit ad salutem.* Si ergo hostiae de quibus Petrus, mere internae non sunt et invisibiles; neque Ecclesia a qua illae offerri debeant intelligi potest invisibilis. Quod etiam confirmat scopus Apostoli, qui est ut exhortetur fideles ad praxim omnium virtutum, ad quem profecto nihil referebat adstruere Ecclesiam inadspectabilem. Vocat igitur eiusmodi Ecclesiam domum spiritualem 1. ut distinguat a domo mere materiali proprie dicta, et sic modificet atque explicet metaphoram a se usurpatam: tum etiam propter significationem mysticam; quia per domum materialem et

proprie dictam, quale fuit templum Salomonis, aut tabernaculum Moysis, fuit praefigurata. (1)

Obiic. VI Mentem s. Petri explicat d. Paulus (Hebr. XII, 18—25) inquiens de Ecclesia: *Non enim accessistis ad tractabilem montem, et accensibilem ignem, et turbinem, et caliginem, et procellam . . . . Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Ierusalem coelestem, et multorum millium Angelorum frequentiam. Et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in coelis* etc. Ubi Paulus synagogam comparat monti Sinai visibili et tangibili; Ecclesiam vero monti Sion spirituali. Unde vi oppositionis eandem praedicat inadspectabilem etc.

Respondent aliqui cum Theophylacto et Oecumenio *per montem Sion et civitatem Dei viventis* non intelligi Ecclesiam militantem, sed triumphantem in coelis: unde et ibidem additur: *et multorum millium Angelorum frequentiam, et Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in coelis*. Verum excludi Ecclesiam militantem non patitur antithesis quae est inter duo membra comparationis. Sicut enim in textu obiecto mons Sina allegorice vetus Testamentum significat, eiusque filios; ita mons Sion ac Ierusalem quam e vestigio nominat, significationem habet novi Testamenti, uti pariter docet Apostolus (Gal. IV, 24 seqq.) Praeterea excludi Ecclesiam militantem non patitur scopus Pauli, qui est ut Hebraeos in susceptae fidei christianae proposito confirmet, commendata praecellentia novi testamenti prae veteri; unde quod hic in terris erat testamentum, cum antiquo synagogae pacto debuit conferri.

Ob haec alii existimant per montem Sion et civitatem Dei viventis intelligi Ecclesiam modo quodam generaliori

(1) Cf. Estium in h. l.

sumptam, prout nempe militantem ac triumphantem simul complectatur. Quatenus quoad substantiam mutuo identificantur, et Ecclesia militans ad triumphantem ordinatur, ad ipsam proxime ducit, habetque in illa, licet in terris degat, suam conversationem (Philipp. III, 20). Vicissim vero Ecclesia triumphans tamquam in sui partem, influit in militantem, eiusque finem et metam constituit. Unde et per modum unius utraque heic Ecclesia oculis Hebraeorum subiicitur.

Hisce praeiactis, ad argumentum *Dist. antec.* Paulus synagogam comparat monti visibili; Ecclesiam monti Sion spirituali, qualenus Ecclesia prae synagoga sit inadspectabilis; *Nego.* Quatenus multis spiritualibus praerogativis prae synagoga per se plane terrena et carnali polleat; *Conc.* Ex dictis apparet nihil ad scopum Pauli contulisse ut hoc loco Ecclesiam invisibilem praedicaret; ac insuper ridicule scribens ad Ecclesiam visibilem, eiusdem invisibilitatem extolleret. Itaque quaecumque disserit, referuntur dumtaxat ad recensendas spirituales praerogativas Ecclesiae christianae prae iudaica. Eiusmodi sunt 1. quod testamentum datum Ecclesiae iudaicae traditum fuerit in Sina cum omnigeno terroris apparatu: Ecclesiae christianae in Sion monte contermino Ierusalem, seu urbi pacis. 2. Quod in illo datus sit spiritus timoris; in altero adoptionis et dilectionis, uti explicatur etiam (Rom. VIII, 15) 3. Ad illud homines accesserunt passibus corporis; ad alterum passibus fidei. 4. Promissiones antiqui foederis per se fuerunt mere temporales; in novo autem sint spirituales, et qui ad ipsum pertineant inserti censeri possint re aut ordinatione seu fine *civitati Dei viventis*, *Ierusalem coelesti*; etc. 5. Quod vetus testamentum firmatum fuerit sanguine brutorum; novum vero sanguine mediatoris Iesu. 6. Illud sanxit Deus in terra; hoc ratum habet de coelo. 7. Illud fuerit mutabile et tempo-

raneum; alterum vero immutabile et sempiternum. (1)

Obiic. VII ex ratione theologica in hunc modum: Ecclesiam esse, est articulus fidei, quippe in symbolo dicimus: *credo sanctam ecclesiam*: sed quod est fidei articulus non videtur, sed creditur. Ergo. (2)

Resp. Dist. min. Quod est fidei articulus non videtur, quatenus est fidei articulus; *Conc.* Sub alio respectu; *Nego.* Multa sunt quae duplicem veluti cognitionis statum habent, ut nempe et naturali experientiae aut demonstrationi subsint; et item fidei revelatae obiectum constituant, sicuti est existentia Dei, et alia huiusmodi. Similiter ergo dicendum de Ecclesia quae quatenus visibilis est, et per suas notas omnibus conspicuas se manifestat, ipsi sensum experientiae, et naturali h. e. naturali ratione ductae demonstrationi subest. At vero hoc non vetat quominus abstractione facta ab eo quod de Ecclesia videtur et naturaliter intelligitur, eadem in fidei obiectis recenseatur in supernaturali revelatione contentis. (3)

---

(1) Cf. Estium-comment. in h. l.

(2) Ita Lutherus (lib. de abrog. miss. priv. par. 1.)

(3) Propositae difficultati nonnulli theologi respondent in *Ecclesia aliquid* videri et aliquid credi: videri coetum hominum qui est Ecclesia; sed quod ille coetus hominum sit vera Christi Ecclesia, non videri sed credi. Sicut, inquiunt, baptismus quatenus est ablutio exterior, cernitur; quatenus vero est sacramentum, creditur; et in symbolo dicimus: credo unum baptisma. Similiter Apostoli videbant humanitatem Christi; at eam hypostatice coniunctam esse divino Verbo, non videbant sed credebant. etc. Ita Tournelyus (De Eccl. Art. VII, concl. 1.) et alii. Verum eiusmodi rem explicandi modus non videtur satis probandus; quippe, nisi caute illud exponatur, exinde sequeretur, non posse nos per notas verae Ecclesiae, ut inferius praestituri sumus, demonstrare illum coetum visibilem hominum qui profitentur Christi fidem sub rom. Pontifice, esse veram Christi Ecclesiam, sed hoc tantum haberi per fidem; quod profecto nemo cordatus admittet.

LECTIO IV

Ex disputatis colligitur universim anima et corpore constare Ecclesiam; ac quaenam ad animam, aut corpus, aut ad utrumque referenda sint, praefinitur.

Si, quod hactenus propugnatum est, Ecclesia in genere visibilis societatis continetur, si et regimen habet et externum magisterium, et reliqua omnia elementa adspectabilia quae nuper recensuimus; profecto materiali quadam seu sensibili sui parte constare debet. Si enim hanc de medio tollas; iam Ecclesiae conspicuitas plane adimitur. Alioquin vero quiddam mere materiale esse non potest. Primo enim est quaedam humana societas: omnis autem humana societas est conspiratio multorum hominum ad consecutionem alicuius boni communis ab omnibus cogniti et intenti: unde ab intellectu et actibus intellectus et voluntatis praescindi nequit. Deinde Ecclesia est societas ordinis spiritualis et supernaturalis; ad finem tendit supernaturalem sanctificationis animarum et sempiternae felicitatis; mediis utitur supernaturalibus: ergo mere materialis esse non potest. Denique illud complecti debet Ecclesia, per quod et in esse societatis, et in gradu talis societatis ab omni mere humana societate distinctae constituatur. Hoc autem esse non potest quidpiam materiale; sed aliquid esse debet, quod elementum materiale determinet ad formam socialem, et elevet ad ordinem societatis supernaturalis. Igitur etc.

His positis, nihil vetat quominus partem Ecclesiae materialem, eiusdem *corpus* nuncupemus; et partem spiritualem ac supernaturalem appellemus *animam*. Primo enim in quavis visibili societate pars materialis, eius corpus dici consuevit, et pars formalis anima. Deinde vero id eruitur ex quadam ad hominem analogia. Ut enim in physico humano individuo distinguitur corpus et anima; ita

in morali individuo, quod est unaquaeque societas, duo illa paribus nominibus discriminari possunt. Atque ex his rite concluditur Ecclesiam duabus partibus realibus, tamquam substantialibus componentibus, coagmentari, nempe corpore et anima.

Neque vero omnia haec ad arbitrium, aut philosophica tantum ratiocinatione adstruuntur. Suffragantur ss. litterae, quae saepe distinguunt animam et corpus Ecclesiae; uti (1. Cor. X, 17) *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Nimirum, ut unus est panis eucharisticus quem omnes Ecclesiae filii participamus; ita unum Ecclesiae corpus universi invicem consociati conflamus. Item per panis unius sumptionem efficimur corpus unum tum cum Christo, tum inter nos. Ac denique, ut ex multis granis fit unus panis; ita ex multis fidelibus fit unus panis sacer et vivus, unum scilicet corpus mysticum. Similiter (ibid. XII, 12-13) *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus*: nimirum ita et Christus unum est corpus analogicum mysticum et spirituale in et cum suis membris, quae multa et varia sunt. Pergit Paulus: *Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus... et omnes in uno spiritu potati sumus.* Videlicet uno spiritu tamquam eadem informante anima a principio in baptismo in unum corpus coaluimus; et subinde in Eucharistia unius spiritus participatione refecti, tamquam iugi animae vitali influxu, in uno corpore continemur.

Ex his satis per se liquet quid universim ad Ecclesiae corpus, quid vero ad animam referri debeat. Nimirum omne id quod in Ecclesia visibile est et determinabile, aut ad horum ordinem redigi queat, in Ecclesiae corpore recensebitur; animae vero tribuetur quidquid est per se spirituale, informans ac vivificans corpus Ecclesiae, aut ad haec potest revocari. Quamobrem imprimis ad corpus Ec-

clesiae spectat materialis hominum aggregatio , qui christiani sunt; ipsae eorum adspectabiles personae, ut ex eis materiale Ecclesiae consortium resultat. Sicut corpus exercitus constituunt militum personae materialiter inspectae, prout concipiuntur non divisae , sed in unum agmen efformandum coagmentatae. Secundo ad corpus Ecclesiae pertinet omnis visibilis actio huius corporis, in quantum visibilis extat. Tum externum regimen quo afficitur , prout ipsum externe proditur et in adspectabilibus numeratur. Item omne visibile medium quod tale corpus praesto habeat ; imprimisque praedicatio et sacramenta , quae per se sunt visibilia. Denique eodem refertur quidquid Ecclesiae corpori visibiliter contingit, uti externa charismata Spiritus Sancti, martyria passive accepta, religionis conservatio et propagatio , sensibilis Ecclesiae exaltatio etc. Totus enim hic rerum complexus atque visibilis est , et nonnisi in corpore Ecclesiae recipitur atque existentiam habet. Unde haec legitime, qua parte saltem adspectabilia sunt , ad corpus Ecclesiae revocantur.

Ad *animam* Ecclesiae, ut nuper innuimus, ex adverso pertinet quidquid spirituale est et activum, inquantum est huiusmodi. Proinde huc primo refertur *Fides*, ut nimirum corde tenetur, et intime quis Deo revelanti acquiescit. Etenim fides est qua Ecclesia in esse societatis constituitur ; per eam enim homines in formam socialem coaptantur ; per eam manifestatur ipsis commune bonum ad quod conspirent ; per eam media a corpore sociali proposita complectuntur ; per eam in Ecclesiae obedientia et regimine immobiles consistunt. Per fidem etiam Ecclesia in *esse* talis societatis, seu societatis spiritualis et supernaturalis constituitur. Societas enim speciem sumit a bono in quod tendit, cui propterea ordo mediorum et reliqua omnia conformari debent. Iam vero bonum in quod christiani conspirent, non detegit ac proponit nisi fides ; unde eadem ab Apostolo (Hebr. XI, 1) definitur : *sperandarum substantia rerum*. Ergo.

Sequitur in anima Ecclesiae *Spes*. Haec enim ex modo recitato Pauli textu per se ex fide pullulat. Ac praeterea absque spe Ecclesia non esset societas. Non enim datur humana et terrena societas absque conspiratione, seu tendentia ad bonum; (1) sed haec evadit impossibilis, ubi desit spes idem bonum assequendi. Ergo. Praeterea si fides tantum praesto sit, habebitur collegium multorum qui theoretice de quibusdam rebus inter se consentiant; at vero nullo modo extabit societas, quae, ex dictis, debet necessario communem boni cognitionem in communem ad ipsum tendentiam extendere.

Superest in anima Ecclesiae recensenda *caritas*, sive *dilectio*. Omnis enim societas, ex dictis, debet tendere in bonum sibi propositum, cum ex definitione sit conspiratio multorum hominum in commune bonum ab omnibus cognitum et volitum. Sed tendere est conspirare, ac nequit quispiam in aliquod bonum tendere, nisi illud amet. Ergo nisi Ecclesia informaretur caritate, ipsum esse sociale amitteret. Quam in rem ulterius animadverte, perfectionem cuiuslibet entis desumi ex proportione qua polleat ad consecutionem finis sibi congeniti. Sed Ecclesia absque caritate nullam amplius haberet proportionem ad suum finem; quippe absque

(1) Consulto diximus *humana* et *terrena* societas: siquidem in societate coelesti, seu Ecclesia triumphante, profecto spes et ei respondens tendentia dari nequeunt: sed ibi unitas intelligentiarum et voluntatum erit summa ex ipsa possessione summi boni, qua omnes bonum commune *facie ad faciem* intuebuntur, et consequenter naturali ac necessario amore unanimiter prosequentur. Unde ut in quovis individuo distingui potest inadaequata perfectio, quae sistit in tendentia ad bonum; et adaequata, quae posita est in eiusdem possessione; ita et in societate licet duos eiusmodi gradus perfectionis secernere. Quo fit ut Ecclesia militans, cuius est ad bonum infinitum tendere, imperfecta sit respectu Ecclesiae triumphantis, quae eiusdem boni infiniti possessione fruitur.

tendentia ad suum bonum sociale plane enervis et inutilis evaderet ad eiusdem assecutionem, ac media salutis sibi commissa omnino negligeret. Ergo omnis etiam ei perfectio socialis deesset, nec in se exhiberet nisi mortuum quoddam aggregatum hominum, qui se christianos nuncuparent. Adde quod fluxu temporis Ecclesia dilectione orbata, nec spem aut fidem posset conservare. Denique si eadem est Ecclesia Christi, et ut passim scripturae perhibent, tamquam propria sponsa amatur a Christo; profecto debet ipsa vicissim Christum diligere. Consonant autem eiusmodi momentis rationis Scripturae effata. Nam (Iac. II, 17) fides sine operibus, ac proinde absque dilectione dicitur *mortua in semetipsa*. Item (1. Ioan. III, 14) legimus: *Qui non diligit, manet in morte*. Et alia huiusmodi; quae si vera sunt de quolibet individuo, a fortiori veritatem habent de tota Ecclesia.

Sequitur quarto in anima Ecclesiae *gratia* sive actualis et adiutrix, sive habitualis et sanctificans. Etenim fides spes et caritas virtutes sunt suo genere supernaturales. Igitur quam hae necessariae sunt in anima Ecclesiae, tam necessaria est gratia supernaturalis, per quam solam eiusmodi virtutes infundi possunt et conservari. Unde Paulus (Eph. V, 25, seqq.) iure innuit promeruisse Christum et contulisse suae Ecclesiae omnium thesaurum gratiarum: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret . . . . Ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata* (1).

---

(1) Cum Protestantes ex suo systemate de iustificatione impii, non admittant internam sanctificationem per gratiam sanctificantem, nec veram remissionem peccatorum, sed tantum eorundem non imputationem; patet eos spoliare Ecclesiam praecipua parte ipsius animae. Siquidem habebitur Ecclesia intrinsecus tota quanta est peccatis tum

Quinto loco revocantur ad animam Ecclesiae reliqua omnia interna dona Spiritus Sancti, quibus Ecclesiae sanctitas et actuositas amplificatur, et efficacior redditur. Item omnis facultas atque potestas, qua Ecclesia interius instructa in actus suae missioni consentaneos externe prosilit. Haec omnia sunt pars interna, spiritualis, activa, et principium omnis motus in Ecclesia. Unde eadem iure anima vel forma Ecclesiae nuncupata sunt, cum formae seu animae officio amussim fungantur.

Ex dictis autem facile colligitur Ecclesiam, licet humanis individuis constet tamquam materia; esse tamen societatem intrinsece, essentialiter, et suo genere *supernaturalem*. Non enim origine tantum, fine ac mediis est supernaturalis; sed etiam intrinseca forma et vivificante principio, quod ipsum, ex disputatis, est essentialiter supernaturale. Quoniam autem eiusmodi supernaturale elementum non inexistit tantummodo Ecclesiae corpori; sed illud in esse talis corporis socialis constituit, permeat quaque versus et informat, eiusque omnem motum et actionem producit et administrat; hinc ipsum corpus Ecclesiae per se materiale, quamdam veri nominis elevationem ac supernaturalitatem induit; adeoque tota societas, seu Ecclesia, supernaturalem dignitatem et ordinem nanciscitur.

Sequitur etiam ex disputatis non posse concipi existentiam Ecclesiae Christi absque perenni in eam influxu Spiritus Sancti. Non enim potest concipi subsistens Ecclesia, non perseverante eius anima. Sed anima nequit perseverare absque iugi influxu gratiae, seu Spiritus Sancti. Igitur etc. Hinc, ut obiter adnotemus, constans incorruptio in fide et moribus, ac indefectibilis sanctitas dicenda est Ecclesiae, saltem quamdiu duret, essentialis. Quippe,

---

originali tum actualibus foeda, gratiae sanctificantis, adeoque formae caritatis et dilectionis expers. Proinde ipsorum conventicula, quae vocant Ecclesiam, ex hoc uno patet esse synagogas Satanae.

quamdiu durat, essentiale Ecclesiae est ut sua informetur anima. Sed anima non datur nisi fides et sanctitas Ecclesiae sit incorrupta, et actu veluti inspiretur a Spiritu Sancto, qui iugiter spiret in Ecclesiam spiraculum vitae. Ergo.

Atque hinc rite infertur quod nequeant ista duo mutuo componi, ut voluerit Christus Ecclesiam perpetuo durare, et nihilominus fieri possit ut aliquando fide et moribus corrumpatur. Corrumpi enim Ecclesiam fide et moribus, est eius animam labefactari. Sed labefactari eius animam, est Ecclesiam interire. Interire autem nequit componi cum perpetua duratione. Si ergo constare possit voluisse Christum ut nunquam Ecclesia cessaret; hoc ipso dicendus est voluisse, ut nulli corruptioni foret obnoxia. Iam vero ipsimet Protestantes, ex dictis (lect. 1. hui. sect.) unanimes fatentur veram Christi Ecclesiam nunquam esse interituram. Igitur etc.

Liquet etiam ex praestitutis principiis cur Ecclesia *sponsa* dicatur Spiritus Sancti. Siquidem apparet intimam dari communicationem inter hunc et Ecclesiam: eandem Spiritus Sancti iugi afflatu foveri et ali, ac subiectum esse immediatum et adaequatum effusionis omnium charismatam, quae Spiritus Sanctus eidem perpetuo confert. Ex sui vero parte Ecclesia totam se Spiritui Sancto fingendam et regendam tradit; eiusdem dona rite sancteque commissis sibi fidelibus administrat. Ipsa demum Spiritu Sancto foecundata non cessat Deo procreare filios, quos etiam materna sollicitudine ultra ipsos vitae mortalis fines complectitur.

Ultimo ex disputatis inferimus Ecclesiam ratione animae qua informatur, vivum templum esse ss. Trinitatis. Si enim (Ioan. XIV, 23) de quolibet iusto dixit Christus: *Siquis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus*; quod item saepe repetit Paulus (1. Cor. III, 16-17-VI 19, etc.); quanto magis id competit Ecclesiae, quae ex sui anima est essentialiter iusta, et cui tantum uti membra insiti singuli iusti tales esse possunt. Atque ex hoc

principio licet denno inferre perpetuam incorruptionem et sanctitatem Ecclesiae, in eundem modum ac nuper agentes de iugi in Ecclesiam Spiritus Sancti influxu, evidenter praestitimus.

LECTIO V

Ex praeiactis de anima et corpore Ecclesiae principiis definitur quinam ad eiusdem animam, vel corpus, vel utrumque pertinere dicendi sint.

Quae superiori lectione disseruimus de anima Ecclesiae, deque eius moralibus partibus fide spe et caritate, spectant ad totam Ecclesiae societatem collective sumptam; non vero possunt similiter ad singula individua ex quibus Ecclesia coalescit, ex aequo transferri. Nam imprimis argumenta quibus usi fuimus non militant similiter pro tota collectione atque pro individuis seorsim inspectis. Deinde vero in quavis societate, ut quis ad eam quoquo modo pertineat, id unum sufficit, ut vincula externa quibus ipsi societati adstringitur, minime abrumpat. Dantur ergo varii gradus in eo ut quis ad quamdam societatem spectet. Perfectus gradus est ut non modo externe cum reliquis societatis membris communicet; verum etiam interne fini a societate intento sese sincere conformet, et ad ipsum consequendum serio adlaboret. Sic quidem non modo membrum est quispiam societatis, sed membrum vivum et utile, cui etiam de benefactis societas aequam debeat retributionem. Remissior gradus est, ut quis caetera nondum exuens, nulla tamen patria caritate animetur; nullatenus societatem iuvet; nec mediis a societate praestitis ad propriam perfectionem et felicitatem procurandam utatur. Erit hic quidem membrum societatis inutile ac mortuum, sed tamen adhuc censetur membrum, cum nondum omnis ratio consociationis et socialitatis in eo interierit. Finge etiam quempiam ab ipso fine societatis positive sed interius, plane deficere;

pone quoque in animi sui latebris societatem odio prosequi, et adversus eam machinari. Non propterea putabitur societati iam omnino, tum scilicet interne tum externe extraneus, licet utique membrum in se sit non modo inutile ac mortuum, sed etiam rebelle. Tunc autem a societate plane exsectus habebitur, cum externe suam pristinam consociationem aut renuntiatione, aut manifesta rebellione retractet. Et hoc aut ipso iure per externam rebellionem; aut etiam facto, quando a legitima potestate e corpore societatis excidetur.

Haec rata et explorata habentur ex iis quae in qualibet humana societate contingunt; unde nec indigent confirmatione. Merito autem sic se gerit omnis humana societas. Si enim iudicium de perseverante consociatione membrorum societatis ab aliquo elemento mere interno penderet atque invisibili; iam ignoraremus e vestigio omnes, quos societatis membra, quos vero eidem extraneos censere deberemus; unde continuo teterrima confusio omnium mentes occuparet; socialis auctoritas in se et in suae potestatis exercitio nutaret; iura et officia in ipso sui fundamento everterentur etc.

Quae cum ita sint, similiter disserendum est de Christi Ecclesia. Nec dicas: ideo sic res habet in humana societate, quia nullus est qui possit hominum corda et internas affectiones scrutari. At vero transferri hoc nequit in Ecclesiam, quae oculis Dei quanta est, tota patet. Id, inquam, futile est. Non enim sufficit ut nequeat, in eo quo de agimus, errare Deus aut confundi. Sed necesse est etiam ut in confusionem non adigantur ii ex quibus, et propter quos est instituta Ecclesia; quique debent eam agnoscere et complecti, ipsâmet regi atque iuvari, ei obtemperare, etc. Si ergo conceditur, quod nullo pacto negari potest, omnimodam perturbationem inter homines orituram, si manentibus externis vinculis, possit quispiam esse extraneus Ecclesiae; quid refert Deo statum Ecclesiae fore quaque versus perspectum?

Ut igitur quae in Ecclesia distinguenda sunt, rite secernamus; 1. potest aliquis esse de anima et corpore Ecclesiae, quatenus praeter externae communionis vincula, internis nexibus eiusdem fidei Ecclesiae adstringatur, ac praeterea spe polleat et caritate. Erit hic adaequate Ecclesiae membrum, vivum membrum et actuosum, quodque vitales succos Ecclesiae complete participet. 2. Potest aliquis caritate destitui, aut etiam spe, sed nondum amissa fide, neque abiectis vinculis externae communionis. Hic quidem non participabit adaequate animam Ecclesiae, et quoad caritatem aut etiam spem non erit de Ecclesia. Ad ipsam tamen quoad reliqua pertinebit, ac nominatim ex anima Ecclesiae parte illa instruetur, quae radix est et germen spei et caritatis; unde licet vitae principium completum haud possideat, tamen omni vita spirituali non carebit; cum et ipsum per se *credere* sit inchoate vivere in ordine spirituali. Denique potest aliquis ipsam interius fidem amisisse, quin tamen suam infidelitatem exterius exprompserit. Nihil in eo erit residuum de anima Ecclesiae; adeoque erit illi omnino extraneus: sed tamen manet adhuc in corpore, a quo nec externa rebellione, nec accepta separatione est adhuc divulsus. Ac tametsi ex omnimodo defectu animae, quovis proximo vitae principio destituatur; habet tamen remotum quoddam vitae principium in ipsa externa fidei professione et adhaesione ad corpus Ecclesiae. Hac enim facilius potest ad fidem revocari, et adhuc subest influxui mediorum salutis, quae Ecclesia suis membris administrat, regimine etiam praesidum Ecclesiae ad bonam frugem perpetuo sollicitatur, etc.

Restat ergo ut sola fidei externa negatio, aut externa sensibilis communionis et subiectionis debitae legitimis Ecclesiae pastoribus abruptio, possit hominem christianum ab Ecclesia plane extorrem constituere. Hoc autem dupliciter. 1. Quidem si externe sed occulte quis vincula fidei aut communionis exscindat. 2. Si publice et notorie id ad-

mittat. In primo casu occultus haereticus aut schismaticus: in secundo publicus haereticus aut schismaticus habebitur. Similiter potest aliquis ita separari ab Ecclesia *ipso iure*; merito nempe propriae rebellionis externae adversus fidem aut communionem. Secundo non *iure* modo, sed et *facto*, si nimirum legitimi iudicis sententia ab Ecclesia *excommunicetur*. Tertio demum *facto*, sed non *iure*, si scilicet per errorem aut nequitiam iudicis quispiam Ecclesiae communione privetur, in quo casu idem ad corpus Ecclesiae non spectabit, sed pertinebit ad animam, nec externa scissione sibi iniuste inflicta ullatenus laedetur. Dixi: non spectabit ad corpus; nisi enim iniusta excommunicatio hunc saltem effectum haberet; ingens incommodum societati ingrueret: posset enim excommunicatus quilibet Ecclesiae sententiam contemnere, seque adhuc in membris ipsius recensere, caussatus sibi per errorem aut animi pravitatem sententiam inflictam. Ipsa etiam Ecclesiastica auctoritas intrinsece labefactaretur; quippe ex *inconditionabili* evaderet a conditione iudicii recte et rite lati suspensa. Quis porro Ecclesia ipsa superior gliscentem litem inter individuum anathemate perculsum et ipsam Ecclesiam dirimeret?

Praeter hos omnes modos, potest aliquis nondum Ecclesiae communioni externe per baptismum esse cooptatus, sed tamen fide aut etiam spe et caritate in animo instrui, qui consequenter animae Ecclesiae omnino aut ex parte accensendus erit, tametsi ex defectu baptismi extra Ecclesiae corpus adhuc vagetur.

Ex his principiis iam fas est cuivis hominum classi in Ecclesia vel extra Ecclesiam locum designare. Imprimis sermo sit de praedestinatis ad fidem et gratiam, qui nempe hic et nunc fide spe et caritate careant; sed tamen aliquando, saltem in vitae exitu, sint credituri. Pronum est respondere, quod huiusmodi pertineant ad animam Ecclesiae *in potentia*, *praevisione* Dei, et *praedestina-*

tione., nullo vero modo *in actu*; quandoquidem actu nihil de anima Ecclesiae participant. Quamobrem effutire cum haereticis superius commemoratis, quod Ecclesia constet ex solis praedestinatis, tantumdem est ac asserere, Ecclesiam magna saltem ex parte conflari iis qui nullo modo animam Ecclesiae, participant, nec ullo exteriori vinculo eius corpori adhaerent, nullo idcirco modo christiani sunt; sed vel gentiles, vel islamitae, haeretici, aut schismatici; atque iis etiam qui nondum sint nati; quae sunt perabsurda.

II. Spectemus illos qui sola fide sint instructi, aut etiam spe et caritate: nondum tamen baptismum susceperint, quales sunt catechumeni. Nemo non dicet hos perfecte aut imperfecte ad animam Ecclesiae pertinere, prout fide tantum, aut praeterea spe et caritate exornentur. Constat etiam hos, si citra culpam ante susceptum baptismum obeant, posse salvari. Licet enim extra Ecclesiam nulla salus obtingat; hoc tamen de iis intelligitur qui sint extra tum corpus tum animam Ecclesiae, et nec re nec voto ad eiusdem corpus pertineant. Tales autem non sunt catechumeni. Ergo etc. (1)

(1) Scio Bellarminum (lib. III de Eccl. mil. cap. III) aliosque docere, catechumenos nullo alio titulo ad Ecclesiam spectare, quam *potentia*, itemque *voto* seu *desiderio*. Id si de corpore Ecclesiae dictum intelligatur, nulli controversiae est obnoxium. Sed si referatur ad animam, salva tantis doctoribus debita reverentia, non admitto. Cur enim qui adaequate vel inadaequate animam Ecclesiae participent, putandi non sunt ad animam Ecclesiae pertinere? Cur, ut Bellarminus affirmat, salvari dicantur catechumeni solo desiderio cooptandi se Ecclesiae; et non magis tali simul desiderio, et praecipue quod de anima Ecclesiae iam extent? Quod nondum catechumeni baptismo sint abluti, probat quidem non posse eos referri actu ad corpus Ecclesiae, non vero nec aditum ipsis patere ad animam Denique favet nostrae sententiae Augustinus qui (tract. IV in Ioan.) dicit cathecumenos esse in Ecclesia. Et (tract. XII in Ioan. ac lib.

III. Qui fide pollent spe et caritate, et per visibile baptismi sacramentum adnumerati sint in corpore Ecclesiae, ii adaequate ad Ecclesiam spectant; eiusque viva membra, actuosa, et quae omnimodum Ecclesiae vitalem influxum percipiunt censeri debent. Ac tales sunt omnes et soli catholici qui gratia sanctificante actu instruuntur. Dantur autem in iis ipsis diversi gradus, prout maioribus vel minoribus fidei spei et caritatis gradibus exornantur.

IV. Qui praedictis polleant, sed non sint perfecti, non propterea ab anima vel corpore Ecclesiae, ut olim Pelagiani, ac postmodum Anabaptistae blaterarunt; excludendi sunt. Quod quidem ex dictis constat. Ac praeterea, ni ita haberet, nulla unquam fuisset in terris nec esset aut futura foret Ecclesia. Excepto enim Christo et b. Virgine, qui soli Ecclesiam non constituunt, nulli sunt quamvis sanctissimi in hac vita qui venialibus quibusdam peccatis non inquinentur, quae tamen iustitiam non perimunt, nec faciunt hominem Deo inimicum, ut Pelagiani existimabant. Id quod apertissime testantur ss. litterae. Nam (Ps. XXXI, 5) legimus: *Dixi confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus.* (III. Reg. VIII, 46) *Nec enim est homo qui non peccet.* (Iac. III, 2) *In multis offendimus omnes.* Ac, caeteris omissis, iubemur omnes (Matth. VI, 12) dicere: *Dimitte nobis debita nostra.* Unde recte s. Augustinus (lib. 1 contr. duas epist. Pelagian. cap. XIV) *Nullus*, inquit, *in Ecclesia recte posset ordinari minister, si dixisset Apostolus, si quis sine peccato est, ubi dixit, si quis sine crimine est; aut si dixisset, peccatum nullum habentes, ubi di-*

II de simb.) affirmat, catechumenos considerari ab Ecclesia tamquam filios conceptos et necdum natos, sed postmodum per baptismum in lucem edendos.

xit, nullum crimen habentes. Multi quippe baptizati fideles sunt sine crimine, sine peccato autem in hac vita neminem dixerim.

V. Qui non modo perfecti non sint, sed baptismo et fide instructi, caritate destituantur, quosque improbos, malos aut etiam peccatores, communes aut insignes, dicere solemus, etiam computandi sunt in Ecclesiae corpore, et quadamtenus in anima, ratione fidei quam participant. Adstructa superius principia id plane evincunt. Sed praeterea contrarium errorem Novatianorum, Donatistarum, et Confessionistarum explodunt 1. parabolae evangelicae de area, reti, convivio nuptiali, decem virginibus, et ovili superius citatae, quibus catholici ita confutarunt olim Donatistas, ut exitum plane non invenerint, prout refert s. Augustinus in breviculo collationis, explicans collationem diei tertiae. 2. (Matth. XVIII, 15, seqq.) *Si peccaverit in te frater tuus, vade corripe eum etc. . . . si eos non audierit dic Ecclesiae. Si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Hic certe sermo est de Ecclesia visibili et de vera Ecclesia. In ea tamen ponuntur peccatores, et tales peccatores, qui saepe non emendantur fraterna correptione, nec etiam adhibitis duobus testibus; et tamen in Ecclesia manent, donec ab ipsa per praelati sententiam eiiciantur. Item 3. (Matth. XXIII, 3) Dominus praecipit de praepositis malis, ut faciamus quod dicunt, non quod faciunt. Et (Cap. XXIV, 48, seqq.) describit praepositum malum qui percutit conservos, comedit et bibit cum ebriosis etc. ac dicit: *Veniet Dominus eius in die qua non sperat, et dividet eum, partemque eius cum hypocritis ponet.* 4. (1. Cor. 1, 1-2) Paulus dicit scribere se Ecclesiae Dei quae est Corinthi, et tamen mox subdit: *significatum est mihi quod contentiones sunt inter vos* etc. Et (Cap. V, 1) *Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui ali-*

quis habeat. Reum iubet Apostolus ab Ecclesia expelli: *Tollatur de medio vestri.* Ergo eo usque extiterat in Ecclesia. 5. In Apocalypsi (capp. II et III) reprehenduntur Ecclesiae Asiae de culpis non levibus, et item earum praepositi; unde angelo ecclesiae Sardensis dicitur: *Nomen habes quod vivas et mortuus es : esto vigilans* etc. 6. Denique tempore V. T. numquam defuerunt gravissima scelera in populo Dei; et tamen nusquam legimus quod Moyses aut Samuel, aut alii prophetae, qui diversis temporibus extiterunt, aut Maria, Anna, Elisabeth, Simeon, Zacharias, Ioannes Baptista, et alii iusti quos Dominus reperit in iudaico populo, separaverint se a reliquis pessimis hominibus quoad templum, altare, sacrificia, et alia quae religionis sunt. Unde in eadem congregatione manebant boni et mali. Quod argumentum merito vehementer urget s. Augustinus (in brevic. collat. tertia).

VI. Qui interius ipsa etiam fide careant, sed tamen exterius fidem catholicam adhuc profitentur, et sacramentorum communione veris fidelibus permiscentur, quique *infideles* aut *haeretici occulti* appellari solent, ad animam Ecclesiae nullo modo pertinent; corpori item Ecclesiae non coniunguntur interiori unione; sed tamen externa coniunctione adhuc in eodem sunt recensendi, et Ecclesiae sunt verae partes exteriores, ac vera membra, licet arida ac mortua et abscissioni proxima. Hanc quoque illationem praebent explicata principia. Unde oppositus concidit Confessionistarum et Calvinistarum error. Verum insuper id patefaciunt verba Ioan. (1. Ep. II, 15-19) *Et nunc antichristi multi facti sunt. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Loquitur de haereticis, quos antichristos vocat. Eos dicit, antequam exirent, non fuisse ex nobis. hoc est, non fuisse catholicos animo et voluntate. Et tamen ait, ex nobis exivisse, quia licet non essent ex nobis animo et voluntate, erant

tamen externa professione. Quapropter Augustinus (tract. III in ep. Ioan.) *Multi, inquit, intus sunt, non exierunt, et tamen antichristi sunt . . .* Et *qui intus sunt, certe sunt in corpore Domini nostri Iesu Christi, quando adhuc curatur corpus ipsius, et sanitas perfecta non erit nisi in resurrectione mortuorum* etc. Accedit ratio superius explicata, quod si occulta infidelitas plane ab Ecclesia excluderet, iam mutuo greges et pastores, et pastores invicem atque greges deberent sese ignorare; tota etiam Ecclesiae visibilitas labefactaretur: etc.

VII. Excludendi sunt omnimode ab Ecclesia, iuxta praestructas notiones, manifesti haeretici baptizati, et apostatae; quippe qui interius de anima Ecclesiae nihil retinent, et exterioris communionis vinculo praeterea privantur. Ideo (I. Ioan. II-18, 19) dicuntur exiisse ab Ecclesia: *Ex nobis exierunt*. Ideo etiam dicuntur *circa fidem naufragasse* (I. Tim. I, 19) Et (Tit. III, 10) praecipit Paulus: *Haereticum hominem post unam et alteram correptionem devita, sciens, quia subversus est qui eiusmodi est, et deliquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*. Ubi Paulus non iuberet ab episcopo haereticum vitari, si adhuc iste ad gregem illius quoquomodo pertineret. Denique apud Ioannem (II Ep. 10-11) non illa legeremus: *siquis venit ad vos et hanc doctrinam non affert; nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis*; si adhuc haeretici fratres nostri exstarent, et filii eiusdem matris Ecclesiae. Hinc haeretici et apostatae inspecti sunt semper ab Ecclesia ut qui possent ad eius sinum reverti, non eo tamen continerentur, ut in concilio Nicaeno I. (can. XIII et XIX) etc.

VIII. Sequuntur *schismatici*, quos rite inferes ex superiori disputatione nullo modo de Ecclesia esse, etiamsi, quod semper solet contingere, haeresim schismati nondum addiderint. Verum est enim, ex hypothesi, rectam fidem ipsos retinere: sed non propterea possunt animae Eccle-

siae eådem agglutinari. Qui enim per positivam separationem a corpore Ecclesiae adversus eam rebellant; quomodo poterunt eiusdem animam participare, atque ipsâmet informari? Profecto qui adversus aliquam humanam societatem insurgit, et ab eius legitima auctoritate se subducit, nullatenus membrum censetur talis societatis, utut caeteroquin finem ab illa intentum et media haud item abiiciat; immo etiam quae in societate usurpari media noverit, et ipse usurpet. Hinc non est schismaticorum par ratio et catechumenorum. Licet enim et hi reperiantur extra corpus Ecclesiae, ab eo tamen non *contrarie*, sed *negative* arceantur; immo in potentia et desiderio ad Ecclesiae corpus iam pertinent. Unde veluti societatis candidati, et ab ea quasi iam concepti, utique possunt animae Ecclesiae adnumerari. Non vero ii qui contrarie locum in corpore Ecclesiae non habent, quibus propterea nulla conventio aut affinitas esse potest cum anima Ecclesiae. Habent ergo in simili fide partem animae Ecclesiae materialiter eandem, non vero formaliter; unde etiam incassum plane eandem possident. Hinc factum est, ut tota Ecclesiastica antiquitas nulla limitatione usa fuerit in conditione schismaticorum damnanda. Puta Cyprianus (lib. de unit. Eccl.) ait: Ecclesiam significatam esse per vestem Christi inconsutilem, quae scissa non fuit; ut intelligeremus Ecclesiam scindi posse, sed non eo modo quo scinduntur vestes, ita ut omnes partes aeque maneant partes vestis, sed quomodo scinditur ramus ab arbore, qui statim moritur, arbore vivente; et rivus a fonte, qui mox arescit, fonte fluente; et radius a sole, qui continuo deficit, sole ut erat permanente. Similiter Chrysostomus (Hom. XI in Ep. ad Ephes.) docet schismaticos similes esse manui a corpore praecisae, quae continuo desinit esse membrum. Denique, ut alios omittam, Hieronymus (in cap. III ad Tit.) *Inter haeresim*, inquit, *et schisma hoc interesse arbitramur, quod haeresis perversum dogma habeat*;

schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. Ubi cum dicat *pariter separet*, nullam profecto coniunctionem cum Ecclesia schismaticis relinquit.

XI. Restant *excommunicati*, quibus quae modo de schismaticis diximus, sunt accommodanda. Paribus enim caussis nequeunt sive ad animam, sive ad corpus Ecclesiae pertinere. Confirmatur autem ex sententia Christi (Matth. XVIII, 17) *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Heic enim de excommunicatis proprie agi fatentur omnes. Porro hos ita non esse de Ecclesia significat Chritus, uti non sunt de Ecclesia ethnici et publicani. Sed hi nullo pacto ad Ecclesiam spectant. Ergo. Item, quem Paulus (I. Cor. V, 1, seqq.) excommunicat, *Satanae tradit*; hoc est in Satanae regnum et potestatem amandat. Sed huiusmodi nequit censeri de anima aut corpore Ecclesiae. Igitur. Denique, ut antiquitatis sensum ex uno Hilario significem; in illud (Matth. XVIII) nuper recitatum, ait s. doctor Deum sic egisse cum populo Israel, ut Christus monet esse agendum. Primo enim corripuit inter se et ipsum solum, quando apparuit illis cum maiestate in monte Sinai. Secundo adhibuit secum duos testes, idest legem et prophetas. Tertio dixit Ecclesiae, videlicet misit Christum summum Ecclesiae praesulem, qui Iudaeos obiurgaret. Ultimo, cum illi talem praesulem non audirent; neglexit eos ac deseruit ut ethnicos et publicanos. Sentit ergo Hilarius fieri ethnicum et publicanum esse eiici de populo Dei simpliciter et absolute, non secus ac Iudaei simpliciter et absolute ad populum Dei non amplius pertinent.

Haec, ut superius praenotavimus, intelligi debent de excommunicatione iuste inflicta. Iniusta enim excommunicatio ab anima Ecclesiae non separat; sicut iniusta civis ab humana republica eiectio non eum intrinsecis vinculis privat, quibus eidem reipublicae adstringitur. Quamobrem Augustinus (lib. de ver. relig. cap. VI) *Saepe etiam*

inquit, *sinit divina providentia expelli de congregatione christiana etiam bonos viros. Quam contumeliam vel iniuriam suam cum patientissime pro Ecclesiae pace tulerint; neque ullas novitates vel schismatis vel haeresis moliti fuerint; docebunt homines quam vero affectu, et quanta sinceritate caritatis Deo serviendum sit. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns.*

LECTIO VI

Adversariorum cavillationibus fit satis.

Obiic. 1. Ecclesia conflatur ex solis praedestinatis. Siquidem arca Noe fuit typus Ecclesiae: at in arca non fuerunt, nisi qui salvandi erant ex aquis: ergo in Ecclesia non sunt nisi praedestinati.

Resp. Dist. mai. Arca Noe fuit typus Ecclesiae, quatenus nemo salvatur nisi in Ecclesia et per Ecclesiam, sicut a diluvio nemo salvatus est nisi per arcam Noe; *Conc.* Quatenus nonnisi qui salvandi sunt, sint in Ecclesia, sicut nonnisi ea quae salvanda erant, fuerunt in arca; *Nego.* Arca Noe repraesentavit Ecclesiam, quatenus, ut illa fuit unicum ex diluvio medium salutis, ita et in suo ordine est Ecclesia. Sed inde non sequitur, quod ii tantum esse possint in Ecclesia qui salvari debeant. Id enim necesse non est ad comparationem, quae non in omnibus convenire debet. Ac sane, si nimium velis urgere similitudinem; imprimis non solum boni sed et mali salvarentur, quoniam in arca salvata sunt animalia munda et immunda. Deinde omnis baptizatus foret etiam praedestinatus; ibidem enim (1 Petr. III, 20-21) comparatur baptismus cum arca Noe; unde sicut per arcam salvati sunt omnes, ita quoque omnes salvari deberent per baptismum. Denique vicissim posset demonstrari solos praedestinatos capaces esse baptismi; ut enim soli salvandi in arca sunt

recepti, sic soli salvandi dici possent baptismo donandi.

Instant I. (I Ioan.II,19 seqq.) habetur: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum. Sed ut manifesti sint quod non sunt omnes ex nobis.* Eiusmodi ergo, etiam antequam exirent, non erant de Ecclesia, sed videbantur esse. Unde s. Augustinus (lib. de corrept. et gr. cap. IX) *Quidam*, inquit, *filii Dei, propter susceptam vel temporaliter gratiam, dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo.* Et infra: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, hoc est, et quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. Item non erant filii, etiam quando videbantur in professione et nomine filiorum.* Ac postmodum: *Quia ergo non habuerunt perseverantiam, sicut non vere discipuli Christi; ita nec vere filii Dei fuerunt, etiam quando esse videbantur, et ita vocabantur.* Denique (lib. III. de doctr. christ. cap. XXXII) arguens Ticonium qui vocaverat corpus Christi mysticum, seu Ecclesiam, corpus bipartitum; *Non ita*, inquit, *debuit appellari: non enim revera Domini corpus est quod cum illo non erit in aeternum.* Ergo.

Resp. Ad loc. Ioannis admisso textu dist. conseq. ergo ii priusquam exirent de Ecclesia, non erant de Ecclesia, quatenus non haberent spiritum Ecclesiae, nec intimam eam unionem quam viderentur habere; *Conc.* Quatenus neque de corpore essent Ecclesiae, et nec externam cum eo servarent unionem; *Nego.* Obiectus Ioannis textus inspici debet iuxta communem modum sentiendi et loquendi. Nempe de iis agit qui relicta unitate catholica antichristos se constituerant, seu architectos errorum, aut veram Christi humanitatem impetentes, aut divinitatem; quales Ebionitae erant ac Cerinthiani. Ut ergo in similibus casibus dicere solemus: is ab ea pia societate recessit, sed non erat ex ea: scilicet externis utique vinculis ei adhaerebat, sed non interna unione, nec eius spiritum habebat; si

habuisset, non recessisset : sed contigit hoc ut proderetur quod non erat ex ea , interna scilicet unione et participatione spiritus : sic per singula disserit Ioannnes in suo testimonio. Et sane nisi sentiret illos ad Ecclesiam aliquo modo pertinuisse; quomodo diceret : *ex nobis prodierunt* ? Et si iidem externa specie per externam coniunctionem non adhaesissent Ecclesiae; quómodo subnecteret, manifestari debuisse quod non essent ex Ecclesia ? Caeterum potest etiam oum aliis responderi, non fuisse ex nobis illos de quibus agit Ioannes, iuxta praedestinationem Dei et consecutionem finis, non vero iuxta actualem iustitiam, aut praesentem corpori Ecclesiae adhaesionem, prout mox sumus amplius declaraturi.

Ad obiectas ex s. Augustino confirmationes, duo praenotamus cum Bellarmino (lib. III de Eccl. mil. cap. VII). Primum est hominem posse dici Dei filium, Christi membrum etc. duobus modis : vel secundum *praedestinationem*, vel secundum *praesentem iustitiam*. Quod docet Paulus : nam (Rom. VIII, 9) inquit : *Siquis spiritum Christi non habet, hic non est eius*. Et tamen (I.Tim. II, 19) ait de praedestinatis : *cognovit Dominus qui sunt eius*. Unde unus idemque potest simul esse et non esse membrum Christi. Interest autem inter haec quod qui sunt filii aut membra solum secundum praedestinationem, non sunt actuales, sed solum potentia. Praedestinatio enim nihil ponit in homine, sed est actus in Deo manens. Sed qui eiusmodi sunt iuxta praesentem iustitiam, sunt actu et simpliciter tales, quia in se revera habent id unde tales appellentur.

Secundo praenotandum est quod possit aliquis dici vere filius Dei aut membrum corporis Christi vel *veritate essentiae* aut *formae*; vel *veritate finis*, aut, ut alii efferunt, *permanentiae*. Veritate essentiae est filius Dei qui caritate pollet (I.Ioan.IV,7). *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*. (I.Cor. XII,13) *In uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati*

sumus. At veritate finis dicitur filius Dei qui assequetur haereditatem; qui vero ab ea excidet, videtur filius, sed non est, finis enim filiationis est haereditas: (Gal. IV, 7) *Quod si filius, et haeres per Deum*. Sic etiam veritate finis est membrum qui salvabitur: nam ad hoc sibi univit Christus Ecclesiam tamquam corpus capiti, ut eam salvaret, prout dicitur (Eph. IV, 23). Itaque qui est in statu gratiae, et tamen non est praedestinatus, est vere filius et membrum veritate essentiae; et non est vere filius et membrum veritate finis. Et contra qui non est in gratia, et tamen est praedestinatus; non est vero filius et membrum veritate essentiae, et tamen est vere utrumque veritate finis. De prima veritate intelligitur illud (I. Ioan. II, 15) *Qui servat verbum eius, vere in hoc caritas Dei perfecta est*. Ad secundam refertur illud (Ioan. VIII, 31) *Si manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*.

Hisce praenotatis, facilis est ad Augustini loca responsio. Ex Augustino « quidam filii Dei propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec sunt tamen Deo: item ex nobis exierunt sed non erant ex nobis, etiam quando videbantur in nobis: non est Domini corpus quod cum illo non erit in aeternum » etc: *dist.* veritate finis seu iuxta aeternam Dei praedestinationem; *Conc.* Veritate formae et iuxta praesentem iustitiam; *Nego*. Sane id docet contextus in singulis effatis quae sunt obiecta. Praeterea ipsemet s. doctor in iisdem locis sese explicat. Nam (lib. de corrept. et gr. cap. IX) postquam dixerat probos non praedestinatos non esse vere filios, subdit: *Non quia iustitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt*. Et (lib. III. de doctr. christ. cap. XXXIII) eius quod asseruerat rationem reddens subiungit: *Nunc in uno sunt, non tamen semper in uno erunt. Ipse est quippe ille servus commemoratus in evangelio, cuius Dominus cum venerit, dividet eum, et partem eius*

cum hypocritis ponet. Denique theoriam a nobis traditam in terminis praeformat inquiens (tract. XLV. in Ioan.) *Secundum praescientiam et praedestinationem quam multae oves foris ? quam multi lupi intus ?* Similia habet (De bon. persev. cap. VIII, de corrept. et gr. cap. IX) etc.

Instant II. (Ioan. X, 16) protestatur Christus : *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et fiet unum ovile et unus pastor.* Ac (Ioan. XI, 51) legimus : *Iesus moriturus erat pro gente, et non solum pro gente, sed etiam ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* Age ergo praedestinati, licet nondum adducti ad fidem, dicuntur filii Dei et oves Christi : sed si hoc, sunt de Ecclesia. Igitur etc.

Resp. Dist. mai. Praedestinati dicuntur filii Dei et oves Christi iuxta veritatem essentiae, et quasi actu tales extent ; *Nego* : Iuxta veritatem praedestinationis, et quod huiusmodi sint in potentia ; *Conc.* Responsio patet ex nuper explicatis. Nec alius est, ut liquet ex verbis, sensus Augustini cum inquit (tract. XLV. in Ioan.) *Quid est quod dixi quam multae oves foris ? quam multi luxuriantur*, casti futuri ? *quam multi blasphemant Christum*, credituri in Christum ? *Et hi oves sunt. Verumtamen modo alienam vocem audiunt, alienos sequuntur. Item quam multi intus laudant*, blasphematuri ? *casti sunt*, fornicaturi ? *stant*, casuri ? *et non sunt oves : de praedestinatis enim loquimur.*

Instant III (Ioan. X, 27) Christus ait : *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et ego vitam aeternam do eis, et non peribunt in aeternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.* Ex quibus verbis ; oves Christi non sunt nisi praedestinati. Sed Ecclesia nequit actu constare nisi ex ovibus Christi. Ergo Ecclesia actu non constat nisi ex praedestinatis.

Resp. Dist. mai. Ex illis verbis oves de quibus ibidem agit Christus, non sunt nisi praedestinati; *Conc.* Oves universim Christi non sunt nisi praedestinati; *Subd.* Veritate finis seu permanentiae, *Conc.* Veritate essentiae; *Nego.* Verum est quod oves de quibus loco allegato loquitur Christus, intelligi debeant praedestinati; id enim verba nimis aperte praeseferunt. Sed tamen non proinde significatur solos praedestinatos esse oves Christi: seu dicuntur utique praedestinati esse oves Christi; sed non vicissim adstruitur oves Christi non esse nisi praedestinatos. Id prodit contextus. Cum enim exprobrasset Christus iudaeorum incredulitatem, addit « caeterum mirum non est si vos non credatis, cum non sitis ex praedestinatorum numero: quapropter ex vestra contumacia non arguitur meae doctrinae falsitas, sed magis permissa a Deo vestrarum mentium obcoecatio; quae tamen ipsa non contingit absque vestra culpa. Addit: nec idcirco irrita et inanis futura est mea praedicatio, quod vos Iudaei credere detrectatis. Siquidem non desunt mihi oves quae nedum meae doctrinae acquiescent, sed immobiliter eam sunt servaturae; ac nemo extare potest, qui valeat illos mihi eripere, quibus propterea ego certissime sum daturus illa bona et praemia, quae vos vestra obduratione contemnitis. » Quis non videat iuxta hunc contextum debuisse Christum de illa parte ovium loqui, quae essent praedestinatae; quin propterea assereret omnes suas oves quocumque sensu inspectas esse praedestinatas? Si igitur aliunde constet in ovili Christi, seu Ecclesia, alias oves recensendas esse praeter praedestinatas, obiectum testimonium nullatenus officit. Quod autem in ovili Christi revera adnumerandi non sint ii tantum qui dici possint oves praedestinatae, praeter superius dicta, patet ex illo Christi (Ioan. XXI, 15-16) *Pasce oves meas, pasce agnos meos*; et ex illo Petri (I. Epist. V, 1-2) *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Insuper (Ps. LXXIII, 1) habemus: *Iratus est furor tuus super oves pascuae tuae.* Et

(Ezech. XXXIV, 11, seqq.) describuntur oves Dei aliae pingues, aliae macilentae, aliae sanae, aliae aegrotae etc. Denique in ovili non sunt tantum oves, sed et hoedi, uti apparet ex (Matth. XXV, 32) ubi separantur oves ab hoedis. Ovile autem dicitur, etsi non solas oves contineat, a meliori parte.

Instant IV. (II. Tim. II, 19) inquit Apostolus: *Firmum Dei fundamentum stat habens signaculum hoc: cognovit Dominus qui sunt eius.* Unde: Paulus innuit Ecclesiam significatam per *Dei fundamentum* gerere hoc signaculum: *cognovit Dominus qui sunt eius*; adeoque ex illis conflari quos novit Dominus suos esse. Sed tales non sunt nisi praedestinati. Ergo.

Resp. Dist. mai. Paulus innuit Ecclesiam significatam per Dei fundamentum gerere illud signaculum; et in hoc spectat Ecclesiam adaequate sumptam; *Nego*: inadaequate acceptam; *Conc.* Dato quod per Dei fundamentum isto loco Apostoli veniat Ecclesia; non tamen illud positum est ad significandam Ecclesiam in sua plenitudine et adaequate inspectam; sed quoad aliquam eius partem. Quare non quia mox idipsum fundamentum explicatur de praedestinatis, idcirco soli praedestinati Ecclesiam constituunt. Patet id primo, quia mox (v. 20) de ipsa loquens Ecclesia habet Paulus illa verba: *In magna autem domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia.* Quomodo ergo versu superiore dixisset Ecclesiam adaequate conflari ex solis praedestinatis? Secundo evincitur nostra assertio ex contextu. Dixerat Apostolus (v. 16) *Profana autem et vaniloquia devita.* Addit: sermo vaniloquorum *ut cancer serpit*. Tum ex his vaniloquis, ait, sunt *Hymenaeus et Philetus*: quippe qui veram resurrectionem inficiabantur, et subvertebant aliorum fidem. Verum, subdit, quid inde? Numquid propterea formidandum est, ne possit fides ac religio christiana everti, et collabi Ecclesia? Nequaquam certe: nam

firmum Dei fundamentum stat, habens signaculum hoc etc. Videlicet non est metuendum Ecclesiae: nam Deus in ea habet et agnoscit eos qui vere sui sunt, quos obsignatos tenet, qui proinde nullis possunt seductionibus concuti, cum dono finalis perseverantiae sint instructi. Concludit: caeterum non est magnopere dolendum, si una cum his sint interim in Ecclesia etiam mali, et qui, ut Hymenaeus et Philetus, in suscepta fide non sint permansuri. *Nam in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed etiam lignea et fictilia.* Quare dupliciter hoc loco Paulus Ecclesiam inspectat: uno modo adaequate sive in tota sua plenitudine; et sic malos etiam, seu non perseveraturos includit: altero modo inadaequate sive ex parte; et sic solos perseveraturos seu praedestinatos complectitur.

Instant V. Ipsemet Apostolus (Hebr. III) postquam comparatione facta inter Christum et Moysen, hunc asseruit fuisse servum; illum vero esse filium Dei in domo sua; subdit (v. 6) *Quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.* Heic itaque per Dei domum venit Ecclesia. Sed additur non pertinere ad hanc domum nisi qui usque in finem spem retineant, qui certe sunt praedestinati. Ergo ad Ecclesiam spectant soli praedestinati.

Resp. Conc. mai. dist. min. Sed additur non pertinere etc. hoc est eos solos esse de illa domo qui usque ad finem spem retineant seu perseverent; *Nego.* Hoc est eos solos esse de tali domo qui, abiecta spe et fiducia ab ea non recesserint, seu a fide et Ecclesia non apostataverint; *Conc.* Totus eo tendit in hac epistola Paulus ut Hebraeos in fide christiana nutantes, et ad mosaica instituta iam prope reversos, prohibeat a lapsu. Itaque loco obiecto cum mentio incidisset domus Dei, sive Ecclesiae; monet talem domum ex nobis conflari, quamdiu tamen in fide perseveremus, nec ab ea per apostasiam recedamus;

quod scelus Iudaei parati erant admittere. Non ergo docet solos praedestinatos ad Dei domum pertinere, sed eos solos de ipsa actu esse, qui per apostasiam a fide sese ab ea non separaverint.

Instant VI. Christus non est caput nisi eius Ecclesiae quam salvabit: sed haec non constat nisi ex praedestinatis; ergo soli praedestinati constituunt Ecclesiam. 2. Christus non est caput nisi eius Ecclesiae quam sibi in die iudicii exhibebit gloriosam non habentem maculam aut rugam, ut dicitur (Eph. V. 27). Sed talis Ecclesia non habebitur nisi in praedestinatis. Ergo. 3. Corpus mysticum simile est corpori vero. Sed totum corpus Christi verum cum omnibus suis partibus salvum est et gloriosum. Ergo etiam corpus mysticum in omnibus suis membris salvari debet et glorificari.

Resp. Ad 1. *Dist. mai.* Christus non est caput nisi eius Ecclesiae quam in multis eius membris salvabit; *Conc.* Quam salvabit in omnibus eius membris; *Subd.* Sufficienter; *Conc.* Efficaciter; *Nego.* Utique Christus est caput Ecclesiae per ipsum salvandae; sed hoc non importat singula Ecclesiae membra fore salvanda; nec proinde nonnisi membra salvanda posse reperiri in Ecclesia. Quod si singulorum Ecclesiae membrorum ratio haberi velit; utique Christus singula salvabit saltem quoad sufficientiam mediorum salutis quae in Ecclesia et per Ecclesiam unicuique praestat; quin teneatur omnes et singulos ad salutem efficaciter adducere.

Ad 2. pariter *Dist. mai.* Christus non est caput nisi eius Ecclesiae quam in die iudicii exhibebit sibi gloriosam etc. et quae interim militat conflata ex bonis et malis in die iudicii separandis; *Conc.* Quae iam nunc sit qualis in die iudicii est Christo exhibenda; *Nego.* (Matth. XXV, 32-33) aperte traditur separatio facienda bonorum et malorum. Unde ex hoc ipso sequitur ante tale tempus,

quoad externam saltem communionem, Ecclesiam complecti malos bonis permixtos. (1)

Ad 3. etiam *dist. mai.* Corpus mysticum est simile vero in omnibus; *Nego*: In aliquibus; *Conc.* Nam similitudines non debent in omnibus convenire. Deinde, inquit Bellarminus (de Eccl. mil. lib. III. cap. VII): ***Sicut corpus Christi verum salvum est et gloriosum quoad omnes partes formales, non tamen quoad omnes materiales, ut in nobis fieri videmus; ita etiam corpus mysticum salvum futurum est quoad omnes partes formales, quae sunt Apostoli, Prophetae, Pastores, Doctores etc. Ex omni genere hominum aliqui salvantur, non tamen quoad omnes partes materiales, quae sunt homines singulares.*** Addi etiam potest distinguendum esse corpus Christi mysticum in statu viae et termini. Utique in hoc postremo statu corpus Christi mysticum habebit omnimodam similitudinem cum corpore Christi vero; sed nequit in praesens eandem habere, quamdiu Ecclesia est in statu probationis, et est ovile, area, sagena etc. iuxta superius dicta. Nec omittendum quod obiecta difficultas nimis probet: posses enim aeque argumentari: corpus mysticum est simile corpori vero: sed hoc fuit crucifixum, est realiter in Eucharistia, est nunc immortale, est gloriosum, etc. Ergo similiter Ecclesia haec debet habere.

LECTIO VII

Alia nonnulla heterodoxorum sophismata circa membra Ecclesiae refelluntur.

Obiic. II. Si Ecclesia non constat ex solis praedestinatis, saltem dicenda est constitui ex solis perfectis. Etenim 1.

(1) Cf. paulo post dicenda ad locum Apostoli heic obiectum, de quo mox sermo recurret.

(Cant. IV, 7) de Ecclesia legitur: *Tota pulchra es amica mea*, *et macula non est in te*. Sed talis non foret, si sinu suo peccatores complecteretur. Ergo.

Resp. 1. Haec et alia similia quae in canticis dicuntur de sponsa, non necessario intelligi de Ecclesia, sed vel explicanda sunt, ut quidam sentiunt, de b. Virgine, vel probabilius de quavis anima perfecta. Etenim (cap. VI, 7-8) legimus: *Sexaginta sunt reginae*, *et octoginta concubinae*, *et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea*, *perfecta mea* etc. Quo loco si per unicam illam sponsam intelligas Ecclesiam, quid intelliges per reginas et concubinas quas omnes sponsus fovet et diligit? Sed dato et non concesso quod sermo sit de Ecclesia.

Resp. II. *Dist. mai.* Ecclesia, ex effato Canticorum est tota pulchra etc. in se et ut praecise est Ecclesia; *Conc.* Respectu individuorum ex quibus coalescit; *Nego.* Nimirum, ut quaevis alia societas, ita et Ecclesia potest dupliciter spectari; vel in se et ratione propriae formae seu essentiae, vel ratione individuorum. Primo modo attenduntur ea quae propria sunt societatis ut societas est, licet non sint propria individuorum. Altero modo ea spectantur quae afficiunt individua, quae tamen non semper ad ipsam societatem transferri possunt. Perfectio essentialis societatis habetur, si ei nihil desit ex iis quae eiusdem, ut talis est, natura postulat. Ipsi vero non officit imperfectio qua laborent individua, nisi sit eiusmodi, ut ad ipsa societatis, ut societas est, constitutiva corrumpenda pertingat. Sic omnis bene ordinata respublica censetur perfecta si servet finem honestum, idoneum regimen, leges iustas, ac publicam felicitatem debite promoveat. Nec vero quod adsint individua degenera; vel ipsamet respublica putatur imperfecta, vel ipsa individua extranea reipublicae hoc ipso censentur. A pari ergo philosophandum est de Ecclesia. Et ipsa spectari debet vel in se, vel ex parte

individuorum. Eius quoque perfectio ex parte sui attendi debet, non ex parte individuorum; sive ratione formae et essentiae, non membrorum inspectorum seorsim. Si vero sic consideretur Ecclesia; quis maculam aut rugam in ipsa reperiat?

Instant (Eph. V, 25-27) inquit Apostolus: ***Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.*** Sed haec competunt soli Ecclesiae ex perfectis conflatae. Ergo.

Resp. Dist. mai. Christus dilexit etc. ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam etc. in coelis; ***Conc.*** in terris; ***Subd.*** In se et ratione essentiae; ***Conc.*** Secus; ***Nego.*** Locum hunc Apostoli graeci Patres referunt ad praesentis vitae tempus; eosque secutus est Ambrosius; tum ex recentioribus interpretibus Liranus et Caietanus. Sed quoniam eo Pelagiani abutebantur, s. Augustinus aliique, de Ecclesia in coelis triumphante exponere maluerunt. Verum, si distinguantur tempora, ambae interpretationes conciliantur invicem, et mens Pauli in perspicuo constituitur. Nimirum si dicamus ex Apostolo Christum mundare hodiedum in terris Ecclesiam, ut aliquando eam sibi gloriosam et immaculatam exhibeat in coelis. Est tamen respectus, quo etiam in praesens est Ecclesia sine macula et ruga, si nempe ***in se*** inspiciatur et quoad sui essentiam, ut ad superiorem obiectionem nuper explicuimus. (1)

Obiic. III. Saltem soli iusti adnumerandi sunt in Ecclesia. Haec siquidem (Cant. IV, 12-15) appellatur: ***Hortus conclusus, fons signatus .... puteus aquarum viventium.*** Nequeunt ergo locum in ea habere peccato-

---

(1) Vide Estium, et A Lapide in h. l.

res, qui etiam ipsius sanctitatem sua praesentia corrumperent. Ergo.

Resp. 1. Ex superius dictis, haec ad Ecclesiam non necessario referri. Sed hoc transmisso, *dist.* sensum loci obiecti: Ecclesia est hortus conclusus, fons signatus etc. quatenus nihil sit quod possit intrinsecam ipsius corrumpere sanctitatem; *Conc.* Quatenus omnia eius membra debeant esse sancta; *Subd.* quatenus praecise sunt membra Ecclesiae; *Conc.* quoad privatos mores et actus uniuscuiusque; *Nego.* Responsio intelligenda est iuxta ea quae nuper diximus (ad 1. obiect. hui. lect.) Et sane Ecclesiae, ut talis est, vi indefectibilitatis quam suo loco propugnabimus, nemo potest depravare sanctitatem, aut fructus corrumpere qui in ea germinant, aut inficere vitales succos quos in se continet, hoc ipso quod nemo possit Ecclesiae institutionem et constitutionem pervertere. Quod vero attinet ad membra Ecclesiae, in quantum huiusmodi, omnia sunt sancta; utpote sancta est fides quam profitentur, sancta coniunctio qua Ecclesiae adhaerent, sanctum corpus cuius sunt membra etc. Sed hoc non impedit quominus indivuales actus multorum a sanctitate deficiant.

Instant I. s. Hieronymus (Comm. in Eph. V.) inquit: *Qui ergo peccator est, et aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari.* Et s. Pacianus (Epist. III ad Sympronian.) *Caeterum peccator et poenitens non est Ecclesiae macula, quia quamdiu peccat et non poenitet, extra Ecclesiam est constitutus.* Ac s. Augustinus (lib. II. cont litter. Petiliani): *Non ideo*, ait, *putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia sacramentorum eius corporaliter participes fiunt.* Immo (lib. II. cont. Crescon. cap. XXI) expressius inquit: *Ac per hoc, etiam nesciente Ecclesia, propter malam pollutamque conscientiam damnati a Christo iam in corpore Christi non sunt,*

quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata. Hinc idem s. doctor (lib. IV de bapt. cap. III) affirmat avaros, raptores etc: *quamvis intus videantur*, non pertinere ad Ecclesiam, quae est sponsa sine macula et ruga. Et (ibid. lib. VII, capp. LI et LII) dicit bonos esse in Ecclesia, et de Ecclesia; malos esse in Ecclesia, non de Ecclesia. Denique (tract. III in I. Ep. Ioan. n. 5) comparat peccatores malis humoribus, qui certe membra corporis dici non possunt. Ergo.

Resp. Ad locum Hieronymi, concedo testimonium et dist. sensum: significat s. doctor malos non posse dici de Ecclesia simpliciter; *Nego.* Secundum eam partem quae perfecta est, et membra viva Iesu Christi continet; *Conc.* Non aliam esse mentem Hieronymi evincit quod idem s. doctor scribit (in v. 3. hui cap.) *Quoniam corpus Christi Ecclesia est, et Ecclesia de cunctis credentibus congregatur; Paulus et Ephesii membra sunt corporis, idest, Ecclesia Christi.* Porro non omnes credentes sancti esse possunt. Insuper (in cap. I. ad Gal.) in illud: *Paulus Apostolus etc. ecclesiis Galatiae*, volens explicare quomodo cohaereant inter se verba Apostoli, qui nunc totas ecclesias videtur laudare, nunc totas vituperare; dicit Scripturas de una eademque Ecclesia diversimode loqui; ac interdum tribuere toti Ecclesiae, id quod est proprium perfectorum, ut carere macula et ruga; interdum id quod est proprium imperfectorum, ut peccare et correptione egere. Agnoscit ergo in Ecclesia malos etiam reperiri.

Ad s. Paciani effatum dist. pariter sensum: Peccator et poenitens ex s. Paciano sunt extra Ecclesiae animam; *Conc.* Extra corpus; *Nego.* Liquet mens s. doctoris imprimis ex argumento epistolae, quod est ostendere adversus Novatianos posse Ecclesiam peccatoribus ac poenitentibus filiis suis post baptismum veniam peccatorum impertiri. Deinde idipsum produnt verba immediate sequen-

tia locum obiectum: *Ubi desinit peccare, iam sanus est.* Denique paulo ante asserit *Ecclesiam carere macula et ruga, quia caret haereticis.* Non ergo censet maculari Ecclesiam ex praesentia peccatorum. (1)

Ad 3 *Dist.* Affirmat s. Augustinus peccatores non esse in corpore Ecclesiae, prout vivum est, seu vivificatum a Christo per gratiam sanctificantem; *Conc.* Non esse de corpore Christi, quatenus hoc conflatur ex societate credentium sub legitimis pastoribus; *Nego.* Nihil magis alienum a mente s. Augustini quam ut putaverit peccatores excludendos esse ab Ecclesia. Siquidem constat s. doctorem hanc thesim perpetuo tuitum esse adversus Donatistas, non posse videlicet bonos contaminari ex consortio malorum, qui sint in Ecclesia; ac malos esse quidem praecisos ab anima Ecclesiae, non autem a corpore. Id, ut caetera omittam loca, docet (lib. de unit. Eccl. capit. ult. — lib. VII. de bapt. cap. XXV—lib. II. contr. lit. Petiliani cap. LXXVIII—lib. V. de bapt. cap. I. — lib. III de doctr. christ. cap. XXXII) etc. Si igitur quandoque videtur coarctare Ecclesiae corpus ad coetum iustorum; id non de corpore Ecclesiae adaequate sumpto debet intelligi, sed prout vivum est, et gratia sanctificante informatur. Ac certe in breviculo (collat. III) cum Donatistae calumniarentur fingi a catholicis duas ecclesias, unam quae solos bonos, aliam quae bonos malis admixtos contineret; responderunt catholici, quibus annuit s. Augustinus, nunquam se duas ecclesias somniatos esse, sed tantum partes distinguere, vel tempora Ecclesiae: partes quidem quia aliter boni aliter mali ad Ecclesiam pertinent; tempora autem quod aliter

(1) Ob hanc particulam censet Bellarminus Pacianum nomine peccatorum intelligere haereticos. Verum cum subdat: *Caeterum peccator et poenitens* etc. videtur eiusmodi adversativa particula ab haereticis ad simplices peccatores sermonem transferre.

nunc habeat in terris Ecclesia, aliter sit habitura in coelis.

Atque idem consequenter est sensus effati s. doctoris ex (lib. VI de bapt. cap. III) nec non (lib. II. contr. Crescon. cap. XXI) et aliis locis obiectis. Nec obest quod alibi peccatores comparet malis humoribus. Ex dictis enim apparet eiusmodi similitudinem non eousque esse urgendam, ut peccatores simpliciter excludantur ex membris Ecclesiae, sed tantum ex membris vivis. Item non obest quod idem s. doctor (lib. III. de bapt. cap. XVIII, et lib. I capp. XXI, XXII, ac lib. VI cap. III - lib. VII cap. LI) doceat solos sanctos esse illam Ecclesiam, quae est fundata super petram, cui datae sunt claves regni coelorum, et de qua dicitur, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Etenim nihil aliud significare voluit, quam omnia privilegia, quae sunt a Deo concessa Ecclesiae universae, propter solos sanctos concessa esse; idest in utilitatem et commodum eorum, qui salutem aeternam consequentur. Nam alioqui idem Augustinus frequentissime repetit, malos etiam christianos utiliter sacramenta administrare. Itaque (tract. V in Ioan.) confert malos ministros canali lapideo, per quem transit aqua ad areolas, et cum nihil ipse utilitatis acquirat, tamen caussa est ut herbae et flores in areolis nascantur et crescant. Quod idem fusius docet (lib. II contr. Parmen. capp. X, XI) etc.

Instant. Membrum mortuum non est nisi aequivoce membrum. Unde si peccatores sunt membra mortua Ecclesiae, non sunt vere membra. 2. Ecclesia in symbolo dicitur sancta; adeoque non constat nisi sanctis. 3. Si Ecclesia est corpus vivum, non potest habere membra mortua. 4. Denique si receptum apud Patres non posse habere Deum patrem qui Ecclesiam non habeat matrem; nec potest habere Ecclesiam matrem qui Deum non habeat patrem, cuiusmodi certe sunt peccatores. Ergo.

Resp. Ad 1 *dist. antec.* Membrum quod sub omni

respectu sit mortuum, est aequivoce membrum; *Conc.* Si non sit sub omni respectu mortuum; *Nego.* Peccatores etsi in seipsis spectati ob defectum caritatis vita spirituali careant; tamen corpori Ecclesiae adhuc coniuncti instrumenta esse possunt per potestatem sive iurisdictionem, quae est independens a gratia sanctificante. Reliqui vero qui tali potestate non exornantur, adhuc, ut superius adnotavimus, percipiunt salutarem influxum mediorum Ecclesiae; unde non absolute membris plane mortuis sunt comparandi. Adde obiectam difficultatem nullum pondus habere in iis peccatoribus qui nondum amiserint fidem, quam diximus vitae spiritualis germen constituere.

Ad 2. Ecclesia est sancta in se et ratione suae essentiae, ratione capitis invisibilis quod est Christus; ratione baptismatis, ratione fidei et praeceptorum; ratione unionis membrorum inter se et cum capite, quae etiam per se est sancta; ratione multorum membrorum quae sunt sancta. Non vero quaerenda in ea est eiusmodi sanctitas, ut omnia membra in seipsis sancta existant, quod exigere in Ecclesia, est, uti vidimus, eius essentiam plane pessumdare.

Ad 3. pariter dist. Si Ecclesia est corpus vivum quoad se et quoad omnes suas partes integrantes non potest habere membra mortua; *Conc.* Si est corpus vivum quoad se, non quoad omnes partes integrantes; *Nego.* Iam vero ex tot capitibus ostendimus Ecclesiam in statu praesenti non posse in omnibus suis partibus integrantibus vivere.

Ad 4. Nego illationem; cum ex dispari longe caussa proveniat ut quis habeat Deum patrem, et Ecclesiam matrem habere possit. Ut enim habeat aliquis Deum patrem omnino requiritur status gratiae, iuxta illud Apostoli (Rom. VIII, 14) *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* Unde mirum non est si peccatores in censu filiorum Dei venire nequeant. At vero ut habeat quispiam Ecclesiam matrem, independenter a gratia ei obtingit;

ex suscepto semel baptismo, quo ab Ecclesia fuit a principio regenitus, ex fide, ex participatione mediorum et sedulae erga ipsum providentiae Ecclesiae, ex subiectione quam praestat legitimis pastoribus etc. Quamdiu ergo haec in tali homine non destruantur; semper manet filius Ecclesiae, licet bonus filius non sit, sed sit pravus ac corripiendus. Caeterum Patrum illud effatum, non posse habere Deum patrem qui Ecclesiam non habeat matrem, pronuntiatum est primo a Cypriano (lib. de unit. Eccl.) tum a reliquis usurpatum fuit adversus haereticos et schismaticos, ne isti sibi fingerent extra sinum Ecclesiae posse se et Deum diligere et a Deo diligi.

LECTIO VIII

Explicatis essentialibus Ecclesiae partibus, quo eas nexu seu vinculo unitatis Christus instrui voluerit, declaratur.

In compositae essentiae vestigatione, postquam detecta sint atque distincta substantialia eiusdem elementa, de nexu seu essentiali vinculo, quod in iisdem vigeat, rite quaeritur. Sic igitur in re de Ecclesia: unde liquet acturos nos utique de Ecclesiae unitate, non tamen ut haec est aliqua proprietas ab essentia profluens, et ei veluti iam in se constitutae superveniens; sed ut intime ad ipsam Ecclesiae constitutionem pertinet, et distinctum partium conceptum in unam compositi notionem copulat. Itaque, ut eo magis status quaestionis definiatur, multiplex unitas attendi potest in Ecclesia. Prima est ratione eiusdem principii, idest Dei vocantis (Ioan. VII, 44) *Nemo potest venire ad me nisi pater meus traxerit eum* etc. Secunda unitas ratione eiusdem ultimi finis, quod significatum est (Matth. XX, 9) in illo uno denario omnibus promisso. Tertia est ratione eorundem mediorum, idest fidei, sacramentorum, legum, iuxta illud (Eph. IV, 5)

Una fides, unum baptisma etc. Quarta est ratione eiusdem Spiritus Sancti, a quo tamquam externo rectore universa Ecclesia gubernatur (1. Cor. XII , 4) *Divisiones gratiarum sunt , idem autem spiritus.* Quinta est ratione eiusdem capitis tamquam interni et coniuncti rectoris : omnis enim Ecclesia eidem Christo tamquam invisibili eius capiti paret (Eph. I , 22) *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Sexta est ratione connexionis membrorum inter se et praecipue cum capite , ut est principale membrum (Rom. XII , 5) *Unum corpus sumus , singuli autem alter alterius membra.* Iam vero inter has unitates illae quae faciunt proprie Ecclesiam unam sunt duae ultimae. Nam per primam Ecclesia non tam est una quam ex uno. Per secundam non tam est una , quam ad unum. Per tertiam non tam est una , quam per unum. Per quartam non tam est una quam sub uno. Per quintam et sextam proprie est una , idest unum corpus , unus populus , una societas.

Prioribus ergo dimissis unitatis formis , quaerendum est 1 quam partium inter se unionem atque membrorum Christus in Ecclesia vigere voluerit. 2. Quo itidem vinculo sibi tamquam capiti invisibili Ecclesiam copulaverit. Quod ad 1 attinet , si fides , spes , caritas etc. vere ex dictis funguntur officio animae , profecto nulla maior coniunctio excogitari potest eâ quae inter ipsa intercedit et corpus Ecclesiae ; sicut nulla maior datur coniunctio quam animae et corporis in humano individuo. Verum huic in eo praestat coniunctio animae et corporis Ecclesiae, quod in humano individuo anima possit in praesenti statu separari a corpore ; at in Ecclesia anima , ex iugi in eam influxu spiritus Christi , est in semetipsa indefectibilis ; et attenta missione Ecclesiae tradita , aliisque quae superiore sectione expendimus , ac sumus suo loco expensuri , est etiam indefectibilis coniunctio qua anima Ecclesiae adstringitur corpori , ad eum modum quo in Christo iam a mortuis redivivo anima et corpus sunt inseparabilia.

Quod ad mutuam membrorum inter se unionem spectat, tantam hanc esse in sua Ecclesia Christus voluit; ut ea non moralis utcumque foret, sed quae physicam unitatem individui physici quam cumulatissime referret. Et sane ss. Litterae Ecclesiam exhibent sub idea individui non moralis modo sed et physici, quod non alio potest pertinere, nisi ut sua membrorum arctissima coniunctione individui physici unitatem quam proxime aemuletur. Et re quidem vera saepenumero Scripturae generalius Ecclesiae unitatem commendant; ut cum ad fraternam caritatem exhortantur, cum exhibent Ecclesiam sub imagine unius regni, civitatis, domus, familiae, convivii, ovilis etc: quae omnia vinculum sociale inculcant.

Verum in his nequaquam sistunt ss. Litterae, sed ad exigendam unitatem physicae consentaneam progrediuntur. Sanc Paulus (1 Cor. XII) ne Corinthii ex variis Sp. S. charismatis ansam schismatis arriperent; monet (v. 4, seqq.) esse quidem in Ecclesia divisiones gratiarum, ministrationum, operationum et virtutum, quas ibidem enumerat. Verum addit haec omnia habenda esse tamquam dotes et munia unius eiusdemque corporis, ita ut suum quisque donum veluti in commune indifferenter conferre debeat, nec possit, tamquam proprium sibimet reservare, aut de eo gloriari. In hunc ergo sensum pergit ex professo exhibens Ecclesiam sub idea unitatis individui physici (v. 14) *Sicut enim inquit, corpus unum est, et membra habet multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus* (supple cum sua Ecclesia). *Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus..... et omnes in uno spiritu potati sumus. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa. Si dixerit pes quoniam non sum manus, non sum de corpore; num ideo non est de corpore? Et si dixerit auris: quoniam non sum oculus, non sum de corpore; num ideo non est de corpore?.... Nunc autem multa quidem mem-*

bra, *unum corpus . . . . Ut non sit schisma in corpore*, *sed idipsum pro invicem sollicita sint membra. Et siquid patitur unum membrum*, *compatiuntur omnia membra*, *sive gloriatur unum membrum*, *congaudent omnia membra. Vos autem estis corpus Christi*, *et membra de membro* etc. Quis non videat graphica hac descriptione, ideis physicae unitatis corporis, tantam Ecclesiae unitatem suaderi, quae physicam illam imitetur? Typus enim a Paulo assumptus et unitatis exemplar non quidpiam est morali utcumque coniunctione donatum, sed physica. Hanc ergo suggerit in Ecclesia esse exprimendam. Verum adhuc disertius id Paulus commendat (Eph. IV, 11-12, seqq.) *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos*, *quosdam autem prophetas*, *alios vero evangelistas*, *alios autem pastores. Ad consummationem sanctorum*, *in opus mysterii*, *in aedificationem corporis Christi. Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei*, *in virum perfectum in mensuram aetatis plenitudinis Christi . . . . . Ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis*, *secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.* Ac loco parallelo (Col. II, 18, 19) *Nemo vos seducat . . . . non tenens caput* (Christum) *ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* Quibus quidem exhibetur nobis corpus Ecclesiae non modo unum utcumque, sed instar corporis humani in seipso coagmentatum et compactum; apta partium distinctione, iunctione, ac subordinatione donatum, et tamquam nervis ac compaginibus instructum (1); habens

(1) Loco allegato ad Eph. IV. 16 inquit Paulus: διὰ ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας. Ad Colos. II. 19: διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων, h. e. per *venas* et

iuxta variam membrorum dignitatem, diversam virium subministrationem, quae a partibus dignioribus in inferiores et infimas apte invicem subordinatas dimanet: denique pollens ex tali coagmentatione et interna structura veluti vi vegetali, qua augmentum facit suimetipsius in aedificationem sui in caritate.

His non contentus Apostolus urget ulterius unitatem Ecclesiae (Eph. IV, 3, seqq.) inquiens: *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus, et Pater omnium* etc. Ubi poscit Paulus, ut quoad eius fieri possit, tanta sit Ecclesiae unitas, quanta est unitas spei vocationis, seu gloria aeterna, fidei, baptismi, Christi, Dei. Sed horum omnium unitas summa est, absoluta, atque indefectibilis. Ergo.

Denique (I. Cor. X, 17) *Quoniam*, inquit, *unus panis, unum corpus multi sumus omnes qui de uno pane participamus.* Quo loco ab unitate panis Eucharistici qui conflatur ex multis granis, sed unus in se est, ac unum alimentum omnium fidelium constituit, ad unitatem Ecclesiae rite argumentatur.

Verum haec omnia pene exigua dixerim, si cum effatis Christi in rem praesentem prolatis comparentur. Nam praeterquamquod (Ioan. XV, 1 seqq.) exhibeat fideles omnes uti totidem palmites uni sibi tamquam viti adhaerentes, et ex una vite haurientes vitales succos; (Ioan. XVII, 20-28) sic Patrem alloquitur pro Ecclesia: *Non pro eis*

---

arterias et *compagines*, quae sunt nexus et vincula corporis, ac organa quibus diffunditur et communicatur vitalis influxus. Item quod Vulgatus reddit (ib. Col. II, 19) *subministratum*, in textu dicitur ἐπιχορηγούμενον. Est autem ἐπιχορηγεῖσθαι, unde ἐπιχορηγία, *accipere ea quae sustentando et alendo corpori sunt necessaria.* Quae ergo eruimus ex textu Paulino, sunt ex eodem ad verbum expressa.

autem rogo tantum (scilicet Apostolis) *sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint . . . . Et ego claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me: ut sint consummati in unum* etc. Quid hisce maius dici poterat? Petit Christus in sua veluti testamentaria oratione, ut quantum fieri possit tanta invicem fideles in Ecclesia unitate polleant, quantam *in natura* habent tres divinae personae ss. Trinitatis. *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Item flagitat Christus Dominus ut quemadmodum tres divinae personae in Trinitate per circuminsessionem seu circummeationem mutuo sibi inexistunt; sic membra Ecclesiae invicem coalescant, et in unum conflentur: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te.* Denique ait: *Claritatem quam dedisti mihi dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Nimirum, inquit ad Patrem: ego quidem etiam hac in re meae missionis partibus satisfeci. Medium enim suppeditavi, quo possint inter se et nobiscum unum esse. Quippe meipsum vinculum talis unitatis constitui. Siquidem me et omnia mea bona a te accepta illis communicavi. Inde fit ut omnes mecum veluti identificentur, et sint omnes unum in me. Quoniam vero ego sum unum tecum, erunt et ipsi unum tecum; proinde et inter se et nobiscum evadent unum: *Ego in te, et tu in me: ut sint consummati in unum.*

Haec tanta Ecclesiae unitas a Christo intenta respondet apprime ipsius destinationi, seu finibus propter quos diximus Ecclesiam fuisse institutam. Nam si admodum una in se sit et indivisibilis, poterit exhibere personam Christi pergentis adhuc in Ecclesia et per Ecclesiam sua fungi visibili missione. Christus enim in sui unitate personae unus fuit in terris intelligens et volens, unus docens, unus legislator ac largitor mediorum salutis. Necesse ergo est

ut personae Christi unitatem Ecclesia quammaxime imitetur. Item nisi aptam partium iunctionem, subordinationem, et subalternum unius membri in alterum spiritalem influxum Ecclesia compleoteretur; omnia in ea confusa et perturbata forent; proindeque nec regere posset, nec docere, nec ullatenus illis prodesse, in quorum commodum fuit instituta. Quam igitur essentiales sunt Ecclesiae fines, quos ei diximus a Christo praestitutos, tam ipsi essentialis est unitas quae physici individui unitatem aemuletur.

Atque haec de partium Ecclesiae inter se et membrorum eiusdem coniunctione delibasse sufficiat. Quod attinet ad vinculum intercedens inter Ecclesiam et ipsius caput invisibile Christum; non defuerunt qui sibi in Ecclesia quandam incarnationis continuationem perspicere visi sunt. Iuxta hos Christus Deus-homo voluit in ea perfectam suipsius imaginem ac similitudinem relinquere in qua et per quam ipsemet vivere quodammodo videretur, ac nobiscum etiam post visibilem suum in coelos ascensum conversari. Haec propterea societas Christum praeseferens, ut ipsi loquuntur, *divino-humana* est, subsistens in *unitate* personae cum utriusque naturae communicatione; quo fit ut elementum, prout vocant, divinum pervadat ac penetret elementum humanum, ipsumque regat ac dirigat, alat, ac veluti informet, unitatemque ex utroque constituat. Quod divinum in hac persona morali seu societate inesse dicunt, constituit partem eius intimam seu animam; quod vero humanum vocant, constituit eius formam exteriorem ac visibilem, sive corpus, quo velut organo anima exterius se prodit ac manifestat. Exinde fit ut Ecclesia invisibilis aeque ac visibilis necessario esse debeat; invisibilis quidem quoad animam, visibilis vero quoad corpus; item fit ut Ecclesia una sit, prout unus est Christus, sancta uti sanctus est Christus; indefectibilis quemadmodum indefectibilis est Christus, infallibilis sicut infallibilis est Christus, qui eam tamquam vivam imaginem

suipsius atque perfectam esse voluit, immo per eam quodammodo se in terris usque ad consumationem saeculi iugem reddere constituit; ita ut quod Christus habuit et habet natura sua, communicet per gratiam ac privilegium huic filiae suae seu sponsae (1).

Haec quidem, si rite intelligantur prout natura similitudinum exigit, recta sunt ac ideae biblicae respondent, quam mox exponemus; patrum etiam suffragio confirmantur; quos inter Athanasius (lib. de incarnat. § 21) scribit: *Et cum Petrus dicat*: certissime sciat ergo omnis domus Israel quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus hunc Iesum quem vos crucifixistis: *non de divinitate eius dicit, quod Dominum ipsum et Christum fecerit; sed de humanitate eius, quae est UNIVERSA ECCLESIA, quae in ipso dominatur et regnat, postquam ipse crucifixus est; et quae ungitur ad regnum coelorum, ut cum illo regnet, qui seipsum pro illa exinanivit, et qui induta servili forma, ipsam assumpsit.*

Sed his transmissis, irrefragabile est quod tradit Apostolus (Col. 1, 18) *Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Et (v. 24) *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia.* Idem (Eph. E, 23) *Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae.* Ac (IV, 12) *Ad consummationem sanctorum in opus mysterii, in aedificationem corporis Christi. Denique* (Eph. I. 22, 23) *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.* Ex his aliisque quae ex Scripturis

(1) Ita Moehler Symbolique (tom. 2. ch. V § 36 et seqq)

allegari possunt, infertur primo Christum suae Ecclesiae coniungi et esse caput eiusdem, quia illam regit et sibi subiectam habet, sicut et omnium tenet dominatum: quo refertur illud modo recitatum (Col. II, 18) *Et ipse est caput corporis Ecclesiae..... ut sit in omnibus ipse primatum tenens*. Secundo coniungitur suae Ecclesiae et est caput ipsius fundatione et origine, ac titulo acquisitionis; eam quippe (Act. XX, 28) *acquisivit sanguine suo*. Tertio adstringitur Ecclesiae eiusque caput extat titulo mystici coniugii a se initi cum Ecclesia, iuxta illa Apostoli (Eph. V, 21, seqq.) *Quoniam vir caput est mulieris sicut Christus caput est Ecclesiae.... Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo et Ecclesia*. Verum quarto datur arctior nexus inter Christum et Ecclesiam iuxta analogiam capitis naturalis sic ut Christus unam efformet personam moralem cum Ecclesia, ac sit veluti incompletus et mancus seorsim ab Ecclesia; sicuti vicissim haec concipi non possit absque tali capite. Habetur in terminis ex Apostolo (1. Cor. XII, 12) *Sicut enim corpus unum est, et membra habet multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus*; nimirum cum sua Ecclesia: sive ita est Christus totus, quatenus caput simul est ac corpus. Hinc (Eph. 1, 23) dicitur Ecclesia a Paulo πλήρωμα sive *plenitudo* Christi: *quae est corpus ipsius et plenitudo eius*; h. e. Christi complementum, quo dempto Christus mansurus sit inabsolutus in suo esse personae moralis et imperfectus. Hinc etiam dicit Ecclesiam successive in Christo crescere et ad magnitudinem quae plenum ac perfectum Christi corpus deceat, sensim contendere. (Eph. IV, 14-15) *Donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Veritatem autem facientes crescamus in illo per omnia qui est caput Christus*. Hinc idem Apostolus (1. Cor. XII, 27) fideles universos ap-

pellat : *corpus Christi , et membra de membro.* Hinc etiam (Ioan. XV) ipse Christus declarat nos ei tanquam palmites viti adhaerere , ac per eum et in eo posse tantummodo incrementum habere. Denique recolenda sunt quae nuper allegabamus ex (Ioan. XVII , 22.) *Claritatem quam dedisti mihi* etc. quibus verbis vidimus designari a Christo quamdam sui in nos transfusionem , et nostrum cum ipso veluti coalitionem , unde etiam fiat ut unum cum Patre quodammodo evadamus.

Haec tam arcta Christi et Ecclesiae coniunctio in unam moralem personam , teste ipso Apostolo , confert Ecclesiae perennem ex Christo capite influxum , quo sicut in humano corpore ex capite defluens spiritus omnia membra continet , nutrit , augetque ; ita ei vis , motus , virtus operandi , ipsa denique vita communicatur , et per singula membra non sine certa subordinatione diffunditur. (Col. II , 19) *Et non tenens caput* (Christum) *ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei.* Ac (Eph. IV , 16) *Ex quo totum corpus compacum et connexum per omnem iuncturam subministrationis , secundumoperationem in mensuram uniuscuiusque membri , augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.* Denique vinculum primarium et formale quo Christus continet corpus Ecclesiae est eius spiritus quo fideles animantur , informantur , indeque unus cum eo spiritus fiunt (1. Cor. XII . 12 , 13) *Sicut enim corpus unum est et membra habet multa . . . . ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus . . . . . et omnes in uno spiritu potati sumus.* (1, Cor. VI. 17). *Qui adhaeret Deo unus spiritus est*, etc. Vincula secundaria seu immediata sunt fides spes caritas et reliqua quae recensuimus in Ecclesiae anima : huius autem consequenter principium et scatebra dicendus est esse spiritus Christi. Cum vero ex

ss. Litteris (Act. XVI, 7) Spiritus s. sit spiritus Christi; hinc mirum non est si non semel illa ipsa Ecclesiae vivificatio et omnimoda interior procuratio tribuatur Spiritui Sancto; veluti (1. Cor. XII, 4-11) *Divisiones gratiarum sunt..... Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus dividens singulis, prout vult.* Denique adstructum vinculum inter Ecclesiam et caput Christum esse absolute indissolubile, ut alia praetermittam, patet ex (1. Cor. XV, 24 seqq.) ubi docet Apostolus gesturum Christum commemoratam Ecclesiae administrationem usque ad mundi finem, donec tradat Ecclesiae regnum, tamquam bellicum trophaeum, Deo et Patri; et ipse, hostibus omnibus profligatis, accipiat a Patre inimicos suos scabellum pedum suorum. *Deinde finis. Cum tradiderit Deo et Patri regnum .... Oportet autem illum regnare donec ponat omnes inimicos scabellum sub pedibus eius.*

Ex his principiis quisque videt quae et quanta pro interna et perenni Ecclesiae sanctitate, incorruptibilitate, operositate etc: possent derivari. Verum satis sit in praesens tantarum veritatum semina iecisse. Eadem suis quaeque locis in tractatus progressu evolvemus.

LECTIO IX

Quoniam de nexu constat sive unitate partium Ecclesiae; quodnam sit formale principium eiusmodi unitatis vestigandum suscipitur. Quamobrem de ecclesiastica Hierarchia, deque exteriori Ecclesiae forma disceptatio inchoatur.

Quali ac quanta unitate voluerit Christus suam instrui Ecclesiam, ex disputatis aperte liquet. Age vero cum dari nequeat effectus sine caussa; quaerendum superest quam Christus suppeditaverit tanti nexus caussam, sive quod me-

dium, principium, aut quam unitatis formam. Fateor equidem, quod nuper ostendimus, Christum in suam Ecclesiam, tamquam caput in corpus perpetuo influere; atque hoc pacto eiusdem unitati conservandae per so adlaborare. Verum id ipsemet praestat tamquam principium unitatis seu caussa *efficiens*, utpote efficiens est influxus quem Ecclesiae impertit. At enim praeter hoc, debet reperiri in ipsa Ecclesia formale principium, seu forma unitatis, qua eadem formaliter in esse eiusmodi unitatis constituatur. Nimirum exigitur debita partium distributio ac mutua subordinatio, et unius prae altera praecellentia; item aliqua determinata auctoritas et regiminis forma; ac caetera omnia, sine quibus non corpus unum sociale debito *organissatum* haberetur, sed mera partium congeries et aggregatio incapax motus et vitae socialis. Christus igitur suo influxu prospicit ne in sua Ecclesia formale unitatis principium corrumpatur; at vero non suo ipse influxu unitatis vinculum in Ecclesia constituit. Eiusmodi principium esse dicimus ecclesiasticam hierarchiam, de qua propterea heic controversiam inimus. Verum animadverte, hoc a nobis simul quaestionem expediri de exteriori forma Ecclesiae: siquidem ut hierarchia adstruatur; evincenda est distinctio *iure divino* vigens inter laicos et clericos; itemque horum gradus et potestas in perspicuo poni debet; quamobrem partium corporis Ecclesiae distinctio, subordinatio, ac universim illius *organissatio* innotescet. Quo fit ut tota Ecclesiae essentia quaque versus spectata perspicua evadat.

Ut igitur nonnulla tantae disputationi praenotemus; haereticorum plerique, saltem verbo tenus, confessi sunt unitatem Ecclesiae: cum, ut caetera mittam, una ab omnibus dicatur in Apostolorum symbolo. At post Waldenses, Lutherani et Calvinistae unitatem Ecclesiae subiecerunt formae regiminis plane democraticae. Omnem ex divino iure membrorum disparitatem in Ecclesia inficiati sunt. Commenti fuere vi baptismi fideles omnes effici reges et vere

ac proprie sacerdotes. Potestatis plenitudinem in populo residere asseruerunt. Quia vero nequit populus immediate per se sacris muneribus fungi; deputari ab eodem dixerunt qui illa praestent. Eos propterea *ministros* vocant, et qui inter istos eminent, *episcopos*, aut *praesidentes*, ita tamen ut hi ordinem ministrorum nequaquam transcendant. Hinc infernnt absolutam necessitatem popularis suffragii in electione ministrorum. Cum vero principes laici potissima pars sint civilis societatis; hinc sibi praecipue attribuerunt ius suffragii, ac universim ius in sacra, pastoribus lutheranis et calvinianis frustra et immerito reclamantibus. (1) Si enim ius in sacra est per se patrimonium populi; illi potissimum convenit, qui in civili republica populi personam repraesentat

Perspicua est ratio cur Protestantes in commemoratam sententiam deflexerint. Ut nimirum facilius ab ecclesiastica hierarchia in catholica Ecclesia vigente, et in ipsos animadvertente, se subducerent. Praesertim vero ut evaderent auctoritatem Rom. Pontificis, qua enervata, minus ipsi refractarii videri possent. Deinde, ut sublata successione episcoporum tamquam ex divino iure profluente, antiquitatis defectum in suis sectis melius obtegerent.

---

(1) Sic Melanchthon in Exam. Ordinandor. *Non condant*, inquit, *magistratus dogmata in Ecclesia, nec instituant cultus.* Magdeburgenses Centuriatores apud DuWallium pag. 357 scribunt: *Sint sane magistratus membra Ecclesiae, flagrent magno pietatis zelo, sed non sint capita ecclesiae, quia ipsis non competit iste primatus.* Masculus quoque in Loc. communib. cap. de Magistrat. sect. ult. *Haec*, ait, *constitutio disciplinae ecclesiasticae per principes nihil aliud esset, quam versionem facere, et arbitrariam religionis constituendae potestatem Pontificum magisterio ereptam magistratibus assignare.* Denique ipse Wegscheiderus op. al. cit. §. 183 optat ut magistratus politicus in res ad religionem pertinentes nequaquam se ingerat.

Interim Lutheri et Calvini asseclae varia systemata procuderunt ad originem et formam ecclesiastici regiminis explicandam. Clericus (Hist. Eccl. ann. 52, §. 7; et ann. 68, §§ 6—8) docuit Christum aut Apostolos nullam regiminis formam invexisse. Congruum tamen extitisse, ut communi consensu, ad vitandas perturbationes, aliqua demum statueretur, quam nefas sit reprehendere. Moshemius eandem sententiam secutus docet (in instit. hist. christ. sect. I, cap. II. §. 7, seqq.) nullum regimen a Christo fuisse relictum, ac ut in caeteris fit societatibus, posse Ecclesiam pro lubito unam aliamve regiminis formam sibi constituere. Rigaltius, Blondellus, Dallaeus, Basnagius, Salmasius, Boehmerus, aliique censuerunt primo Ecclesiae saeculo summam rei in regimine plane democratico, stetisse penes seniores populi; sed circa medium saeculum secundum populi auctoritatem magna ex parte a conciliis usurpatam fuisse: ita ut episcopi ausi sint ferre leges absque ullo plebiscito. Eadem aetate, aiunt, fidelibus persuasum fuit ministros Ecclesiae Iudaicis sacerdotibus charactere et potestate successisse. Denique, inquiunt, saeculo Ecclesiae tertio, opera praecipue s. Cypriani, omnis populi autoritas in sacra, fuit absumpta.

Ianseniani ab his non abludunt; sed ut errorem dissimulent, quaestionem de Ecclesiae regimine uti inanem ac supervacaneam traducunt, quod pariter asseruerat Lutherus (in lib. de potest. Papae).

Edmundus Richerius doctor et syndichus facultatis theologicae Parisiensis, ut gallicanas doctrinas circa praestantiam concilii oecumenici supra Pontificem solido fundamento constabiliret; anno 1611 libellum anonymum Parisiis edidit inscriptum *de ecclesiastica et politica potestate*. In eo tuetur Christum in fundanda Ecclesia *prius*, *immediatius* atque *essentialius* claves, sive iurisdictionem, contulisse toti Ecclesiae, quam Petro; seu, quod eodem redit, claves toti dedisse Ecclesiae, ut per unum *mini-*

sterialiter earum potestas exerceretur. Hanc conclusionem ex vulgari illo axiomate colligit ; Deum et naturam prius atque immediatius ad totum suppositum quam ad aliquam partem suppositi , utut nobilissimam , intendere ; eamque ob caussam e. g. facultatem videndi toti datam esse homini , ut per oculum tamquam per hominis ministrum seu instrumentum exerceatur.

Richerii systema , quod re unum est cum systemate Protestantium , (1) adoptatum fuit a Van-Espenio (tract. de censur. cap. 11) et Iustino Febronio (in op. de statu Ecclesiae et legitima potestate romani Pontificis). Item in Richerii sententiam proni ivere Pistorienses duce Riccio , quibus propterea appellatio *capitis ministerialis* summo Pontifici attributa , in deliciis fuit. Quamobrem eiusmodi denominatio ut haeretica proscribitur a Pio VI in Bulla *Auctorem fidei*, prop. III. (2) Hanc dogmaticam conde-

---

(1) Fatetur hoc ipse Richerius , qui in sua retractatione scribit : *Hanc propositionem , seu potius* haeresim *ex putridis Lutheri et Calvini fontibus me hausisse non diffiteor , qui ambo impie falsoque contendunt, proprie et immediate iurisdictionem Ecclesiae fuisse datam a Christo , non s. Petro , aliisque apostolis et episcopis, nisi per accidens , instrumentaliter, et nomine Ecclesiae.... Nec minus mihi ridiculum fuit dicere, eumdem Papam esse caput ministeriale , ac si esset ecclesiae minister , quemadmodum apparitores sunt ministri iustitiae.*

(2) De hac prop. III. quae statuit rom. Pontificem esse caput ministeriale, Bulla sic habet. *Ea etiam sic explicata, ut rom. Pontifex non a Christo in persona b. Petri , sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat , qua velut Petri successor , verus Christi vicarius , ac totius Ecclesiae caput , pollet in universa Ecclesia; pari ratione damnatur tamquam haeretica.* Et ad secundam inquit: *Propositio quae statuit potestatem a Deo datam Ecclesiae , ut communicaretur pastoribus qui sunt eius ministri pro salute animarum . . . sic intellecta , ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii , ac regiminis potestas* , haeretica.

mnationem, itemque concilii Tridentini canonem VI sessionis XXIII veriti nonnulli neoterici, nisi sunt novam formam verborum invehere, quin tamen a doctrina proscripta Pistoriensium recederent. Dixerunt enim dari in Ecclesia hierarchiam ex Christi ordinatione, et potestatem. Sed hanc non esse iurisdictionis, at simplicis directionis, supremae quidem in rom. Pontifice, in reliquis Ecclesiae praesidibus subalternae. Iuxta haec non patiuntur Ecclesiam vocari *corpus*, *statum*, *regnum*, *monarchiam* etc. sed docent appellandam esse *collegium*; episcopos vero negant nuncupari posse *superiores*, sed *primos* dicunt *inter pares*.

Haec errorum monstra transfusa reperiuntur in duobus celeberrimis systematis *territoriali*, ac *collegiali*. Primum est vi cuius princeps territorialis iurisdictionem in sacra exercet, ratione territorii sibi competentem; et quidem aut nomine principis, aut adscito sibi titulo episcopi, seu membri principalioris in coetu sacro. Alterum est quo membra Ecclesiae in *doctores* et *auditores* dividuntur; ipsaque Ecclesia pro collegio et societate aequali habetur. Inde alia Ecclesiae iura *collegialia* dicuntur; ceu ius condendi formulam fidei; ordinandi sacra quoad ritus; constituendi pastores; condendi leges conventionales, talesque poenas decernendi; ius a coetu excludendi refractarios, qui initis pactis stare nolint; reformandi abusus; invocandi brachium saeculare; denique potestas quaedam collegialia iura pro temporum ratione transferendi in principem. Alia vocantur iura *maiestatica*, in quorum numero est cura generalis cavendi ne ex Ecclesiae negotiis respublica

Clemens *XI* in Const. *Unigenitus* iam damnaverat propositionem Quesnelli XI, quae eundem errorem insinuat: *Ecclesia auctoritatem excommunicandi habet per primos pastores, de consensu saltem praesumpto totius corporis.*

detrimentum capiat; ius exigendi notitiam de statutis a collegio latis; ius mittendi viros delectos a principe, qui negotiis et coetibus intersint; ius assistendi contra refractarios, providendi rectae administrationi bonorum, extirpandi abusus, si ipsum collegium hoc facere nequeat, etc.

Denique huc etiam facit commentum *confoederatae Ecclesiae disciplinae*, ex mutuo nempe ecclesiarum consensu enatae, vi cuius mysticum Christi corpus servent purum; crimina a coetibus arceant; fidem fallentes a mutua communione excludant; quin tamen episcopo propria quaedam competat in membra Ecclesiae potestas, aut uni episcopo in reliquos.

Ut tot tantasque absurditatum formas radicitus evertamus; liquet a nobis demonstrandum esse primo, dari ex iure divino, sive ex ipsa Christi institutione, essentiale discrimen inter *clericos* et *laicos*; adeoque corpus Ecclesiae in hos duos ordines natura sua dividi. Inde vero consequens est, ut nec laici universim, nec principes saeculares habeant ius in sacra. Secundo erit ostendendum dari in Ecclesia veri nominis sacrum principatum, ita ut qui in ea praesunt vera fruantur potestate iurisdictionis, non vero honoris tantum praerogativa caeteris emineant. Ex hoc autem per se fluet regimen Ecclesiae non esse democraticum. Tertio demum evincemus principatum Ecclesiae ad monarchiam revocari, sive haec tandem pura dicenda sit, sive ex aristocratia temperata, aut etiam quadamtenus ex democratia. Patet iuxta hanc materiae distributionem, agendum nobis esse de ecclesiastica hierarchia, sed respectu quodam generico, quin ex professo singulos eiusdem gradus distinguamus ac vindicemus. Haec enim graduum singulorum accurata discriminatio atque expensio ad tractatum de rom. Pontifice, et de sacramento ordinis est differenda.

LECTIO X

Ostenditur iure divino, seu ex ipsa Christi institutione, essentiale discrimen vigere inter clericos *et* laicos.

Ut a nominibus ipsis elucidandis ordiamur, nemo est qui ignoret laicos dici a λαὸς populus; unde laici, plebei intelliguntur seu populares, quibus scilicet nulla pars functionis ecclesiasticae sit demandata. Nemo etiam est qui nesciat clericos vocari a κλῆρος, quod per se *sortem* significat, et metonymice *haereditatem*, eo quod haereditas in plures sorte dividatur. Isidorus Hispalensis (lib. VII origin. cap. XII) inde censet clericos sic appellatos, quod Matthias primus ab Apostolis sorte adlectus sit in ecclesiasticum ordinem. Sed verius sic appellantur tum quod sorte, seu gratuita electione, vocentur a Deo; tum quod Deus ipse eorum pars sive haereditas sit futurus. Unde Hieronymus (epist. ad Nepotian.) *Clericus interpretetur primo vocabulum suum, et nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim* κλῆρος *graece, sors latine appellatur; propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars clericorum est.* Habet autem id fundamentum in antiquo foedere, in quo (Exod. XVIII, et Deut. XVIII) tribui Levi sacrorum procurationi ex divina electione addictae, spopondit Deus seipsum fore κλῆρον, seu partem ipsius atque haereditatem.

Novatores saeculi XVI eiusmodi vocis *cleri* derivationem ac significationem admittunt; sed contendunt appellationem hanc toti christianae plebi aeque convenire. Unde Lutherus (lib. de abrog. miss. priv. p. 1.) in illud Petri (1 Epist. V) *non dominantes in cleris*; inquit: *Quod nostra translatio habet, non dominantes in cleris, interpretis incuria fuit, quae fecit ut clerum hoc loco*

intelligerent , *quos nunc a laicis discrevit impia hominum traditio.* Et infra : *Hoc dixisse contenti sumus, christianum populum esse simplicem* , *in quo prorsus nulla secta* , *nulla differentia personarum, nullus clericus* , *nullus laicus* , *nullus unctus* , *nullus rasus* , *nullus monachus esse debeat.* Calvinus autem (lib. IV Instit. cap. IV , n. 9) *Haec*, ait , *appellatio aut errore* , *aut certe ex prava affectione nata est* , *cum Ecclesia clerus*, *idest* , *haereditas Domini* , *in Petro dicatur.*

Verum quam isti hallucinentur , iam aggredimur demonstrare. Ac 1. Sacerdotium et ministerium christianum certe successit Aaronico et Levitico , quod illius figura fuit ; idque contigit iuxta ipsas Scripturas antiqui foederis, puta (Malach. I , 11 seqq.) etc. Iam vero in veteri testamento sacra omnia et legis interpretatio a Deo leviticae tribui fuerunt reservata , ut habetur (Exod. XIII) et passim ; interdicta reliquis tribubus sacrificiorum functione. Ergo. Hanc ob rem Dathan et Abiron terrae hiatu absorpti , quod ad huius communionem functionis cum Aaronidis aspirarint (Num. XVI) ; et Ozias lepra fuit percussus , quod sacrificiis obeundis se immiscuisset. Igitur, nisi dicere velimus maiorem honorem competiisse figurae quam figurato , et vanae imagini atque umbrae quam veritati ; non possumus adscribere omnibus indiscriminatim fidelibus sacrorum procurationem. Ut ergo in veteri lege nemo sibi sumebat sacerdotalem honorem , *nisi qui vocaretur a Deo tamquam Aaron* , teste Apostolo (Hebr. V); ita se res habet et in lege evangelica ; nec proinde sacrum ministerium est de iure commune.

II. Si Christus huic legitimae inductioni derogare voluisset ; non designasset certos homines uti solos sacrorum administros , neque iis tantum competere declarasset divini cultus procurationem. Atqui ita plane se gessit. Ergo. Et sane nonnisi Apostolis quos elegit (Matth. XXVIII) dixit :

data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; *euntes ergo docete*; etc. Nonnisi iisdem ex numero omnium discipulorum quos sibi adiunxerat, contulit potestatem ligandi atque solvendi (Matth. XVIII). Nonnisi iisdem (Ioan. XX, 21) ait: *Accipite Spiritum Sanctum* : *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; etc. Item solis Apostolis contulit (Luc. XXII, 19) potestatem conficiendi Eucharistiam. Ex solis Apostolis constitui declaravit (Matth. XVIII, 17) publicum tribunal Ecclesiae. Ipsos solos (Matth. V, 13) sal terrae et lucem mundi nuncupavit; pro ipsis solis peculiarem fudit orationem (Ioan. XVII, 1-20) iamiam morti proximus. Ipsis solis et eorum successoribus suam peculiarem promisit assistentiam usque ad consummationem saeculi (Matth. XXVIII, 20). Ipsos solos modum et formam docuit peragendae missionis. Ipsis solis aperuit, quae eos fata manerent sive apud Iudaeos, sive apud Ethnicos, cum ad evangelium praedicandum accederent. Ut vero adiutores et socios in apostolicis muneribus obeundis haberent; nonnisi alios septuaginta duos discipulos (Luc. X, 1) designavit, qui sacrorum administrationem data proportione participarent; etc. Quis post tot ac tanta voluntatis Christi documenta, nihilominus audeat affirmare sacras functiones ad fideles quoslibet iure pertinere, nec esse ex Christi voluntate determinatam hominum classem quae specialiter ad id instituta talem potestatem exclusive sibi vindicet?

Nec dicas; in his omnibus Apostolos plebem fidelium repraesentasse. Imprimis enim haec suppositio est plane gratuita, cum in verbis Christi nullum occurrat vestigium eiusmodi *repraesentationis*; neque ex ullo alio fonte erui possit; neque etiam ex natura rei. Tunc enim erui posset ex natura rei, cum ad notionem populi, ut talis est, pertineret, aut de iure naturali esset ut idem sacra administret. Atqui id absurdissimum est, et nec adversarii audent defendere. Ergo. Deinde, ut caetera missa faciam,

nulli certe melius mentem Christi assequi potuerunt, quam ipsi Apostoli. Atqui hi Magistri verba sibi solis dicta intellexerunt, suisque in sacro ministerio legitimis successoribus; quod mox ex dictis gestisque Apostolorum perspicue ostendemus. Ergo. Et sane

III. Quod ad Apostolos attinet, discrimen Ecclesiae ministrorum a reliquis eiusdem membris a Deo esse profectum, conceptis verbis docet Paulus (I Cor. XII, 12, seqq.) Quamvis enim, prout superius animadvertimus, idem tradat Ecclesiam esse unum corpus eodem spiritu vegetatum; tamen asserit hoc corpus includere in se ex natura sua originariam membrorum disparitatem, subordinationem, ac subalternationem; non secus ac in corpore humano necessaria est talis disparitas et mutua partium subiectio; nec possunt omnia membra esse caput, aut oculus, quin corporis debita *organissatio*; adeoque corpus ipsum intereat. Inde legitime concludit Apostolus Deum ipsum, utpote sapientem Ecclesiae architectum, diversa ipsius membra diversis eiusdem necessitatibus coaptasse: (ibid. v. 27, seqq.) *Vos autem estis corpus Christi et membra de membro. Et quosdam quidem* posuit Deus *in Ecclesia primum apostolos, secundo prophetas, tertio doctores . . . . . Numquid omnes apostoli; numquid omnes prophetae; numquid omnes doctores?* etc. Ac (Ephes. IV, 11, seqq.) *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum*, etc. Hanc ergo munerum distributionem 1. censet Apostolus pertinere ad essentialem structuram et organissationem corporis Ecclesiae. 2. Varios eiusdem gradus quibus alii prae aliis instruantur, a Deo ipso docet originem et institutionem accepisse 3. Denique sic a Deo institutos esse sentit pastores et doctores, uti ab eo dati sunt Ecclesiae apostoli, prophetae, et evangelistae. At nemo dicet haec postrema mu-

nia compelere omnibus, nec nisi a vulgo fidelium determinatis personis demandari. Ergo neque caetera. Quamobrem merito idem Paulus (Act. XX, 28) universim pronuntiat: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ac (I. Cor. IV, 1) poscit ut homines sacris muneribus addicti habeantur veluti ab ipso Christo constituti ipsius ministri: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei.*

IV. Inde factum recte dixeris ut hominis assumptio et addictio ad sacrum ministerium *segregationis* vocabulo in ss. Litteris non semel exprimatur. Sic Paulus (Rom. I, 1) de seipso ait: *Paulus servus Iesu Christi . . . segregatus in evangelium Dei.* Quod respondet effato Spiritus Sancti (Act. XIII, 2) *Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos.* Subdit autem s. Lucas segregationem hanc non sine certo ritu consecratorio fuisse perfectam (v. 3) *Tunc ieiunantes et orantes imponentesque illis manus dimiserunt illos.* Quod quidem novum et apodicticum nostrae propositioni argumentum suppeditat. Etenim si, ut comminiscuntur adversarii, omnium esset sacrorum procuratio, ac eorundem ministri tales forent ex sola populi delegatione; homines sacris addicti extrinseca tantum relatione, eâque mutabili et in dies amissibili, deberent a reliquis fidelibus differre; non autem intrinsece, certo gradu et charactere, eoque inamissibili, in speciali et a caeteris distincta classe collocari. Atqui ita plane se res habet. Ergo. Maiorem concedunt ipsi adversarii, qui licet quadam utantur ordinatione ministrorum, tamen ei nullam vim intrinsecam tribuunt; nec dubitant habere cras pro meris laicis eos qui hodie ministri extent. (1) Deinde iidem propterea nega-

(1) Nimirùm Novatores saec. XVI hac quoque in re imitantur ve-

runt sacramentum ordinis, ne cogerentur intrinsecum discrimen agnoscere inter fideles quoscumque, et eos qui sacris essent mancipati. Minor argumenti evincitur ex iis omnibus quae efficiunt dari, Deo ipso auctore, sacramentum ordinis, quo et gratia confertur, et character ordinato imprimitur qui deleri non possit. Talia sunt v. g. quae habet Apostolus (II. Tim. I, 6) *Admoneo te ut resuscites gratiam quae est in te per impositionem manuum mearum.* Et(I Tim. IV, 14)*Noli negligere gratiam, quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Item reliqua quae in tractatu de sacramento ordinis solent expendi. Si itaque Deus sacram ordinationem instituit, qua homines intrinsece et immutabiliter in suo gradu constituuntur; iam, Deo ipso auctore, inveniuntur in Ecclesia qui ex accepto ordine et charactere non possunt cum reliquis uuquam confundi, sed intrinseco et permanenti discrimine ab aliis differunt; adeoque, Deo ipso auctore, corpus Ecclesiae tamdiu duplici ordine distincto constabit, nempe clericorum et laicorum, quamdiu ipsa sacra ordinatio in Ecclesia perseverabit. Atque haec ex effatis Apostolorum deprompsisse sit satis. Quod ad eorum gesta attinet

V. Nunquam Apostoli sese ita gesserunt, ut significarent se agnoscere in fidelibus omnibus sacri ministerii potestatem; immo semper non in aliis tale ius agnoverunt, nisi in iis qui in gradu ministrorum per sacram ordinationem constituti essent. Nec disposuerunt ut populus sacros ministros institueret seu delegaret, prout in hypothesi adversariorum faciendum fuisset; sed independenter a populo, plerumque etiam nec eius testimonio exquisito,

---

teres illos haereticos, quibus iure exprobrat Tertullianus (lib. de praescript. cap. XLI) quod omnia inconstantia haberent, ita ut apud eos cras laicus extaret, qui hodie presbyter foret vel episcopus. Locum Tertulliani paulo post recitabimus.

quos ipsi probarent, sacerdotio inaugurarunt. Sic (Act. XIV , 20) Paulus et Barnabas dicuntur propria auctoritate constituisse presbyteros per singulas ecclesias. Paulus (I. Tim. I , 3) Timotheum praefecit ecclesiae Ephesinae , et Titum Cretensi (Tit. I , 6). Idem praestitit s. Petrus per universas occidentis ecclesias , testibus Tertulliano (lib. de praescript. cap. XXV) Innocentio I (ep. ad Decent. n. 2) s. Augustino (in brevic. collat. et lib. de unic. bapt.) etc. Denique s. Ioannes ex Irenaeo et Clemente Alex. (ap. Euseb. lib. III , cap. XXIII) et Hieronymo (de vir. illustr. cap. IX) viros a se delectos praefecit ecclesiis Asiae quas fundaverat. etc. Ergo. (1) Nec vero ipsi tantummodo hac facultate sunt usi, sed in alios etiam exercendam transfuderunt. Unde (Tit. I. 5) inquit Paulus : *Huius rei gratia constitui te Cretae , ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros , sicut et ego disposui tibi.* Quo ergo abeunt adversariorum commenta ?

VI. Postremo Ecclesia apostolica ab Apostolis edocta non aliter sensit atque egit. Clemens rom. (I. ad Cor. cap. XLII) Ignatius M. (epist. ad Eph. cap. IV) Hermas (lib. I. vis. V , et seqq.) etc. docent episcopos , presbyteros et diaconos a Domino praefici Ecclesiae , praeesse Dei loco , quibus propterea parendum sit ut Deo Patri etc. Porro iuxta huiusmodi principia , sui iuris esse semper censuerunt independenter a populo in ordine ecclesiastico quos idoneos putarent , recensere ac constituere. (2) Patet igitur quod evincendum assumpsimus , cle-

---

(1) Qui plura cupit exempla , adeat Bellarminum (lib. I de rom. Pont. cap. VI.

(2) Cf. Petavium (de ecclesiast. hierarch. lib. 1. cap: II) Thomassinium (in op. Vetus et nova discipl. lib. 1. cap. II) Hallierium (de sacris electionib. et ordinationib. p. 2. cap. III, §. 1, et seqq.) Natalem Alex. (H. E. diss. VIII. in saec. 1. et diss. IV. in saec. IX et XII).

ricos iure divino a laicis discriminari ; adeoque corpus Ecclesiae veluti ex duobus summis elementis , ex clericis et laicis coalescere.

LECTIO IX.

Momenta heterodoxorum refutantur.

Obiic. I. s. Petrus (I. Epist. II , 9) *Vos autem*, inquit , *genus electum* , *regale sacerdotium* etc. Et s. Ioannes (Apoc. I , 6) *Fecit nos* (Christus) *regnum et sacerdotes Deo* (v. 10) *Fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes.* Sed haec dicuntur de omnibus fidelibus, et ad omnes fideles pertinent. Ergo.

Resp. dist. min. Dicuntur ad omnes fideles et de omnibus fidelibus propria et pressa significatione ; *Nego.* Impropria et metaphorica; *Conc.* Adest respectus quo utique omnes christifideles dici possunt sacerdotes , nimirum quatenus quamdam consecrationem acceperunt in baptismo, ac debent ipsi offerre Deo spirituales hostias , ut hoc ipso loco dicit Petrus (v. 5.); sive hostiam labiorum confitentium nomini eius , ut loquitur Paulus (Hebr. XIII , 15). Verum quid inde ? Si Christus , ut rem habere ostendimus, aliud invexit proprie dictum sacerdotium , ab eoque exclusit eos omnes qui non sint eodem legitime initiati ; numquid propterea hoc sacerdotium cum altero omnibus communi confundi debebit ? Minime sane ; adeoque dicemus sive loco obiecto Petri , sive locis Ioannis commendari utique sacerdotium laicorum, sed quod impropria ac metaphorica significatione sit intelligendum ; nec propterea laicis indiscriminatim attribui proprie dictum sacerdotium, quod seorsim a Christo fuit institutum. (1)

---

(1) Haeresiarchas qui recitata loca obiiciunt , non ex errore, sed ex obfirmata malitia hallucinatos esse, ostendunt Patrum testimonia ,

Instant. Sed enim s. Petrus (I Epist. V , 3) toti christianae plebi *cleri* appellationem concedit : *Neque ut dominantes in cleris , sed forma facti gregis ex animo.* Vere ergo, quod Lutherus dixit, populus Dei est simplex; et ut omnibus indiscriminatim cleri appellatio convenit ; ita unum competit sacerdotium.

Resp. Dist. mai. concedit appellationem *cleri* significatione generica et analogica ; *Conc.* vel *Trans.* significatione specifica et propria ; *Nego.* Imprimis probabile est quod s. Hieronymus (in ep. ad Nepotian.) et Oecumenius (in comment. hui. epist.) docent , *cleri* appellationem hoc loco positam , non ad Ecclesiam universam , sed ad eos tantum esse referendam qui proprie clerici vulgo nominantur. Tametsi enim ad episcopi gregem tum clerici , tum laici pertineant ; nihilominus , quia tanto maius periculum erat ne episcopi clericis dominari vellent, quam laicis, quanto clerici magis quam laici, subiecti atque obsequentes episcopis , ut proprii eorum ministri , ex ipsa sua professione debent esse ; propterea s. Petrus episcopos monet , ut universum quidem gregem diligenter curent ,

qui tanto ante eadem sibi obiecerant , et dilucide sensu catholico explicaverant. Sane sacerdotium omnibus fidelibus a Petro attributum, non in sacrorum administratione consistere, unanimes docent ; sed vel in eo collocant ut quis *membra sua ab omni concupiscentia carnis mortificet , et mundo sit crucifixus etc.* uti loquitur Origenes (Hom. IX in cap. XIV Levitici) : vel in eo ut quispiam sit per confirmationem sacro chrismate delibutus , quod ait Ambrosius (lib. IV de sacr. cap. 1) : vel quod *conscientiam puram , et immaculatas pietatis hostias de altari cordis offerant* , uti explicat Leo M. (serm. III de anniv. suae elect.) vel quod membra sint Christi sacerdotis ; quod expressit Augustinus (lib. XX de civ. Dei, cap. X) etc. Praeclare autem et eleganter Hieronymus (Dial. adv. Lucifer. n. 12) baptismum vocat *sacerdotium laici* , illudque opponit sacerdotio clericorum , quod et proprie tale sit , et propria ordinis consecratione conferatur.

sed in pascendis laicis caveant turpe lucrum ; in clericis regendis fugiant dominaudi cupiditatem.

Verum dato etiam quod per *cleros* varias ecclesias particulares b. Petrus intelligat ; non propterea omnibus indifferenter fidelibus clericorum nuncupationem tribuit. Aliud est enim ecclesias vocari cleros ; aliud est unumquodque Ecclesiae membrum clericum esse aut dici. Potuerunt enim dici *cleri* singulares ecclesiae , quin fidelibus singulis clericorum nomen aut ratio competeret. Sane etiam in antiquo foedere iudaicas tribus saepe cleros appellatas reperimus ; sed non propterea quisquam contendet singulis individuis clericorum appellationem , saltem sic ut iis qui essent ex ordine leviticeo, congruere potuisse.

Sed admisso etiam quod illa *cleri* nuncupatio ad singula Ecclesiae membra apud Petrum referatur ; nemo non videt id fieri significatione generica, quatenus universa Ecclesia sors atque haereditas Christi est , qui eam acquisivit sanguine suo. Sed si , ut revera est , aliunde constet in ipsa Ecclesia institutum a Deo esse determinatum ordinem personarum , quibus peculiari ratione competat ut sors Domini appellentur; hae profecto a suo gradu et propria nuncupatione non excidunt , quod reliqui ex analogia similiter appellentur. Et sane in veteri testamento ex dictis , tota Ecclesia clerus appellari consuevit ; nec tamen propterea peculiaris ordo Aaronicus et leviticus uti divina iustitutione a reliqua plebe distinctus non agnoscebatur. Adde postremo quod sic a Petro fideles omnes dicuntur sacerdotes , uti reges appellantur. Sed nemo asseret alio sensu fideles nuncupari reges quam improprio et mystico. Ergo et sacerdotes sic compellantur.

Obiic. III. Nisi vere dignitas sacerdotalis a populo in ministros Ecclesiae dimanaret ; non intervenisset sub ipsis Apostolis in electione ministrorum populi suffragium. Atqui (Act. I-23) interfuit ad electionem Matthiae et Barsabae ; itemque (Act. VI , 3-5) ad electionem septem dia-

conorum. Similiter in electione presbyterorum a Paulo et Barnaba facta (Act. XIV, 22). Nam quod vulgatus reddit *constituissent*, graece legitur χειροτονήσαντες, quod est : per *suffragia elegissent*. Porro tametsi alias populi suffragium non commemoretur, iure tamen subintelligitur ex iis locis ubi diserte exprimitur. Igitur etc.

Resp. Dist. maior. Non intervenisset populi suffragium tamquam ex iure divino necessarium, et quod adhiberetur ad transfundendam auctoritatem in ministros Ecclesiae; *Conc.* Non intervenisset ex libera disciplina, et ad reddendum idoneis personis testimonium, dumtaxat usurpatum; *Nego.* Ad suum assumptum evincendum non sufficit adversariis ostendere quod populi suffragium utcumque comitatum sit sub Apostolis electionem ministrorum; sed necesse est ut doceant fuisse absolutae necessitatis ex iure divino, atque illius vim rationemque talem extitisse, ut populus ex se in electos sacrorum procurandorum ministros potestatem transfunderet. Iam vero neutrum possunt ullo modo evincere. Non primum : nam quod ex iure divino procedit, constans est et absolute immutabile. Atqui in ss. Litteris praeter prima duo commemorata exempla, nullum aliud occurrit requisiti ab Apostolis suffragii popularis. Ergo. Dixi praeter prima duo. Nam quod aiunt (Act. XIV, 22) χειροτονήσαντες esse per suffragia eligere, merito inficiamur. Etenim in textu non populus dicitur χειροτονῆσαι, sed Paulus et Barnabas dicuntur χειροτονήσαντες. At si hoc, isto loco χειροτονεῖν non significat per suffragia eligere : quando enim id importat, de iis dicitur qui dant suffragium, non vero de iis qui ex dato suffragio quempiam in ordine constituunt. Ergo. (1)

(1) χειροτονεῖν apud graecos auctores proprie et primario significat *eligere*, seu per *suffragia creare*. Exprimit enim actum attollendi manum per quem veteres graeci suffragium ferebant. Sed, ut plerumque contingit, lapsu temporis idem verbum inflexum fuit ad

Nec vero dicant in reliquis locis in quibus populi suffragium non commemoratur, ex aliis ubi commemoratur supplendum esse. Nam imprimis hoc gratis asseritur absque ullo in ipso sacro textu fundamento : nec idem potest ab adversariis assumi, quin supponant quod ipsis probandum incumbit, nimirum populare suffragium nunquam abfuisse, quia necessarium esset ex iure divino. Deinde phrases quibus alibi presbyterorum aut episcoporum institutio significatur ac contextus omnino vetant ne suffragium populi subintelligamus, uti illud (Tit. I, 5) *Ideo reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros.* Ubi vox *constituas* per se nullum populi suffragium involvit, et absolutam ac independentem inaugurandi potestatem denotat. Denique non potuit Scriptura ubique intelligere tamquam absolute necessarium ac de iure divino suffragium populi, quando iuxta dicta in probationibus, et Christus et Apostoli toties declararunt ministrorum in Ecclesia ordines a Deo ipso originem et potestatem nancisci. Re-

---

significandum *eligere* ac *decernere*, quocumque modo id fiat. Sic (Act. V, 41) testes resurrectionis Christi praeordinati a Deo, dicuntur προκεχειροτονημένοι. Et similiter utuntur hoc verbo Philo de Pharaone Iosephum iubente proregem Aegypti; Lucianus de Alexandro Hephoestionem mortuum deum creante etc. Unde Hesychius χειροτονεῖν, καθιστᾶν ψηφίζειν, constituere. Ultimo apud scriptores ecclesiasticos χειροτονεῖν denotat ordinare per manuum impositionem. Exempla complura refert Suicerus in thesauro ecclesiastico ad voces χειροτονεῖν, χειροτονία; et Bellarminus (lib. I. de clericis cap. VII). Age ergo ex tribus hisce significationibus nequit prima praesenti loco competere ex ratione adducta. Nam iuxta vim vocabuli, χειροτονεῖν in sensu ferendi suffragii de iis dici debet qui dant suffragium, non vero de iis qui ex dato ab aliis suffragio quemquam in gradu constituunt. Proinde nequit talis significatio obiecto textui applicari. Quare heic χειροτονεῖν idem est ac καθιστᾶν quod habetur (Tit. I, 5) *Ut constituas per civitates presbyteros.* Quae quidem omnia ita sunt explorata, ut ipse Suicerus loc. cit. nostram interpretationem tueatur.

stat ergo ut duabus tantum vicibus, nempe (Act. I et VI) suffragium populi locum habuerit. Sed si hoc, nequit idem dici de iure divino. Igitur; etc.

Quod attinet ad vim rationemque illius suffragii popularis, ex iis ipsis quae modo dicta sunt, patet ipsum non continuisse transfusionem potestatis quae a populo delegatis ministris communicaretur. Si enim ita res habuisset, debuisset esse suffragium populi absolute necessarium et de iure divino; sive institutio divina ea esse debuisset, ut sacra potestas in populo resideret, nec nisi ex huius communicatione ministri acciperent. Sed ex nuper dictis populi suffragium nec habitum est uti absolute necessarium, neque uti ex iure divino profectum. Igitur nec suscipi potuit ad transfusionem potestatis. Dicemus ergo usurpatum fuisse prudentis cuiusdam oeconomiae gratia; vel dumtaxat ad reddendum personis idoneis testimonium; vel etiam ut libentius faciliusque suo praeposito subiectae plebes obtemperarent. Sane (Act. VI) ideo in electione septem diaconorum exquisitum est suffragium multitudinis, ne deinde in suspicionem ipsi venirent in gerenda bonorum temporalium administratione. Quare, ut animadvertit s. Io. Chrysostomus (Hom. XIV in Acta) aut omnes, aut plerique saltem diaconi electi sunt ex numero Hellenistarum, ut ipsorum nomen indicat; quippe murmur exortum erat ex parte graecorum. De iisdem (v. 3) dixit Petrus: *Considerate ergo, fratres, viros ex vobis boni testimonii septem* etc. Quoad alios docet universim Paulus (I Tim. III, 7) *Oportet autem illum* (episcopum eligendum) *et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt.* Ergo si aliquando ad publicum populi suffragium res deducebatur, id ideo fiebat, ut testimonium, de quo Apostolus, innotesceret.

Obiic. IV. Suffragii popularis necessitatem et quidem absolutam atque ex divina institutione profluentem tota perhibet ecclesiastica antiquitas. Etenim imprimis s. Cyprianus (epist. LXVIII) *Propter quod*, inquit, *plebs*

obsequens praeceptis dominicis, et Deum metuens, a peccatore praeposito separare se debet, nec se ad sacrilegi sacerdotis sacrificia miscere; quando ipsa maxime habeat potestatem vel eligendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi; quod et ipsum videmus de divina auctoritate descendere, ut sacerdos plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, ut dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur. Praeterea Nicaenum concilium (in epist. synod. ad ecclesiam Alexandr. ap. Theodoret. H. E. lib. I, cap. IX) ait: *Dignum est vos potestatem habere et eligendi quemlibet, et nomina eorum dandi, qui clero sunt digni, et absolute facere omnia secundum leges, et sanctiones Ecclesiae. Siquem vero contigerit requiescere in ecclesia, tunc provehi in honorem defuncti eos qui nuper assumpti sunt, solummodo si videantur digni, et populus eos elegerit, condecernente simul et designante maxime Alexandrinae civitatis episcopo.* Idem colligitur ex epistola concilii Cpni I ad Damasum, quam refert Theodoretus (lib. V. H. E. cap. IX); ex ss. Leone M. (epist. LXXXIX) Gregorio M. (epist. LXIX) etc.

Resp. imprimis haec et alia quotquot possent ab adversariis coacervari, non evincere quod ipsi intendunt, immo nostrae potius propositioni suffragari. Etenim primo in omnibus obiectis documentis nunquam vel minimum quidem innuitur plebis suffragium requiri eo quod potestas in sacra resideat in populo, adeoque ab hoc debere in ministros transferri; vel eo quod populus potestatis possessor debeat eum a quo repraesentur, praevio suffragio delegare. Nulla unquam allegatur Christi sententia, factum nullum, unde constet compotem esse populum illius potestatis. Nihil plane huiusmodi habent Patres et concilia. Sed ex una parte agnoscunt et commendant perpetuo peculiarem ordinem sacerdotalem immediate a Christo institutum, et potestatem in sacra ipsi immediate adnexam;

ex alia, ut in ipsis obiectis sententiis videre est, ideo tantum populi suffragium postulant, *ut dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur*, sicut inquit Cyprianus. Tametsi ergo concederemus semper et ab omnibus Patribus exquisitum fuisse suffragium populi ad electionem ministrorum Ecclesiae; ad suum assumptum negandae distinctionis essentialis inter laicos et clericos, adversarii nihil proficerent. Praesertim cum in omnibus testimoniis quae possunt oggeri, Patres et concilia sic semper loquantur, ut manifeste prodant se habere ordinem clericorum uti suo genere et ex Christi institutione a laicis distinctum, nec nisi supposita tali distinctioue, ad quaerendum in clericorum electione populi suffragium aperte procedant.

Verum secundo falsissimum est constantem et immutabilem fuisse Ecclesiae disciplinam in re qua de agimus. Nam imprimis ipsum Nicaenum concilium (can. VI) iubet ut a solis episcopis, nulla iniecta populi mentione, episcopus renuntietur. Conc. Laodicenum (can. XIII) sic statuit: *Non est permittendum turbis electionem eorum facere, qui sunt ad sacerdotium promovendi.* Idem cautum est a conc. Antiocheno (can. XIX) et Bracarensi II (cap. I). Insuper Nicaenum II oecumenicum (can. III) *Omnem*, inquit, *electionem quae fit a magistratibus, episcopi vel presbyteri, vel diaconi, irritam manere. Oportet enim eum qui est promovendus, ab episcopis eligi.* Denique conc. Cpnum IV, quod est octavum generale (can. XXVIII) *Sancta*, inquit, *et universalis synodus definit, neminem laicorum principum vel potentum semet inferre electioni vel promotioni patriarchae vel metropolitani, aut cuiuslibet episcopi; praesertim cum nullam in talibus potestatem quemlibet potentum vel caeterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere ac attendere sibi, usquequo regulariter a collegio ecclesiae suscipiat finem electio futuri pontificis.*

Denique s. Hieronymus (epist. CXLVI ad Evangelum) scribit de ecclesia Alexandrina : *A Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos , presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum , episcopum nominabant.*

Variam igitur fuisse liquet pro diversis temporibus Ecclesiae disciplinam ; donec ingravescentibus ubique , ob hominum malitiam , abusibus ; populi suffragium plane aboleri decuerit. Plebs enim per se imperita est , nec satis apta ad homines sacerdotio idoneos diiudicandos. Tum experimento compertum est , oriri ex illa methodo eligendi per suffragia, gravissimas in urbibus perturbationes ac seditiones ; locum factionibus dari ; provehi quoque ad episcopatum non eum quem digniorem sapientiores cives putarent , sed quem factiosi , et qui semper numero caeteros superant , stultiores praeccuperent ; etc. Hinc sensim sine sensu his aliisve incommodis singulae ecclesiae permotae , consuetudinem illam exuerunt. Unde ex Bellarmino (de cler. lib. I. cap. VII) tota huiusce rei series sic habet. Initio , seu apostolicis temporibus , inscio populo pastores eligebantur. Deinde coepit populus adhiberi ad testimonium dandum de vita et moribus eligendi. Tum , ut populi magis diligerent suos episcopos , coeperunt ii tantum ordinari , quos populus postulasset. Tandem in quibusdam locis obtinuit consuetudo , ut etiam ius suffragii sibi populus usurparet , quemadmodum intelligi potest ex Chrysostomo (lib III. de sac.). Sed rei confusione et indignitate perspecta , paulatim sublata est populo electio et postulatio , solumque relictum est testimonium vitae et morum. Nam etiam nunc ordinantur episcopi et presbyteri coram populo , et episcopus qui ordines est collaturus, per diaconum populum alloquitur , ac petit , ut siquis est qui aliquid habeat adversus ordinandos, accedat et dicat.

Obiic. V. s. Cyprianus loco nuper recitato affirmat ius

suffragii in populo ex divina auctoritate descendere : ex quo datae responsiones funditus evertuntur. Immo paulo post asserit id de traditione divina et apostolica observatione tenendum praestandumque esse. Sed praeterea palmare est, et quod omnia explicat Tertulliani testimonium (lib. de exhort. castit. cap. VII) *Nonne*, inquit, *et laici sacerdotes sumus? Scriptum est : regnum quoque nos et sacerdotes Deo et Patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus; adeo ut ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tingis, et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, Ecclesia est, licet laici.* Ergo.

Resp. Admiss. textu s. Cypriani, dist. sensum : affirmat s. Cyprianus ius suffragii in populo descendere ex divina auctoritate, et esse de divina traditione proprie dicta et habente vim legis immutabilis; *Nego*. Improprie dicta, et in eo sita ut talis rei habeantur exempla in Scripturis et in gestis Apostolorum; *Conc*. Sane assertionem suam non alio adstruit Cyprianus, quam exemplo Eleazari filii ac successoris Aaronis, itemque Matthiae, de quo in locum Iudae et in apostolatum subrogando, Petrus ad christianam plebem retulit. Nec certe poterat alio sensu ad divinam traditionem appellare, quando ignorare non poterat, ex ipsorum conciliorum decretis eam praxim non semper nec ubique consuevisse observari. Neque etiam id Cyprianus dissimulat : cum hoc ipso loco dicat teneri talem consuetudinem *fere per provincias universas*. Caeterum s. doctor non agit de electione ipsa, sed de testimonio a populo ferendo circa mores eligendorum; *episcopus eligatur plebe praesente, quae singulorum vitam plenissime novit, et uniuscuiusque actum de eius conversatione perspexit. Sub omnium oculis deligatur, et dignus atque idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur.*

Ad locum Tertulliani respondeo eundem prius quam montanista fieret, (lib. de praescript. cap. XLI) catholicam doctrinam de discrimine laicorum et clericorum dilucide his verbis propugnasse: *Non omittam ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem: quam futilis, quam terrena, quam humana sit; sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina .... Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes. Nunc neophytos conlocant; nunc saeculo adstrictos; nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt.... Itaque alius hodie episcopus; cras alius; hodie diaconus, qui cras lector: hodie presbyter qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt.* Etiamsi igitur in libro de exhortatione castitatis, quem scripsit iam montanista factus, contrarium doceret; profecto nullam fidem mereretur, nisi apud eos qui velint potius credere Tertulliano haeretico, quam eidem catholico. Sed quid mirum si cum Tertullianus receptus esset in castris illorum quos in libro de praescriptionibus accusaverat, ipsorum etiam errores moresque participaverit?

Verum non est necesse ita rigide verba Tertulliani quae obiecta sunt interpretari. Dicemus enim ipsum studio probandi ex quolibet bigamiam successivam laicis christianis esse interdictam; magna ibi, ut solet, exaggeratione et aequivocatione uti, desumpta a participatione impropria sacerdotii, quae laicis competeret. Dicit itaque: clericis illicita est bigamia; ergo et laicis. Probat consequentiam, nam et laicus est similitudinarie sacerdos; et ubi desit *ecclesiastici ordinis consessus*, tingit et offert; hoc est in casu necessitatis baptismum privatum administrat, et eucharisticum panem, iuxta eius temporis consuetudinem, ex ecclesia domum asportatum Deo exhibet velut hostiam placatoriam, priusquam domesticis distribuat. His non contentus addit: *differentiam inter ordinem et plebem constituit Ecclesiae auctoritas*: quo qui-

dem aequivocatur inter ipsum radicale discrimen positum in potestate ordinis per se inspecta, quodque absolute est de iure divino; et discrimen extrinsecum inductum ab Ecclesia, quodque prius illud iuris divini discrimen pro fundamento habet. Consistit autem tale discrimen ab Ecclesia invectum in toto complexu eorum quae sunt attributa clericis, et sunt distincta a potestate ordinis per se sumpta, atque ab iis quae potestatem illam per se comitantur. Eiusmodi sunt v. g. externa dignitas et functio ac iurisdictio, sive potestatis administrandae modus et forma; externa species, apparatus atque cultus, quo honoratiores caeteris hominibus sunt in Ecclesia clerici, et inter se alii aliis praecellunt, etc: Haec iura Petavius (lib. III de hierarch. ecclesiast. cap. III) merito *secundaria* vocat, ad eorum distictionem quae *primaria* sunt, et ipsi ordini immediate et immutabiliter adnectuntur. Porro inter haec et priora versute Tertullianus, ad fucum faciendum, aequivocatur.

LECTIO XII

In clericorum ordine veri nominis hierarchiam, *sive* sacrum principatum *Christus instituit*; *adeoque regimen Ecclesiae non est*, *nec esse potest* democraticum.

Hierarchia, ut eius etymon manifestat, sacrum principatum importat, vel principatum in sacris, cum dicatur ab ἱερὸς *sacer*, et ἀρχὴ *imperium*. Si vero res nomini subiecta attendatur; definiri solet: *coetus seu ordo praesidum et sacrorum ministrorum*, *ad regendam Ecclesiam*, *gignendamque in hominibus sanctitatem divinitus institutus*. Cum superiori proxime lectione ostenderimus dari divino iure distinctionem in Ecclesia inter laicos et clericos; rite succedit ut demonstremus in eiusmodi distincto clericali ordine sacrum principatum fuisse a

Christo constitutum. Cum vero sacer principatus conciliari nullo modo possit cum democratia; hinc ipsa vi prioris demonstrationis, democratia facto et iure ab Ecclesiae regimine excludetur. Age ergo res ita habere dicenda est, si Christus in persona Apostolorum non modo commisit ordini clericorum sacrum ministerium, ex quo *hierodiaconia* tantum, vel *hierodulia* resultaret; sed etiam veram et proprie dictam in reliquum vulgus fidelium auctoritatem et potestatem, et quidem certa graduum distinctione et subordinatione distributam. Atqui ita est; ergo. Maior per se liquet, cum in hoc ratio sacri principatus consistat, ut positi sint a Christo in Ecclesia qui ex auctoritate praesint; quibus caeteri in iis quae illorum muneris sint, obtemperare debeant. Quod ad minorem spectat; satis est ea recolere quae sparsim aliud agentes ex Christi gestis effatisque hactenus retulimus. Etenim imprimis commemorandum est, declarasse Christum se Apostolos mittere eadem potestate instructos, qua ipse missus esset a Patre (Ioan. XX, 21) *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos*: itemque ipsorum potestatem inter gentes, ea niti potestate quam ipse a Patre acceperat in coelo et in terra (Matth. XXVIII, 18-19) *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*: *euntes ergo docete* etc. Iam vero nemo dicet participationem potestatis Christi in omnem Ecclesiam veri nominis potestatem non esse, aut veri nominis principatum in iis qui ea instruantur non constituere. Ergo.

Deinde ex saepius recitatis testimoniis (Matth. XVI, XVIII) Petro et reliquis, data proportione, Apostolis Christus claves regni coelorum, itemque potestatem ligandi atque solvendi contulit. Sed notio illa clavium, et facultas ligandi quidvis atque solvendi plenissimam et verissimam potestatem iurisdictionis importat cum, qua notio principatus necessario confunditur. Igitur etc.

Praeterea quod Christus (Ioan. XXI, 16-17) dixit Petro: *Pasce agnos meos, pasce oves meas* ex vi graeci vocabuli

ποιμαίνειν non denotat utcumque pascere, sed pascere cum imperio, seu praesidendo pascere (1). Porro hoc ipsum ad eos omnes pertinere quibus Ecclesiae cura concredita sit, declarat s. Petrus (I Ep. V, 1-2) inquiens: *Seniores obsecro .... pascite* (ποιμάνατε) *qui in vobis est gregem Dei.* Atque eodem sensu Paulus dixit loco supra citato (Ephes. IV, 11) datos a Deo esse Ecclesiae *pastores*; quos expressius (Act. XX, 28) asseruit positos fuisse a Spiritu Sancto *regere* ecclesiam Dei.

Iuxta hanc acceptam a Christo missionem et facultatem, videmus statim post diem Pentecostes Apostolos incubuisse in fundandas et ordinandas proprio iure et potestate ecclesias, in eisque ut veros earum principes sese gessisse. Nam, ut nuper ostendimus, proprio lubito praepositos singulis ecclesiis dabant; leges ferebant, uti in concilio Hierosolymitano (Act. XV, 22 seqq.) poenas aut minabantur aut irrogabant; epistolas variis ecclesiis dabant refertas praeceptis, quae ad publicos privatosque mores, ad ecclesiasticam disciplinam, et officia christianorum spectarent; denique praestabant omnia quae a veris societatis cuiuspiam rite constitutae principibus expectari possunt. Speciatim Paulus (Act. XV, 41) dicitur peragrasse Ciliciam et Syriam praecipiens custodire praecepta Apostolorum et seniorum. Idem diserte meminit potestatis a Christo acceptae, cui christiani omnes parere deberent (I

(1) Sane (Ps. II, 9) quod vulgatus reddit; *Reges eos in virga ferrea*, graeca versio habet: ποιμανεῖς αὐτούς *pasces eos*; prout pariter vertunt syrus et arabicus apud Waltonum. Similiter quod legitur (Matth. II, 6) *Regat populum meum*; graece dicitor: ποιμανεῖ τὸν λαόν μου; nempe *pascat populum meum*; etc. Universim vero ostendit Iahn (in sua Archeolog. biblic. ad calc. § 42) hunc loquendi morem descendisse ex iudaeorum consuetudine, qui suos reges *pastorum* nomine designabant; immo quandoque Deo ipsi, in sensu *rectoris et curatoris*, hanc appellationem tribuebant.

Cor. XI 17-34-II Cor. XIII, 2-3) Praeterea (I Thess. IV, 8) profitetur quod *qui haec spernit*,(nimirum sua praecepta) *non hominem spernit*, *sed Deum*. In virga se ad Corinthios venturum comminatur (I Cor. IV, 21); et omnem inobedientiam ulturum (II Cor. X, 6). Declarat (Tit. I. 5) reliquisse se Titum Cretae, ut ea quae deessent corrigeret, sive suppleret quaecumque ad Ecclesiae utilitatem expedire viderentur. Eidem praecipit (ibid. v. 13) *Haec loquere et exhortare*, *et argue cum omni imperio*. Denique huc facit poena ab Apostolo inflicta Hymenaeo et Alexandro *quos*, inquit (I Tim. , 20) *tradidi Satanae*, *ut discant non blasphemare*; itemque incestuoso Corinthio, quem pariter ab Ecclesia expellens poena excommunicationis mulctavit (1 Cor. V, 2-6). Porro nullum est illustrius argumentum iurisdictionis, quam potestas expellendi ab Ecclesia. Ea vero, uti compertum est, in illo effato Christi fundamentum habet (Matth. XVIII, 17):*Si Ecclesiam non audierit*, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus*.

Haec quidem ita perspicua sunt, ut luce clariora videri debeant. Sed ut pateat eadem non habuisse locum in solis Apostolis; veritas hactenus demonstrata potest similiter evinci veluti a posteriori. Etenim ubi est populare regimen, magistratus ab ipsa plebe constituuntur, atque ab eadem auctoritatem participant: cum enim plebs per se ad ius dicendum sedere non possit; debet saltem alios constituere qui nomine suo id faciant. Secundo ubi est populare regimen, appellatur a sententia magistratus in rebus gravioribus ad iudicium populi. Tertio leges quibus respublica administranda est, a magistratu quidem proponuntur, sed a populo iubentur. Quarto accusari solent magistratus apud populum, nec non dignitate privari, aut exilio vel morte plecti, si ita populo videatur. Iam vero nihil horum convenit christianae plebi. Ergo penes ipsam non est principatus Ecclesiae; adeoque penes clericorum ordinem ab illa distinctum reperiri debet. Et re quidem vera, quod ad

minorem argumenti attinet, imprimis nullum est verbum in tota Scriptura, quo plebi conferatur auctoritas creandi episcopos vel presbyteros; atque ex adverso vidimus hanc potestatem in ss. litteris Ecclesiae praesidibus attributam fuisse. Similiter non est unquam auditum in Ecclesia, ut ab episcopis appellaretur ad populum, neque ut populus absolverit quos episcopi ligaverant, vel ligaverit quos episcopi solverant. Neque etiam unquam accidit ut populus iudicaverit de controversiis fidei. Contra vero innumera extant iudicia episcoporum ac praecipue summi Pontificis: populi autem ne unum quidem iudicium spatio novendecim circiter saeculorum potest proferri. Igitur etc. Nec quisquam suspicari potest id profectum fuisse ex clericorum usurpatione. Nam primo haec usurpatio omnimoda, universalis, et constans fuisset impossibilis. Deinde si ita res habuisset; posset assignari epocha, qua illiusmodi usurpatio patrari coeperit, ac proferri deberent nomina eorum qui illammet usurpationem fuerint primo aggressi. Tertio non defuissent profecto qui adversus ipsam usurpationem identidem reclamassent. Postremo usurpatio supponit ius in eo qui usurpationi sit obnoxius: at vero paulo ante ostendimus nullum a Christo ius populo relictum fuisse ad iudicia in Ecclesia pro potestate exercenda. Ergo. Tertium illud de legibus ferendis, minus etiam plebi convenit. Omnes enim ecclesiasticae leges vel a conciliis deprehenduntur latae; nec unquam expectatum est suffragium populi, ut ex eo censerentur auctoritatem habere: nulla etiam lex in Ecclesia extat quae plebiscitum possit appellari. Igitur etc. Denique illud extremum de magistratibus iudicio plebis subiiciendis; omnino a plebis conditione abhorret. Nullus enim poterit designari episcopus qui a populo fuerit vel depositus vel excommunicatus, cum plurimi inveniantur depositi aut excommunicati a summis Pontificibus et conciliis generalibus. Igitur ex facto ipso constat nullum unquam in plebe fidelium extitisse elementum regiminis democrati-

ci ; proindeque nonnisi in ordine clericali regendi imperandique potestatem quaerendam esse.

Eadem inductio universalis et constans excludit reges, seu principes laicos a regimine Ecclesiae. Praeter enim quam quod ss. Litterae, ut ostendimus, non ipsis, sed Ecclesiae praesidibus conferunt ius regendi Ecclesiam; hoc ipso quod, ex demonstratis, ad populum non pertinet regimen Ecclesiae; consequenter nec ad reges pertinet; cum principum laicorum potestas ex societatis cui praesunt iuribus officiisque sit diiudicanda. Insuper nunquam principes laici habiti sunt optimates Ecclesiae ; nunquam directe curam et regimen ipsius obtinuerunt; sed tantum munus eandem tuendi, severisque legibus ac poenis ab illa damnatos coercendi. Sane imprimis Apostolus, ut notat Damascenus (orat. I. pro imaginib.) cum enumeraret (Eph. IV, 11 seqq.) gradus a Deo positos in Ecclesia, reges non modo primo loco non collocavit, sed in nullo posuit, ut indicaret non esse reges Ecclesiae magistratus, sed tantum saeculi. Nec reponas ea aetate reges non fuisse christianos: nam eo ipso quod tunc temporis ac deinceps spatio trecentorum annorum nullus ferme princeps fuerit christianus, et tamen eadem fuerit Ecclesia quae nunc est, et eandem habuerit regiminis formam; apparet Christi Ecclesiam a saeculi principibus non esse regendam. Deinde Ignatius M. (epist. ad Smyrnens.) nihil esse dicit in Ecclesia honorabilius episcopo : et addit primum honorem deberi Deo, secundum episcopo, tertium regi. Quod confirmant Gregorius Nazianzenus (orat. ad civ. tim. perculs.) s. Io. Chrysostomus (lib. III de sacerd. et hom. IV in cap. VI Isai.) Immo idem s. doctor (hom. LXXXIII in Matth.) diaconum suum sic alloquitur : *Si dux quispiam, si consul, si is qui diademate ornatur, indigne adeat, cohibe et coerce*; *maiorem tu illo habes potestatem.* Gelasius (in epist. ad Anastasium) *Nosti*, inquit, *fili clementissime quod licet praesideas humano generi dignitate*

rerum terrenarum; *tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis.* Et infra: *Subdi*, ait, *te debere cognoscis religionis ordine potius quam praesse. Nosti itaque ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem.* Gregorius (lib. XIII moral. cap. XIX) asserit, prima membra in corpore Domini esse sacerdotes. Et (lib. IV. epist. XXXI ad Maurit.). docet sacerdotes esse deos quosdam inter homines, et propterea ab omnibus etiam regibus honorandos; quod idem et tradit et probat Nicolaus (in epist. ad Michael.) Athanasius (epist. ad solit. vit. agent.) Constantium reprehendit, quod se rebus ecclesiasticis admisceret, et addit Hosium episcopum Cordubensem eidem Constantio dixisse: *Ne te rebus misceas ecclesiasticis: nec nobis his de rebus praecepta mandes; sed a nobis potius haec ediscas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica credidit. Ac quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinanti repugnat; ita metue ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias.* Similia eidem Constantio Leontium episcopum dixisse testatur Suidas (ad voc. Leontius). Sulpitius vero (lib. II. hist. sacr.) refert s. Martinum Maximo imperatori dixisse, novum esse et inauditum nefas, ut caussam Ecclesiae iudex saeculi iudicaret. S. Augustinus (epist. XLVIII, L, et CLXV) docet, piorum regum munus esse Ecclesiam defendere) severisque legibus ac poenis damnatos ab Ecclesia coercere: sed ibidem reprehendit Donatistas, quod caussam episcopalem non ad coepiscopos, sed ad regem terrenum iudicandam detulissent.

Hisce Patrum effatis, eorum gesta cohaerent. Nam Theodosium seniorem s. Ambrosius ab ecclesiae liminibus expulit, ac poenitentiae publicae subiecit: tum vero volentem in ecclesia in sacerdotum subselliis considere, iussit descendere, et cum plebe consistere; quod ille libenter praestitit, ex Theodoreto (H.E. lib. V cap. XVII) Insuper idem Ambrosius (in epist. XXXIII

ad soror.) narrat se dixisse Valeriano : *Noli te gravare, Imperator , ut putes te in ea , quae divina sunt aliquod imperiale ius habere. Publicorum tibi moenium ius commissum est , non sacrorum* etc. Ac praeterea teste Theodoreto (H. E. lib. V cap. XVIII) ipsemet Ambrosius imperatori Theodosio dixit : *Purpura imperatores facit , non sacerdotes.* Addit vero Theodoretus (ib. lib. IV cap. XVIII) Eulogium quemdam , cum ei Modestus praefectus Valentis imperatoris Ariani dixisset: *Coniungere cum imperatore* ; facete respondisse : *Numquid una cum imperio ille etiam pontificatum est consecutus ?* Denique ipsimet laici principes hanc veritatem confessi sunt. Nam e. g. teste Rufino (hist. lib. I cap. II) Constantinus imperator aperte professus est se de episcopis iudicare non posse ; sed potius ab iisdem esse iudicandum. Similiter Marcianus in conc. Chalcedonensi (act. VI ap. Labbaeum tom. IV conc.); Valentinianus I apud Sozomenum (H. E. lib. VI , cap. VII); Valentinianus III (in leg. XVII cod. Theodos. de episc. etc. et ap. Sozomenum hist. lib. VI cap. XXI); Honorius (epist. ad Arcadium ap. Labbaeum tom. III conc.); Theodosius iunior (epist. ad Cyrillum ibid.); Basilius in VIII synodo oecumenica (act. X ap. Labb. tom. X conc.). Denique, ut alios omittam , Iustinianus (Novel. VI) *Maxima quidem* , inquit , *in hominibus sunt dona Dei a superna collata clementia , sacerdotium et imperium; et illud quidem divinis ministrans ; hoc autem humanis praesidens ac diligentiam exhibens. Ex uno eodemque principio utraque procedentia humanam exornant naturam.*

Infinitus essem si vellem omnia in hanc rem congerere veterum seu facta seu dicta. Sed reliqua opportunius in eum locum differemus , ubi horum principiorum applicatio ad limites potestatis ecclesiasticae ac saecularis praefinien-

dos erit instituenda (1). Interim luce meridiana clarius patet assumptum, nimirum Ecclesiae regimen neque penes principes laicos, neque penes populum consistere; adeoque in solo ordine clericorum totum quantum est conquiescere.

LECTIO XIII

Pro regimine Ecclesiae democratico nonnulla heterodoxorum argumenta ad trutinam revocantur.

Obiic. I. Non obscura democratiae vestigia passim ipsae ss. Litterae suppeditant. Etenim illud (Matth. XVIII, 17): *dic Ecclesiae*, videtur summum tribunal Ecclesiae penes fidelium universitatem collocare. Est enim sensus denuntiandum esse in publico fidelium coetu eum, qui duorum aut trium testium iudicium contempserit. Idque confirmant verba sequentia, quibus non distinctis iudicibus, sed ipsis fidelibus committitur, ut contumacem habeant sicut ethni-

---

(1) Confer Petrum de Marca in op. *De concord. sacerdot. et imper. lib. II. cap. I—VI.* Bellarminum—*De rom. Pont. lib.* I. *cap. VII.* Bossuetum—*Defens. declarat. Cler. Gallican. par. II lib. V, cap. XXXIII.* Bianchium—*Della podestà e della polizia della Chiesa lib. II cap. III.* Auctorem operis *de l' autorité des deux puissances tom. II. chap. I.* Mamachium—*Origin. et Antiquit. christian. lib. IV. p. I cap. II. etc.* Interim ex tanta nube testium liquet quam inepte Grotius — *De imperio summarum potestatum circa sacra* — negaverit hierarchiam in Ecclesia esse; volaeritque laico principi competere universam rerum omnium quae in republica sunt, sive civilium sive ecclesiasticarum potestatem; nec nisi ab eodem saeculari principe posse, lege humana, Ecclesiam mutuari legislativam auctoritatem. Hoc nihil absurdius dici aut cogitari potuisse ex disputatis est evidentissimum. Caeterum Grotii commentum ipsimet Protestantes repudiarunt, semel ac statum reipublicae, duce Pufendorffio, Ecclesiae ademerunt; eamque ad conceptum *societatis aequalis*, seu meri collegii, errore etiam turpissimo, adnisi sunt revocare.

cum et publicanum ; *Sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ergo.

Resp. Nego assumptum. Verba enim : *dic Ecclesiae* non supponunt pro Ecclesia passiva seu recta , sed pro regente et activa , adeoque pro Ecclesiae praesidibus, qui eius personam et curam gerunt. Quamobrem non id loco obiecto praecepit Christus , ut accusaretur apud plebem fidelium qui duorum aut trium iudicio obstitisset ; sed ut is qui privatam auctoritatem contempsisset , et omnia privatae correctionis media inutilia reddidisset ; accusaretur apud publicam Ecclesiae auctoritatem , ut vel admonitus resipisceret , vel tamquam membrum putre per legitimam potestatem a corpore Ecclesiae scinderetur. Et re sane vera quomodo Christus poterat heic nomine Ecclesiae designare tribunal plebis , quando nullam unquam antea significaverat plebis in Ecclesia potestatem ; sed contra et nuper (Matth. XVI) et semper alias omnem auctoritatem contulerat et erat postmodum collaturus Apostolis , et qui iisdem succederent ? Vel si Christus vere hoc loco penes plebem constituit supremum tribunal Ecclesiae ; quomodo disertis adeo , ac tot numero effatis omnem alias in Ecclesia potestatem Apostolis contulit , et eorum legitimis successoribus ? Deinde nec in ipsa eius aetatis synagoga iudicii popularis exemplum habebatur. Unde nec possumus supponere Christum voluisse hac in re synagogam imitari ; neque ex huius consuetudine ii qui Christum audiebant , potuerunt ipsum loquentem intelligere. Tertio quae immediate sequuntur et cum prioribus sunt connexa, omnem ambiguitatem manifeste eximunt. Etenim illi sunt intelligendi nomine Ecclesiae , quibus mox (vers. seq.) Christus suam explicans priorem sententiam , ligandi atque solvendi potestatem attribuit : *Amen dico vobis quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in coelis* , etc. Sed nemo contendet haec non fuisse dicta Apostolis , et iu ipsorum persona legitimis eorundem succes-

soribus; sicut et (Matth. XVI) dictum Petro fuerat: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis.* Ergo. Quarto rem confirmat praxis Apostolorum: nam Paulus incestuosum Corinthium non subiecit populi iudicio, sed ipse per se iudicavit *tradere eum satanae in interitum carnis* (I Cor. V, 3-5). Ipse etiam per se incestuosum eundem poena solvit (II. Cor. II, 6-11). Presbyterum quoque criminis reum non a populo iudicandum docet, sed ab episcopo (I Tim. V, 19) *Adversus presbyterum noli accusationem recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* etc. Quinto confirmatur ex praxi Ecclesiae. Siquidem, si revera Christus populi tribunal instituisset; aliquando id fuisset in praxim deductum. At vero nunquam vidimns aut audivimns reum aliquem in Ecclesia vulgi iudicio fuisse subiectum; semper autem et legimus et vidimus apud episcoporum tribunal sontium caussas fuisse dictas. Ergo. Accedit postremo ipsa ratio congruentiae: ecquod enim vulgus imperitum aequum de caussa iudicium, praesertim in rebus spiritualibus, ferre possit? Quam potest apud reum aestimationem aut fiduciam nancisci sensus confusae multitudinis? Quomodo eadem sit supremum inappellabile tribunal, et maximum omnium remedium? Qualis etiam et quanta pars vulgi censebitur accommodata ad tale iudicium exercendum? Vel quomodo cogetur toties quoties quispiam in peccato obfirmetur, Ecclesia universa ut suum illud ius exerceat? Quam igitur haec incongrua sunt et plane absurda, tam absona censeri debet interpretatio verborum Christi ab adversariis invecta.

Neque vero quod sequitur; *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* responsionem nostram enervat, sed magis confirmat. Haec enim poena supponit crimen quo quis plane adversus Christum rebellaverit, ac se indignum religionis consortio, atque aliorum societate constituerit. Iam vero hoc utique habere lo-

cum innotescit in eo qui Ecclesiae praesulibus, Christi in terris personam agentibus, restiterit. Sed in eo qui tantummodo confusae et imperitae multitudinis iudicium neglexerit, tantum scelus nullo pacto verificatur. Ergo. Caeterum verba illa: *sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, non important ius ut quisque tamquam ex potestate sententiam ferat in refractarium, et poenam irroget. Si enim hoc esset, iam non solum populi multitudo, sed privatus quisque iudicandi et pro potestate poenas inferendi auctoritate gauderet. Sed tantummodo important, ut eo ipso quod quis videat aliquem decretis Ecclesiae obluctantem, possit et debeat privata sententia et extraiudiciali contumacem habere loco ethnici et publicani. Ecclesiae vero sit hoc privatum iudicium publicum et solemne reddere per sententiam excommunicationis. (1)

Obiic. II. Falsum est nullibi plebi fidelium potestatem in Ecclesia Christum contulisse. Etenim s. Petro non sunt collatae claves nisi nomine Ecclesiae, cuius ille personam gerebat. Quod probatur ex s. Augustino (tract. L in Ioann.) aiente: *Si hoc Petro tantum dictum est, non facit hoc Ecclesia. Si autem et in Ecclesia fit, ut quae in terra ligantur, in coelo ligentur; et quae solvuntur in terra, solvantur in coelo; quia cum excommunicat Ecclesia, ligatur in coelo excommunicatus; cum reconciliatur ab Ecclesia, in coelo solvitur reconciliatus. Si hoc ergo in Ecclesia fit; Petrus, quando cla-*

(1) Sunt haec adeo perspicua, ut ipse Calvinus tum in *Harmonia evangel.* in hunc loc. tum in Institution. lib. IV cap. VIII § 15 verba: *Dic Ecclesiae*, exponat de Ecclesiae pastoribus, qui senioribus synagogae successuri erant, quibus ius erat excommunicationis irrogandae, et ad quos Christus accommodat sermonem suum. Caeterum consulendi sunt in expositum Christi effatum Cyprianus (epist. LX) Chrysostomus (hom. LXI in Matth.) Basilius (const. monast. cap. XXII, n. 2) etc.

res accepit, Ecclesiam sanctam significavit. Idipsum docet Augustinus aliis XXV testimoniis quae collegit Launoius (lib. II epist. V ad Hadrianum Vallantium LXX); idemque tradunt alii complures Patres, quos laudatus auctor recenset. Igitur.

Resp. Dist. antec. s. Augustinus aliique Patres affirmant Christum contulisse claves Petro sed nomine Ecclesiae, *finaliter*, seu ut cederent in bonum Ecclesiae; *Conc. Formaliter*, ita ut subiectum potestatis sit ipsa Ecclesia; *Nego.* Patres, quorum auctoritas heic nobis obiicitur, in eo adlaborabant, ut montanistas ac novatianos refellerent, qui negabant Ecclesiae inesse potestatem dimittendi graviora crimina, adeoque contendebant potestatem clavium datam Petro et Apostolis fuisse *personaliter*, ut loquitur Tertullianus iam montanista effectus (lib. de pudic. cap. XXI); ac propterea cum ipsorum obitu cessasse. Ut igitur Patres hunc errorem convellerent; docuerunt potestatem clavium fuisse collatam Ecclesiae in persona Apostolorum, et Apostolis in persona Petri; itemque Petrum repraesentasse collegium apostolicum, et figuram gessisse Ecclesiae, cum claves accepit regni caelorum. Quae quidem effata eo tendunt, ut significent eiusmodi potestatem ad Petri et Apostolorum successores transmitti debuisse; seu Petro claves esse collatas cum *iure traducis*; utpote in bonum Ecclesiae Christus Petro et Apostolis claves contulerit. Ex eorum proinde mente, non unus Petrus nec soli Apostoli acceperunt claves, verum etiam Ecclesia, idest corpus episcoporum, ut per eas christifidelium crimina quaelibet remitterentur.

Eiusmodi esse germanam Patrum mentem, ipsorum testimonia evincunt. s. Ambrosius(Enarr. in ps. XXXVIII, n. 37) ait: *Tibi inquit* (Christus) *dabo claves regni coelorum ut et solvas et liges. Hoc Novatianus non audivit, sed Ecclesia Dei audivit: ideo ille in lapsu, nos in remissione: ille in inpoenitentia, nos in gratia. Quod Petro dicitur,*

Apostolis dicitur. Non potestatem usurpamus, sed servimus imperio. Eadem habet s. Pacianus in tribus ad Sympronianum epistolis quae totae sunt in propugnanda Ecclesiae potestate dimittendi peccata, quae ab Apostolis transmissa sit in eorum successores. Denique eadem est mens s. Augustini qui (serm. CXLIX al. XXIV de diversis num. 7) *Petrus*, inquit, *in multis locis Scripturarum apparet, quod personam gestet Ecclesiae; maxime illo in loco ubi dictum est: Tibi dabo claves regni coelorum . . . Numquid istas claves Petrus accepit et Paulus non accepit? Petrus accepit, et Ioannes et Iacobus non accepit, et caeteri Apostoli? Aut non sunt istae in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur? Sed quoniam in significatione personam Petrus gestabat Ecclesiae, quod illi uni datum est, Ecclesiae datum est.* Ex quibus ac praecipue ex verbis illis: *aut non sunt istae in Ecclesia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur*, manifestum est eo revera spectasse s. Augustinum, ut existentiam clavium adversus Novatianos tueretur. Ex aliis autem, *quod illi uni dictum est*, propugnasse s. doctorem uni reapse Petro, seu Petri individuo datas claves fuisse: alioquin in sensu adversariorum dicere debuisset: quod *Ecclesiae datum est, illi datum est.*

Idem expressius docet s. doctor (tr. ult. in Ioann. n. 7) inquiens: *Omnibus sanctis ad Christi corpus inseparabiliter pertinentibus, propter huius vitae procellosissimae gubernaculum, ad liganda et solvenda peccata claves regni coelorum* primus Apostolorum Petrus *accepit.* Ubi dativus, ut aiunt, commodi *omnibus sanctis*, aperte significat Petrum accepisse claves in fidelium utilitatem. Non igitur sensit Augustinus Petrum accepisse claves ut Ecclesiae legatum qui eius nomine ageret, sed ut eiusdem principem ac supremum moderatorem. Eodem nempe pacto, ut loquitur Bellarminus (de rom. Pont. lib. I, cap. XII) quo dicimus regno dari, quod

regi ipsi datur; praesertim si id in publicam cedat utilitatem. Nec omittendum, quod insuper animadvertit Bellarminus (loc. cit.) s. Augustinum, quum docet Petrum accepisse claves prout gerebat figuram Ecclesiae; non exclusisse narrationem historicam, sed ea supposita, sensum, ut solet, parabolicum attexuisse, uti cum scribit Iudam fuisse figuram Iudaeorum ingratorum, quando Christum prodidit: s. Ioannem extitisse figuram ecclesiae triumphantis et vitae contemplativae, cum de eo Christus dixit: *Sic eum volo manere*: et Petrum gessisse figuram Ecclesiae militantis et vitae activae, cum a Christo audivit: *sequere me*: Christum ipsum figuram gessisse ecclesiae, quando baptizatus est: etc. quin proinde historicam narrationem presse sumptam denegaret. Quo sensu etiam s. Paulus (Gal. IV) docuit duos Abrahae filios fuisse figuram duplicis Testamenti, quin idcirco inficiaretur vere duos filios Abrahamo extitisse.

Obiic. III. Ecclesiasticam potestatem iam inde ab aevo Apostolorum penes populum stetisse, ex facto ipso evinci potest. Etenim in actis apostolicis saepe commemorantur seniores populi, quibus inconsultis Apostoli nihil agebant, quique proinde pupulum repraesentabant in regimine Ecclesiae. Sic (Act. XV, 2) seditio orta Antiochiae ob ritum circumcisionis, delata dicitur ad Apostolos et *seniores*. Iidem una cum Apostolis litem diremerunt, ac eorum quoque nomine editum ea de re decretum (v. 23) *Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiae..... placuit nobis collectis in unum* etc. Ibidem etiam (v. 41) Paulus praecipit Syriae populis et Ciliciae custodire praecepta Apostolorum et *seniorum*. Ergo.

Resp. Nego assumptum. Ad probat. nego suppositum; nimirum nomine *seniorum* in Scriptura eos qui populum repraesentarent designari; cum potius intelligendi sint episcopi ab Apostolis ordinati et in societatem Ecclesiae regendae vocati, aut etiam simplices presbyteri. Sane in obie-

ctis locis non legimus *seniores populi*, sed simpliciter *seniores*, graece, πρεσβύτεροι. Porro πρεσβύτεροι usu novi testamenti episcopi sunt, aut simplices presbyteri, seu primi aut secundi ordinis sacerdotes. Etenim (I Petr. V, 1-II Ioan. 1 — III Ioan. 1) ipsimet Apostoli dicuntur πρεσβύτεροι. Quos vero Petrus (loc. cit.) seniores appellat, episcopos esse, ex iis patet quae subiungit (v. 2) *Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes* (graece ἐπισκοποῦντες) *non coacte . . . . sed forma facti gregis ex animo*. Praeterea qui (Act. XX, 17) dicuntur *presbyteri* Ecclesiae; (v. 28) appellantur *episcopi*: atque insuper cum dixisset Apostolus (Tit. I, 5): *Ideo reliqui te Cretae ut constituas per civitates presbyteros*; e vestigio subiungit (v. 7) *Oportet enim episcopum sine crimine esse*; etc. Denique eosdem partem in ordinatione ministrorum habuisse, docet effatum Apostoli (I Tim. IV, 14) *Noli negligere gratiam quae est in te, quae data est tibi cum impositione manuum presbyterii*. (1) Cum igitur tales veniant nomine *seniorum*; mirum non est, si iidem fuerint ab Apostolis in consilium adhibiti, sique omnes, aut eorum complures Ecclesiae administrationem participaverint. Licet enim absolute possent Apostoli omnia per seipsos decernere; voluerunt tamen laudabilem morem synagogae imitari, in qua qui caeteris praeerant, nihil quod gravioris momenti esset, absque synedrii consilio suscipiebant. E re etiam fuit, ut Apostoli successores suos ad quamdam Ecclesiae regendae palaestram exercerent, ut postquam ipsi mortali vita functi

---

(1) Cf. Suicerum in thesauro ecclesiast. ad voc. πρεσβύτεροι. Insuper Petavium de *Eccl. Hierarch.* lib. III, cap. VI, ubi apposite Salmasii et assectarum eius cavillationes pro presbyteris laicis refelluntur — Vid. etiam Bingham — *Origines sive antiquit. Ecclesiast. lib. II cap. XIX*.

essent, aut in longinquas orbis plagas discessissent, extarent qui Ecclesiae administrationi forent idonei. Debuerunt etiam apud vulgus fidelium honorem illis ac reverentiam conciliare : uno verbo in obiectis exemplis Apostoli id sategerunt, ut ordo hierarchicus a se constitutus iam tum suae missionis officio fungeretur, et altas radices ageret. Quapropter ex iisdem exemplis nedum nostra thesis non infirmatur, sed immo multo maius robur adipiscitur.

Obiic. IV. Admitti nequit presbyterorum nomine eos in ss. litteris intelligi, qui in primo aut secundo ordine sacerdotii constituti docendi simul et regendi Ecclesiam munus haberent. Sed contra presbyterorum officium per se situm fuit in externa directione ecclesiarum; nec nisi per accidens aliquando in quibusdam peculiaribus individuis adiunctum habuit munus administrandi sacra et praedicandi evangelium. Itaque per se inspectum laicis etiam commune esse potuit. Id constat evidenter ex (I Tim. V, 17) ubi Paulus postquam dixisset ***duplici honore dignos esse presbyteros qui bene praesunt***; addit: ***maxime qui laborant in verbo et doctrina.*** Distinguit ergo eos presbyteros qui tantum id praestant quod per se ad officium presbyterale spectat, nempe regere Ecclesiam; ab iis qui insuper sibi suscipiant curam evangelii praedicandi. Ipsemet ergo Apostolus assumptam notionem presbyterorum suppeditat. Igitur. (1)

Resp. Nego assumptum. Ad probat. dist. sensum Paulini testimonii : Paulus distinguit presbyteros qui praesint ab iis qui operam suam in docendo praestant, quatenus utrumque munus ad presbyteros spectet, sed maiori mercede digni sint qui utroque, vel altero, nempe praedicandi officio funguntur; *Conc.* Quatenus presbyterorum

---

(1) Ita Calvinus, Beza, ac vulgus Protestantium ap. Critt. sacr. in h. l.

officium per se esset tantummodo externa Ecclesiae negotia dirigere; huic vero muneri nonnulli docendi laborem adiungerent; *Nego*. Captiosa haec est Paulini testimonii interpretatio ab adversariis excogitata, ut efficiant presbyterorum officium fuisse mere externum, nec alienum a persona laicorum qui vocarentur in consortium regiminis Ecclesiae, et populi personam gererent. Verum quis non videat verba Pauli nullum huic distinctioni fundamentum praebere? Est enim, ut ipse Grotius (comm. in h. l.) interpretatur, sensus planus et obvius : omnibus quidem presbyteris stipendia deberi, utpote qui praesint ecclesiae, h. e. gregem dominicum pascant; sed illis praecipue, qui omni cura rei familiaris neglecta, uni studio evangelii propagandi vacant, nullique labori parcunt. Vel: omnibus quidem presbyteris stipendia deberi; utpote ponentibus proprii officii operam in emolumentum Ecclesiae; sed iis maxime qui eximiis dicendi donis instructi in hoc quoque proprii ministerii munere strenue se exercent. Quo quidem pacto non inducit Apostolus duplicem classem presbyterorum, quam comminiscuntur adversarii; sed supposito quod ad presbyteros vi propriae ordinationis pertineat et sacramenta administrare, et curam animarum gerere, et item nuntiare evangelium; distinguit eos qui potissimum in hac postrema sui officii parte occuparentur, ab iis qui, vel quod dicendi facultate essent destituti, vel alia ex caussa, potius in administratione, in privata instructione fidelium, et regimine animarum utilem operam collocarent. Omnino prout contingit in praesens in Ecclesia catholica, ut pro cuiusque singulari ad unam aliamve partem sacri ministerii idoneitate et facultate, ex presbyteris alii in verbi Dei praedicationem, alii in regimen fidelium potissimum incumbant. Cum igitur talis sit sensus obvius et maxime expeditus verborum Pauli; nonnisi per summam insaniam ex iisdem adversarii extundere nituntur notionem et existentiam presbyterorum, qui per

se essent laici. Et sane nostra interpretatio non modo ex ipsis Apostoli verbis sponte sua efflorescit, sed cohaeret notioni presbyterorum quam semper alibi scriptura N. T. suppeditat; itemque notioni quam suggessit Christus, qui ex dictis in probationibus, nonnisi ordini clericorum in persona Apostolorum curam regendae Ecclesiae in solidum commisit. Tertio cohaeret nominatim sententiae Pauli, qui saepe declarat onus evangelii praedicandi iis ipsis incumbere, qui et positi sint ad regendam Ecclesiam. Sic e. g. Timotheo episcopo Ephesino, adeoque munere regendi procul dubio instructo, dicit Apostolus (II Tim. IV, 2) *Praedica verbum, insta opportune importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Et (I Tim. III, 2) episcoporum, proindeque praesulum Ecclesiae definiens caracteres; *Oportet*, inquit, *episcopum irreprehensibilem esse . . . . pudicum, hospitalem, doctorem.* Vicissim vero voces προεστῶτες προϊστάμενοι, ἡγέμενοι per se *praefecturam* seu *praesidentiam* significant, et tamen a Paulo solis verbi ministris tribuuntur (I Thess. V, 12 — Hebr. XIII, 7-17) etc. Quarto denique nostra interpretatio cohaeret historiae documentis et veterum sententiae. Si enim vere extitissent eiusmodi presbyteri laici, aliquod in ecclesiasticis documentis vestigium eorum occurreret; ac certe Patres duplicem eiusmodi presbyterorum speciem non ignorassent. Atqui nomine presbyterorum nunquam alios intelligunt quam primi aut secundi ordinis sacerdotes. Ergo. (1)

Obiic. V. Paulus (Eph. IV, 11) affirmat Christum constituisse in Ecclesia non secus ac *prophetas* et *evangelistas*, *pastores* et *doctores* ποιμένας καὶ διδασκάλους. Ac (I Cor. XII, 28) ait Deum posuisse in Ecclesia τὰς

(1) Commemorata vocabula προεστῶτας, προϊσταμένους etc. ut et alia προέδρους, ἐφόρους, et reliqua huiusmodi, nonnisi de episcopis dici in tota antiquitate consuevisse, ostendit Binghamus op. cit. lib. II. cap. II. n. 5.

διδάσκαλοι, et deinceps ἀντιλήψεις *opitulationes* κυβερνήσεις *gubernationes* etc. Itemque (Rom. XIII 7-8) distincte recenset sive *ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina. Qui exhortatur in exhortando .... qui praeest in sollicitudine.* Ex quibus patet haec officia et distincta invicem et non necessario in certis personis coniuncta, aut determinato caracteri alligata fuisse; sed potuisse quibusvis etiam laicis competere, praesertim si ad populum repraesentandum vocarentur.

Resp. Paulum in obiectis locis commendare Ecclesiae unitatem in ipsa munerum copia et varietate emicantem. Itaque spectat in concreto statum Ecclesiae ut suis erat temporibus, atque aeque commemorat quae essent munia certis personis ac certo gradui alligata, itemque quae essent gratiae gratis datae et extraordinaria charismata, quae tunc temporis Spiritus Sanctus largiri consuevit. Utraque vero Apostolus memorat, quoniam ex utrisque Ecclesiae varietas resultabat, et unitas debebat effici. His positis primo mirum non est si praeter caetera, illa etiam externa charismata commendat quae promiscue tunc dabantur ipsis fidelibus laicis; atque ideo recenset etiam *genera linguarum*, *interpretationes sermonum* etc. ac insuper concludit (loc. cit. ad Cor. v. 30) *Aemulamini autem charismata meliora.* Secundo in illis ipsis muneribus quae certo gradui et ordini clericali erant affixa, nimirum *docere* et *regere*, distinguit peculiarem aptitudinem qua quis, ex dono Spiritus Sancti polleret sive ad docendum, sive ad regendum, tametsi utrumque ad clericorum officium aeque pertineret. Ita e. g. erant qui eminerent in gratia gubernandi, sive in prudentia et dexteritate administrandae Ecclesiae: erant etiam qui singulari dono evangelii praedicandi praediti essent etc. Tertio inde non conficitur haec munia laicis communia fuisse; aut extitisse ex laicis qui nomine populi Ecclesiam gubernarent. Nam contextus ratio ex dictis id non postulat, nec

proinde tot tamque luculentis testimoniis quae alibi Scriptura complectitur de clericorum muneribus, ullatenus opponitur. Neque item sequitur non adfuisse ex clericorum coetu certas personas quibus ex officio tum pascendi tum praedicandi munus incumberet. Sed contra efficitur Paulum orationis suae serie tria innuisse 1 eos qui ex proprio ordine et caractere, officio fungerentur regendi et praedicandi. 2. eos qui in alterutra re potissimum eminerent. 3. illos ex laicis qui charismatis externis Spiritus Sancti, quae nullum sacrum personae caracterem exigerent, instructi essent. Quapropter ex verbis Apostoli nihil pro adversariorum hypothesi extundi potest, praesertim si, ut par est, ratio habeatur traditionis veterum, a quibus explicatio desumenda est eorum quae pressius et obscurius in Scripturis innuuntur.

Obiic. VI. In ipsis veterum monumentis non desunt indicia administratae reipublicae christianae ab ipso populo, saltem per seniores qui ipsum repraesentarent. Testis est inter caeteros Tertullianus qui (Apologet. cap. XXXIX) cum monuisset christianos in coetus et congregationes coire solitos fuisse; quid in eisdem ageretur subiungit: *Disciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, et censura divina: nam et iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus, et omnis sancti commercii relegetur: praesident probati quique seniores honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei constat.* Quo loco manifeste agitur de poena excommunicationis omnium gravissima irroganda: et tamen eius inferendae potestas tribuitur populi conventui, et praepositis senioribus, qui certe laici sunt intelligendi. Ait enim Tertullianus praesidere consuevisse probatos quosque seniores. Sed si pre-

sbyteros clericos intelligeret, non fuisset opus speciali delectu, utpote *ipso iure et vi officii* ad tale iudicium admitti debuissent. Ergo. 2 s. Cyprianus (lib. III, epist. XIX) scribit: *Quae res cum omnium nostrum consilium et sententiam spectet, praeiudicare ego et solum mihi rem omnem vindicare non audeo.* 3. Similiter Ambrosius (in comment. cap. V. I ad Tim.) *Et synagoga*, inquit, *et postea Ecclesia seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur.* Sed seniores synagogae qui consiliis intererant, fuerunt etiam laici, ut patet ex (Act. IV, 8 — Matth. XXVI, 57-59 — et XXVII, 1) Ergo. 4 Denique Origenes (Hom. XII, in cap. XXI Exod.) *Principes*, inquit, *populi, et presbyteri plebis debent omni hora populum iudicare, semper et sine intermissione sedere in iudicio, dirimere lites, reconciliare dissidentes, in gratia recordare discordes; selectos a fraternitate, qui per singulas ecclesias, ne disciplinae fibula laxaretur, aut corporis Christi compages luxaretur, aetate illa invigilarent, in mente habens, eos nobis ob oculos posuit.*

Resp. I. Haec omnia, etiamsi concederentur, revera thesim nostram nullatenus labefactare. Etenim ea non evincunt ex Christi institutione factum fuisse ut, ex hypothesi, seniores plebis in aliquod regiminis ecclesiastici consortium vocarentur: neque item prolata testimonia destruunt vim argumentorum quibus ostendimus regendi potestatem in solidum in ordine clericali a Christo fuisse depositam. Ad summum igitur producta documenta evincerent quandoque in quibusdam ecclesiis ex libera disciplina, et cuiusdam oeconomiae gratia adhiberi potuisse prudentiores ex plebe, qui in iis quae non mere spiritualia forent, sacerdotum sive episcoporum consilium adiuvarent, et eorundem imperio promptiorem plebis obedientiam conciliarent.

Verum resp. II. neque id effici reapse posse ex Patrum effatis quae sunt obiecta. Etenim Tertullianus illis

verbis : *praesident probati quique seniores* , manifeste non laicos intelligit , sed viros adscitos ex ordine sacerdotali. Siquidem subiungit : *honorem istum non pretio, sed testimonio adepti* ; *neque enim pretio ulla res Dei constat*. Quibus aperte alludit ad sacram sacerdotii dignitatem , quae non sit pretio aestimabilis , quaeque ex dictis (lect. praec.) non sine populi quaesito suffragio in ecclesia africana conferri consuevit. Nec obest quod meminerit cuiusdam delectus. Innuit enim sacris illis conventibus solitos fuisse praesidere non quoslibet ex ordine sacerdotum , sed eos qui caeteris prudentia dignitate et auctoritate praecellerent ; vel etiam episcopos, qui utique inter caeteros probati seu insignes et eminentes dici potuerunt.

Ad secundum : Cyprianus nunquam sensit aut dixit plebem iure quodam suo consiliis ecclesiasticis interesse: sed tantum loco obiecto significat nolle se quidquam per se decernere . eo quod sponte sua se obstrinxerat , cum episcopatum suscepit , nihil sine cleri et populi consensu agere. Unde (Ep. V) aperte pronuntiat : *Solus rescribere nihil potui , cum a primordio episcopatus mei statuerim , nihil sine consilio vestro , et sine consensu plebis , mea privatim sententia gerere.*

Ad tertium animadverto commentaria illa in epistolas s. Pauli falso adscripta fuisse s. Ambrosio ; cum non sint nisi foetus vel Hilarii diaconi Luciferianae sectae addictissimi , vel alterius cuiuspiam ex grege Pelagianorum. Utut sit , auctor alludit ad ea quae produximus ex actis Apostolorum , quaeque ostendimus referri ad seniores constitutos in gradu sacerdotii. Neque vero , si , quod in praesens non quaerimus , synagoga seniores laicos pontificibus et sacerdotibus in consiliis ineundis admixtos habuit ; sequitur pari modo in Ecclesia christiana admisceri debuisse ; cum potius huius prae synagoga praecellentia et tanto maior perfectio videatur regimen longe prestantius sacratiusque postulare : neque res ex nostris conie-

cturis, sed ex Christi ordinatione diiudicari debeat.

Ad quartum: Origenes principes populi et seniores plebis appellat eos qui in bonum populi et plebis fuissent in gradu episcopali aut presbyterali tantum constituti, et Ecclesiae praefecti; vultque ab iis esse dirimenda populi dissidia iuxta illius aetatis consuetudinem. Et sane hanc esse mentem Origenis, ut alia omittam, patet ex eiusdem (hom. VII in Hierem.) ubi in illa verba: *Cleri eorum non proderunt eis*, inquit; *Haec ante me alii exposuerunt. Et quia non improbo interpretationem eorum; consentiens eandem profero. Nos qui putamur aliquid esse, idest, qui in clericatus ordine praesidemus, intantum ut quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant pervenire, nosse debetis, non statim in eo salvandos, quia clerici sumus. Multi enim et presbyteri pereunt, et laici beatissimi reperiuntur.* Origeni ergo presbyteri sunt clerici, et quidem per oppositionem ad laicos, illos dicit praesedisse Ecclesiae. Non igitur censuit regimen Ecclesiae penes clericos et laicos indiscriminatim, multo vero minus apud solos laicos aliquando stetisse. Quod si veteris disciplinae, et gradus episcopalis ac presbyteralis in Ecclesia, testis Origene antiquior desideratur; addam pro coronide nonnulla ex s. Ignatio M. qui (in epist. ad Smyrnen.) sic disserit: *Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus Patrem, et presbyterum ut Apostolos. Diaconum vero, ut Dei mandatum. Nullus sine episcopo aliquid operetur eorum quae conveniunt in Ecclesia. Illa firma gratiarum actio reputatur, quae sub ipso est, vel quam utique ipse concesserit. Ubi utique apparet episcopus, illic multitudo sit, quemadmodum utique ubi est Christus Iesus, illic catholica.* Et (in epist. ad Magnesian.) *Hortor*, ait, *ut studeatis in Dei concordia omnia agere, episcopo praesidente Dei loco, et presbyteris loco senatus Apostolorum.* Unde concludit (in epist. ad Trallens.)

Qui sine episcopo et presbytero et diacono operatur, non mundus est in conscientia. etc.

Obiic. VI. Dato quod ordinis clericorum sit curam exclusive gerere Ecclesiae; non tamen eidem dignitas sacri principatus vindicari debet. Nam Christus ipse eam a clericis repulit illis verbis (Luc. XXII, 25 — 26) *Reges gentium dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis fiat sicut minor; et qui praecessor est sicut ministrator.* Iis vero insistens s. Petrus (I Ep. V, 2-3) episcopis ait: *Pascite qui in vobis est gregem Dei . . . neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Igitur etc.

Resp. Dist. sensum utriusque testimonii. Christus et s. Petrus arcent ab ordine clericali superbiam, ambitionem, aut tyrannidem, quae ex humana pravitate possint inficere eos qui in Ecclesia praesident; *Conc.* Arcent ipsum in se sacrum principatum; *Nego.* Sane quod ad Christi effatum attinet, non dixit Dominus; *vos non praesidebitis ullo modo*: sed *non sic ut reges gentium*, nempe cum superbia et fastu. Qui autem dicit *non sic praeeris ut ille*, id significat: *praeeris quidem, sed aliter quam ille.* Deinde aperte hoc loco (v. 26) subiungitur: *qui maior est in vobis fiat sicut minor, et praecessor*, graece ἡγούμενος, idest dux et princeps, *sicut ministrator.* Adde quod Christus exemplo suo rem declaraverit. *Sicut ego*, inquit (v. 27) *non veni ministrari sed ministrare*: et: *Ego in medio vestrum sum sicut qui ministrat.* Et tamen de se dicit (Ioan. XIII, 13) *Vocatis me, magister et domine, et benedicitis, sum etenim.* Sicut ergo Christus non dominabatur nec praeerat sicut reges gentium, sed ministrabat et laborabat; et tamen vere praeerat, immo et dominus erat; ita quoque vult suos Apostolos praeesse absque libidine dominandi, qualis esse solet in regibus gentilium, qui tyranni

sunt plerumque, imperantque subiectis ut servis, et omnia referunt ad suum commodum et gloriam. Confirmatur nostra responsio ex scopo Christi, qui fuit ut ambitiosam litem inter Apostolos exortam compesceret, qua disceptabant invicem (v. 24) *quis eorum videretur esse maior.*

Similis est, loco allegato, d. Petri sententia, utpote effato Christi re et verbis parallela. Quod confirmat vox κατακυριεύοντες, quae in malam partem accipitur, et indicat regere imperiose, arroganter, cum ostentatione potestatis et terrore, ad suum non gregis commodum. Praeterea ipse s. Petrus utitur (v. 2) verbo ποιμάνατε, quod superius diximus esse *praesidendo pascere.* Denique quos hic adhortatur pastores, comparat (v. 4) cum principe pastorum Christo, qui, ut nuper animadvertimus, summam in seipso potestatem cum omni imperii mansuetudine ac modestia coniunxit.

LECTIO XIV

Principatus in ordine clericorum a Christo institutus ad monarchiam revocatur.

Effectum est universim longe abfuisse Christum a regimine democratico suae Ecclesiae coaptando, totamque ecclesiasticae potestatis summam in ordine clericorum collocasse. At vero quaerendum superest quo ordine, quave distributione eadem potestas ordini clericorum collata sit, proindeque quaenam principatus illius specifica ratio ac forma censeri debeat. Hoc dum fit, magis magisque determinatur auctoritatis seu unitatis principium Ecclesiae a Christo suppeditatum, ac ulterius explicatur constitutio Ecclesiae, quam in praesens adhuc vestigamus. Asserimus igitur sic a Christo ordini clericorum collatum fuisse principatum in Ecclesia, ut is ad formam regiminis monarchici revocari debeat. Id primo efficere licet ex analogia

Ecclesiae V. T. Etenim ex Apostolo (I. Cor. X) vetus Testamentum fuit figura novi, ac praeterea Ecclesia illius temporis eadem quoad rem fuit cum Ecclesia evangelica, quod ab ipso huius tractatus ingressu demonstratum est. Age ergo tempore Testamenti veteris semper extitit unus qui caeteris praeesset in iis quae ad legem et religionem pertinerent, ac praesertim ab eo tempore quo coeperunt Hebraei formam populi induere, et gubernari legibus ac magistratibus, postquam scilicet egressi sunt ex Aegypto : tum vero usque ad Christi tempora nunquam defuit unus princeps sacerdotum, qui omnes synagogas gubernaret. Igitur cum illius aetatis Ecclesia Ecclesiae huius temporis figura fuerit, ratio omnino exigit, ut sicut illa praeter Deum invisibilem rectorem, unum habuit rectorem visibilem ; ita quoque et ista habeat : nulla siquidem perfectio in figura extare debet, quae non reperiatur et quidem plenius in figurato. Praesertim cum si ratio cur habuerit unum caput populus Iudaeorum fuit ut in unitate fidei et religionis contineretur ; multo magis habere debeat unum caput Ecclesia christianorum ; utpote unitas fidei christianae conservari debet in maiori multitudine longe lateque per universum orbem diffusa, et a pluribus hostibus impetitur, ac maioribus sane periculis est obnoxia. Igitur etc.

Secundum argumentum petitur ex modo commemorata unitate fidei. Necesse est enim ut omnes fideles idem omnino sentiant in rebus fidei ; siquidem est *unus Deus*, *una fides*, *unum baptisma* (Eph. IV, 5). At una fides in Ecclesia esse non potest, si non sit unus summus iudex, cui omnes acquiescere teneantur. Quod certe, vel si caetera deessent, satis aperte docet dissensio acatholicorum qui, quod uno carent cui omnes iudicium suum subiicere teneantur, in sectas innumeras scissi sunt, neque hactenus potuerunt unum concilium cogere in quo omnes convenirent. Sed et apertissima ratio id suadet. Cum

enim multi sunt pares , vix fieri potest, ut in rebus obscuris et difficilibus ullus velit alterius iudicium proprio anteponi. Nec sufficit ulla consociatio ecclesiarum ; cum ad unitatem fidei conservandam non sit satis consilium , sed requiratur imperium. Quid enim fiet si episcopus errans nolit ad alios scribere , vel aliorum consilium sequi ? Quae omnia , ut innuimus , haeterodoxorum experimento confirmantur , et a nobis inferius sunt ex professo evolvenda.

Tertio evincitur monarchia ex illis similitudinibus quibus in Scriptura describitur Ecclesia ; omnes enim ostendunt necessario unum caput in Ecclesia extare debere. Itaque Ecclesia comparatur *exercitui ordinato* (Cant. VI , 3) *regno* (Matth. III , 2) *ovili* (Ioann. X , 16) *domui* (II Tim. II , 20) *navi* seu *arcae Noe* (I Petr. III , 21) Sed haec omnia referunt unitatem monarchicam, cum in exercitu unus sit summus imperator , unus summus pastor in ovili , in navi unus rector , in domo unus praeses et dispensator. Ergo. Speciatim ipse Christus (Luc. XII , 42) ad Ecclesiae suae familiam alludens , et ad unum summum dispensatorem in ea collocandum , inquit : *Quis putas est fidelis dispensator et prudens , quem constituit Dominus super familiam suam ?* Quae verba dicuntur Petro et de ipso Petro : nam paulo ante cum Dominus dixisset : *Beati servi illi , quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes* ; quaesivit Petrus : *Domine, ad nos dicis hanc parabolam , an et ad omnes ?* Respondit Christus Petro : *quis putas est fidelis dispensator et prudens , quem constituit Dominus super familiam suam ?* Quasi diceret : tibi , o Petre , imprimis dico ; tibi enim incumbit cogitare quid requiratur in oeconomo fideli , et prudenti , quem constituet Dominus super familiam suam. Et paulo post , ut ostendat se loqui de uno , qui praesit omnibus conservis , et qui soli domino subiiciatur , subiungit : *Quod si dixerit servus ille*

in corde suo: moram facit dominus meus venire, et coeperit percutere servos et ancillas, et bibere et inebriari; veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua nescit, et dividet eum, partemque eius cum infidelibus ponet.

Quarto, his dimissis; praecipue argumentamur ex facto ipso, seu ex ipsa *genesi* potestatis in Ecclesia a Christo constitutae, quam propterea hoc loco accuratius evolvendam suscipimus. Imprimis itaque nemo dubitare potest, quin quamdiu Christus in terris degit, Ecclesia sub eius regimine formam absolute monarchicam praesetulerit. Tum vero ex dictis superius compertum est suam regendae Ecclesiae potestatem in Petrum et Apostolos Christum transfudisse. Ut igitur innotescat quam ipsa hac agendi ratione regiminis formam invexerit, expendendum est quid in se ex Christi ordinatione habuerint fuerintque Apostoli. Secundo quid Petrus. Tertio quid Apostoli et Petrus invicem. Quarto quid Petrus et Apostoli respectu successorum.

Itaque, ut ex iis quae in praecedentibus lectionibus saepe ex Scripturis recitata sunt, evidenter liquet, Christus Dominus Apostolis omnibus et singulis *in solidum* Ecclesiam suam *fundandam, docendam,* et *regendam* commisit. Hoc ius in solidum fundandae Ecclesiae importabat ut Apostolorum unusquisque, et quidem potestate accepta ab ipso Christo, sui muneris et auctoritatis censere posset ubique terrarum fundare ecclesias, docere, et regere. Cum vero non possent singuli in universum orbem excurrere; necessario sibi partiri debuerunt provincias; quae tamen partitio non impediebat quominus solidum ius administrationis penes unumquemque maneret. Illo autem iure uti poterant etiam in alienis provinciis, si aut alterius Apostoli absentia, aut Ecclesiae utilitas eam curam exposceret. Exemplo sint plures tutores quos testator liberis suis testamento dederit. Tutelae ius in solidum singulis competit in caput liberorum, atque adeo in patrimonii administrationem. Sed

si sparsum sit patrimonium per varias regiones, vel aliae caussae id postulent; administratio dividi poterit inter tutores. Iidem tamen non amittent ius quod habent commune et solidum ad tutelam gerendam. Similiter etiam Apostoli: quorum proinde singuli dici possunt fundamenta totius Ecclesiae, iuxta illud Pauli (Eph. II, 20) *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum*: itemque totius ecclesiastici gregis pastores, rectores, principes, ac caetera huiusmodi, quae de iisdem praedicari solent. (1)

Si hic constitisset Christus; nemo non videt quod meram aristocratiam in Ecclesia sua fundasset; nempe in Apostolorum persona optimatum collegium, quibus in communi demandata esset fundatio in solidum et administratio Ecclesiae. At si in suscepto examine pergimus, in elementum monarchicum incidimus: occurrunt enim evangelii loca, quibus sic datur soli Petro tota potestas et administratio Ecclesiae, quasi ea per singulare et personale privilegium ad ipsum tantum pertineret; itemque declaratur Petrus Ecclesiae petra seu fundamentum, quasi solus et unicus per praerogativam eius personae propriam talis esse deberet. Loca notissima sunt (Luc. XXII, 22— Ioan. XXI, 15 seqq.) sed praecipue (Matth. XVI, 18-19) *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* Cum haec nimium luculenta sint, non possumus opinari casu veluti Christo excidisse, vel

(1) Cf. Nicolaum Coeffetau — *Sac. Monarch. Eccl. Cathol. lib. I. cap. VI.* — Natalem Alex. — *H. E. saec. I dissert. IV* — Mamachium — *Origin. et antiquit. christian. lib IV, par. II cap. I.* — Ballerinium — *De vi ac ratione Primatus. rom. Pont. cap. XII.* etc.

esse supervacanea, et nullum sensum peculiarem continere; praesertim si spectentur adiuncta in quibus illa pronunciata sunt; tum series orationis, et caetera, quae expendenda erunt in tractatu de rom. Pontifice. Debent ergo haec invicem conciliari cum iis quae de Apostolis nuperrime adstruximus. At nulla est alia conciliandi via, nisi ut aliqua Petro prae reliquis Apostolis tribuatur praerogativa, ratione cuius nominatim promissum et concessum sit ei quod commune caeteroquin caeteris esset futurum: igitur talis praerogativa in Petro est admittenda. Porro eadem vel honoris sit oportet, vel iurisdictionis. At meri honoris esse non potest, siquidem quae de ea Christus enunciat ad honorem dumtaxat non referuntur, sed maxime ad iurisdictionem: *Tibi dabo claves regni coelorum . . . Quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis . . . . Pasce agnos meos . . . . pasce oves meas*; etc. quae quidem actus potestatis proprie dictae evidenter important. Promittitur ergo Petro citatis locis aut confertur praerogativa iurisdictionis, quae sit ipsi propria et personalis prae caeteris Apostolis, et quam iidem non communicent. Proinde habetur in Petro caput quoddam singulare ac praecipuum inter ipsos Apostolos; adeoque forma regiminis ecclesiastici a Christo instituti talis nobis exhibetur, ut, qualescumque demum fuerint Apostoli, veri nominis monarchiam in Petro includat.

Verum ut haec apertius explanentur; explicandum est, quod tertio proposuimus, quid respectu Apostolorum Petrus esset, quidque vicissim Apostoli respectu Petri. Itaque si scrutemur quodnam fuerit Christi consilium in constituenda praerogativa s. Petri; deprehendimus motivum formale cur eamdem Petro contulerit; fuisse Ecclesiae unitatem tum efficiendam tum demonstrandam. Id ex allegatis evangelii locis facile perspicitur; id insuper omnium Ecclesiae Patrum ore unanimi inculcatur; ac denique ratio

ipsa suadet, quae nullum aliud motivum valet excogitare (1). Itaque si Christus constitisset in ea quam diximus collata Apostolis auctoritate ; Apostoli quidem non potuissent ob personales suas dotes esse inter se discordes, sed eorum successores potuissent invicem scindi : quamobrem non satis fuisset prospectum unitati perpetuae Ecclesiae. Insuper etsi ex parte Apostolorum non potuisset schisma obtingere, tamen ex fundandis ecclesiis una uni Apostolo, alteri altera fuisset subiecta, absque communi unitatis centro. Unde evenisset quod penes Corinthios contigit, ut alii dicerent *nos sumus Pauli*, alii *nos sumus Cephae* etc: saltem non potuisset veluti digito ostendi unius Christi una indivisa Ecclesia. Non quidem inficior hisce incommodis potuisse Christum aliis modis occurrere : at ipsi placuit consulere per elementum monarchicum in Petro constitutum, quo fieret ut schismatis inter pastores et inter greges tolleretur occasio, simulque Ecclesia una *esset* et una *monstraretur*, ut Cyprianus loquitur (lib. de unit. Eccl.).

Si haec ita sunt, facile colligitur quid vi sui primatus Petro competeret sive absolute, sive respectu collegii Apostolorum. Absolute, vi illius praerogativae, Petro in Ecclesia tribuendum erit quidquid necessarium est ad efficiendam, servandam, exhibendamque totius catholicae Ecclesiae unitatem fidei, qua omnes Christi asseclae in una fi-

---

(1) Ex disputatis superius revocandum est in mentem quanti fecerit Christus unitatem Ecclesiae, quamque eam cordi habuerit: ex quo clarius intelligetur, quanti etiam facere debuerit praerogativam huius supremi capitis a se in Ecclesia constituti. Atque id quidem tanta evidentia fulget, ut apud laudatum Ballerininm (loc. cit.) multi etiam Primatus auctoritati caeteroquin infensi, fateri coacti sint ad Ecclesiae unitatem servandam Primatum omnino esse necessarium, cumque a Christo Servatore Petro fuisse tributum. Quod ad Patrum sententias attinet, eas accurate collegit atque expendit inter caeteros ipse Ballerinius, op. cit. cap. VIII, et alias passim.

dei professione conveniant; et unitatem caritatis, qua omnia Ecclesiae membra inter se eodem pacis et communionis vinculo copulentur, ac unum coetum et corpus, licet toto orbe dispersa, efficiant. Igitur sub illa praerogativa Petro attributa concedenda eidem est omnis facultas necessaria ad continendam fidei unitatem atque communionis, et ad utramque repraesentandam. Quae si casibus peculiaribus applicentur, deprehendetur nullam spiritualem auctoritatem, cuius homo capax esse possit, non esse Petro adscribendam. (1)

Ex eodem principio inferes, respectu Apostolorum habuisse Petrum et potuisse quidquid quoad eos necesse esset ad continendam et demonstrandam Ecclesiae unitatem. Itaque omnes quidem Apostoli Ecclesiam fundarunt; omnes fuerunt instituti capita, rectores, et pastores Ecclesiae universae; fuerunt omnes pares Petro in apostolatu, et facultatibus omnibus apostolatui adnexis; potuerunt vi apostolatus ubique terrarum docere, fundare ecclesias, leges ferre, irrogare poenas etc. Verum imprimis habuerunt summam hanc et amplissimam potestatem ut Apostoli seu legati; adeoque eadem in ipsis fuit extraordinaria, et quae, cessante in ipsorum persona munere apostolatus, esset defectura. At in Petro omnis ei data potestas fuit ordinaria, utpote per se adnexa pastoris universalis officio, quod semper foret in Ecclesia necessarium. Deinde, utut in caeteris Petro pares essent reliqui Apostoli, non tamen ipsum aequabant in iurisdictione primatus, et ipso primatu apostolatus: nimirum nemo, excepto Petro, poterat exordiri, efficere, ac repraesentare unitatem Ecclesiae, cum solus Petrus constitutus esset centrum et vinculum eiusmodi unitatis. Hinc fit ut praeter curam et potestatem aliis communem, hanc sibi propriam Petrus vin-

(1) Cf. Balleriniium op. cit. cap. IX. Natalem Alex. H. E. diss IV in saec. I etc.

dicaret; ut specialiter et praecipue unitatis conservandae in exercendo regimine sollicitudinem gereret, proindeque prae caeteris Apostolis omnem eum haberet, sub hoc respectu, excessum potestatis et iurisdictionis, qui ad commemoratum finem esset necessarius. Inde orta est celeberrima distinctio qua affirmari consuevit Petrum et Apostolos pares extitisse in apostolatu, non autem in primatu apostolatus, aut in iurisdictione primatus. Atque hoc etiam illud est quod sibi Patres voluerunt suis quibusdam effatis; puta Hieronymus cum dixit (lib. I. contr. Iovinian.) *Licet super omnes Apostolos ex aequo Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Et Cyprianus (lib. de unit. Eccl.) *Hoc erant utique et caeteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis. Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur.*

Sed enim, inquies, quid ergo quoad Apostolos poterat Petrus vi sui primatus? Profecto si collatus fuit Petro primatus propter unitatem Ecclesiae, id dicendus est in Apostolos potuisse quod unitas tum fidei tum communionis servanda et exhibenda postularet. Iam imprimis Apostoli praediti erant personali infallibilitate: unde quoad fidem Petrus nihil habuit quod in Apostolis ageret; neque ullum ius dicere debuit Apostolis quoad doctrinam fidei, cum omnia infallibiliter nossent. Item quoad missionem in hac illave orbis parte suscipiendam; quandoquidem Apostoli a Christo missionem acceperant in universum orbem. Nec pariter quoad leges ferendas, ritus inducendos etc: quippe ad haec, uti vidimus, potestatem a Christo obtinuerant ubique terrarum. Alioquin vero non erat periculum ne in his agendis ullatenus aberrarent, aut invicem desciscerent. Una ergo restabat obligatio, ut quoniam norant Petrum fuisse constitutum centrum unitatis, ecclesias quas fundabant non sibi retinerent, sed Petro tamquam centro aggregarent,

eique subiicerent, docerentque suos neophytos debere ipsos Petro obtemperare tamquam totius Ecclesiae Primati. Id si per impossibile Apostoli neglexissent; ecclesiae illae mansissent schismaticae, quippe extraneae unitatis centro, ab eoque divulsae. Ex quibus omnibus patet quod vi personalium privilegiorum quae apostolatui erant adnexa, nullam Apostoli haberent a Petro dependentiam quoad se, et suos individuales actus, neque in genere facultatis, neque in ordine exercitii: habebant tamen quoad ea quae ipsi producerent, propter assecutionem et custodiam unitatis. (1)

Superest quarta perpensio, qua tum Petrus tum Apostoli comparandi sunt cum eorum successoribus. Id fert ut vestigetur 1. num et quamnam transmissurus esset Petrus potestatem in suos successores pro tota reliqua duratione Ecclesiae: 2. quamnam respective in suos transfusuri essent Apostoli: 3. proinde quid Petri successores deinceps forent habituri supra episcopos successores Apostolorum.

---

(1) Placet haec ipsa illustrare verbis Card. Perronii *in respons. ad reg. Angl. cap. LVI. Hanc*, inquit, *unitatem in Ecclesia servandam cum decrevisset Christus; principium eius, et radicem in Petro constituit. Cum autem ad stabiliendum hoc unitatis ecclesiasticae caput, eximia quadam auctoritate opus esset, quae valeret schismata compescere, aut avertere ab Ecclesia; praeter auctoritatem apostolatui essentialem, facta est personae Petri, quem huic muneri obeundo destinavit Christus, singularis dignitatis ac potestatis accessio, ut nimirum omnes fideles, atque ipsos Apostolos in officio contineret, ac prohiberet, ne quis Ecclesiae scinderet unitatem; non quidem quasi hac disciplina egerent Apostoli, quibus singulis speciatim in orbis christiani administratione Deus adfuturus erat; sed ut Ecclesiae formam aliquam proponeret, qua res essent post mortem suam componendae.* Similiter disserit Petrus de Marca *dissert. de discrim. cleric. et laicor.* cap. III n. 21. *Nullum erat periculum*, inquit, *ne scissa unitate Ecclesiae, Apostoli proprias sibi communiones defenderent seiunctas a communione Petri. Sed regiminis semel constituti forma exposcebat, ut sciremus, Apostolos quoque ipsos huic regulae a Christo praescriptae subditos fuisse.*

Quod ad 1. attinet; primatus Petri, ex dictis, institutus fuit propter Ecclesiae unitatem. Igitur tamdiu debet perseverare, quamdiu ex mente Christi durare debet unitas Ecclesiae. Sed haec, ut suo loco inferius ostendemus, durationi mundi commensuratur; cum Ecclesia fundata sit in salutem omnium hominum, qui certe usque ad mundi finem extabunt: ergo etiam Ecclesia usque ad mundi exitum vigere debet: proindeque primatus Petri debuit ac debet perpetuo transfundi in eius successores. Item primatus positus est propter unitatem: ergo ut in Petro tantum potestatis attulit, quantum necesse erat ad continendam et exhibendam unitatem; ita tantum potestatis afferre debuit transfusus in successores, quantum requiritur ad eandem Ecclesiae unitatem: adeoque quidquid habuit Petrus ut Ecclesiae primas, habent et successores. Uno verbo, cum Petri potestas non fuerit extraordinaria, puta propter apostolatum, aut aliam caussam temporaneam datus; sed ordinaria, utpote innixa unitate Ecclesiae futura semper necessaria; hinc perennis reddi debuit in persona successorum, et in his talis existere, qualis fuerat in ipso Petro. Itaque ut sub Petro regimen Ecclesiae complexum est elementum monarchicum; ita hoc elementum nunquam erit in Ecclesia defuturum; seu nunquam deerit in ipsa monarcha, et quidem par Petro, in omnibus quae ad Ecclesiam regendam referantur. Ac propterea forma regiminis Ecclesiae nunquam poterit immutari; et sacer principatus in ordine clericorum a Christo institutus, ut iampridem sub Petro, ita perpetuo deinceps ad monarchiam dicendus est revocari.

Relate ad Apostolos eorumque successores, animadvertendum est, quod non omnia quae in Apostolis recensuimus, putari possint in successores debuisse transfundi. Apostoli enim spectari queunt reduplicative ut apostoli, et uti simplices episcopi. Quae ut episcopi habuerunt, necessario communicantur successoribus: erat enim ea potestas ordinaria, seu adnexa muneri episcopatus perpetuo futuro in

Ecclesia; ac si ipsis illa potestas necessaria erat ut episcopatum gererent, et iis tribuenda est, qui pari munere fungi debeant. Reliqua quae Apostolis uti talibus propria extitere, successoribus non fuerunt communicanda, cum iidem non sint, instar priorum, apostoli; nec in apostolatu succedant, unde nec in iuribus apostolatus. Age ergo quaenam apostolorum uti talium propria fuere; quaenam vero ut erant episcopi? Apostoli, uti tales, habuerunt 1. immediatam a Christo electionem, institutionem, missionem et potestatem, nec non alios in episcopatu aliisque gradibus instituendi auctoritatem 2. conversationem cum Christo, gestorum eius inspectionem, et ex eius ore susceptam instructionem; licet hoc ipsum non in omnibus Apostolis locum habuerit. 3. Praedicandi ius et munus in toto orbe terrarum; et exercendi ubique gentium absque ulla limitatione propriam potestatem. 4. Peculiarem Spiritus Sancti directionem in omnibus quae agerent in bonum Ecclesiae; et personalem infallibilitatem in omnibus quae de religione docerent seu verbo, seu scripto.

Haec per se liquet aequum fuisse ut Apostoli acciperent propter extraordinarium munus apostolatus, et extraordinarias functiones quae ipsis incumberent evangelii primo nuntiandi, convertendi ad fidem gentiles, ac fundandi et dilatandi Ecclesiam per universum orbem. Sed his exceptis, ex contraria ratione debuerunt in successores suos transfundere 1. munus pastorale, unde s. Petrus (1. Ep. V. 2) episcopos alloquens dixit: *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, 2. munus docendi, de quo toties Paulus Timotheum admonet, quodque iis verbis iam expresserat Christus (Matth. XXVIII, 30) *Ecce ego vobiscum sum* (nempe docentibus et praedicantibus) *usque ad consummationem saeculi*. 3. Munus regendi et administrandi Ecclesiam. Unde Paulus (Act. XX, 28) inquit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. Hinc transmis-

sum est in episcopos ut sint pars Ecclesiae regentis ac docentis; ac collective sumpti una cum Petri successore eandem constituant: sint etiam una cum eodem successore Petri corpus legislativum Ecclesiae, controversiarum iudices in rebus fidei et morum; ac quod ait Cyprianus (lib. de unit. Eccl.) constituant *unum episcopatum*, *cuius in solidum a singulis pars teneatur.* (1)

Cum haec ita sint circa episcoporum successionem; iam liquet, quod est tertio loco propositum, quid Petrus posset supra Apostolorum successores, quidque super eosdem valeant successores Petri. Ex saepius dictis constat quod attento fine primatus, tum Petrus tum eius successores tantum possint, quantum requirit Ecclesiae unitas. Sed licet ex se Petrus semper possederit plenam atque immutabilem in seipsa potestatem; tamen haec diversimode se habuit quoad Apostolos, ac quoad eorum successores. In Apostolis enim, ob recensitas ipsorum personales dotes, primatus non debuit totam suam explicare vim, ut conservaretur unitas; sed habita ratione subiecti, excrebatur

(1) Praeter haec, nullam partem extraordinariae missionis Apostolorum episcopis competere, patet ex facto ipso; siquidem usque ab Ecclesiae incunabulis nonnisi definitas regiones habuerunt in quas iurisdictione pollerent. Sic Titus a Paulo non est praefectus nisi ecclesiae Cretensi, et nonnisi Ephesinae Timotheus. In Asia etiam fuisse episcopos quibus Apostoli certam regionem administrandam dederunt, constat ex Ioannis Apocalypsi (II. 1 seqq.); atque a Paulo, cum Miletum venit, eoque vocavit episcopos, non enim modo qui Ephesinae, sed etiam caeteros, qui in finitimis civitatibus ecclesiis praerant, accitos fuisse, scribit Irenaeus (contr. haer. lib. III, cap. XXIV) Confer etiam Hieronymum (de vir. illustr. cap. IX) et Ignatium M. in epistolis ad Ephesios, ad Philippenses, ad Trallianos, ad Magnesianos, ad Polycarpum. Cum enim ipse vel anno 107 post Christum natum, vel non multo post martyrium sit passus; profecto, cum episcopos recensuit earum civitatum, nonnisi episcopos ab Apostolis ordinatos, recensere debuit. Vide etiam Eusebium (H. E. lib. V. cap. XXIV.)

ex una tantum parte, quoad ecclesias Petro coadunandas. At vero iu Apostolorum successoribus ob absentiam muncrum personalium, quae Apostolis propria extitere; vis primatus debuit et olim sub Petro, et iam sub rom. Pontificibus Petri successoribus omnem suam exerere facultatem. Animadverte igitur quod, ut paulo ante innuimus, episcopis Apostolorum successoribus nec peculiaris directio Spiritus Sancti tribui possit, nec personalis infallibilitas, neque item impeccantia, et caetera huiusmodi: quocirca tum iu fide tum in moribus desciscere possunt, ac sanctitatem et unitatem Ecclesiae violare. Igitur opus est ut qui primatum in Ecclesia tenet, primo ex hac parte omnem habeat episcopos regendi et coercendi potestatem, saltem quantum necesse est ad periculum propulsandum, ne per eos unitas fidei aut communionis scindatur in Ecclesia. Item episcopi Apostolorum successores non potuerunt aut possunt habere missionem et institutionem immediate ab ipso Christo. Igitur necesse est ut eam habeant ab eo qui vices Christi in praefectura totius Ecclesiae gerit, et in quo tanquam in centro unitatis plenitudo potestatis reperitur. Denique Apostolorum successores episcopi non habent, ut Apostoli, missionem et potestatem in omnes mundi plagas, et omnem Ecclesiam. Igitur necesse est ut definitam regionem in quam iurisdictionem exerceant ab eo accipiant, in quem a s. Petro transfusa fuit potestas consulendi toti orbi, et ubique terrarum amplificandae et conservandae Ecclesiae. Uno verbo, episcopi a successore s. Petri habent plenam dependentiam non modo, ut olim Apostoli, in iis quae per eos producantur; sed etiam in ipsa facultate et eiusdem exercitio.

Atque haec, quae hactenus expendimus, genesim potestatis in Ecclesia a Christo constitutae quaquaversus spectant, eamque oculis subiiciunt sub omni respectu consideratam. At vero eadem in omnibus suis, ut ita dicam, evolutionibus et applicationibus inspecta, semper exhibet

elementum monarchicum, et pridem vigens tempore Apostolorum, et multo magis deinceps aetate successorum eorundem. Ergo vere, ut a principio enunciavimus, ex facto ipso, seu ex ipsa *genesi* potestatis a Christo constitutae in Ecclesia patet, principatum in ordine clericorum semel institutum, ex ipsa Christi ordinatione ad veri nominis monarchiam suapte natura revocari.

LECTIO XV.

Expenditur controversia num Ecclesiae regimen dicendum sit absolute monarchicum, aut aristocratia temperatum.

Quae hactenus de episcoporum successione et dignitate, quaeque de monarchico Ecclesiae regimine disputavimus, prout universim spectantur, a nemine in dubium revocari possunt. At vero sequitur postrema quaestio, num ex iis principiis inferre liceat regimen Ecclesiae esse absolute monarchicum, an censeri debeat aristocratia temperatum. Qua in re non una est inter ipsos catholicos theologos sententia; tametsi Bellarminus (de rom. Pont. lib. I, cap. V) sua aetate affirmaverit constare inter catholicos Ecclesiae regimen pure monarchicum non esse, sed aristocratico ordine temperatum.

Sunt igitur qui licet vera agnoscant quae de episcoporum origine ac potestate innuimus; nihilominus nihil ea impedire arbitrantur, quominus Ecclesiae regimen dicatur simpliciter et absolute monarchicum. (1) Alii ex adverso ex iactis principiis sequi existimant dicendum esse eccle-

(1) Ita Card. Ursius Dissert. *Qua ecclesiasticae monarchiae forma seu ratio explicatur*, in op. *De rom. Pontificis in synodos oecumenicas et earum canones potestate.* Romae 1740 par. 2. lib. VII pag. 559 et seqq. Porro Ursio subscribunt innumeri theologi catholici, quorum longum esset catalogum pertexere.

siasticum regimen monarchicum, sed aristocratia modificatum; quatenus scilicet sit in Ecclesia summus aliquis princeps, qui et omnibus imperet et nulli subiiciatur: sed tamen extent quoque in ea alii principes qui non sint vicarii regis, sive annui iudices, sed veri principes, qui et imperio principis summi obediant, et interim provinciam vel civitatem suam non tanquam alienam, sed ut propriam moderentur ac regant. (1) Sunt denique qui eo sensu defendunt regimen monarchicum Ecclesiae esse aristocratia permixtum, quatenus suprema potestas sit auctoritas conciliorum, non autem rom. Pontificis, et hic illis sit subiectus. (2)

Qui monarchicum Ecclesiae regimen defendunt, sed aristocratico ordine temperatum; his ferme rationum momentis nituntur. Primo, inquiunt, auctoritas episcoporum immediate a Deo proficiscitur, non secus ac auctoritas supremi Pontificis: ergo ut haec divini iuris absolute et simpliciter est dicenda, ita potestas episcoporum. Sed si hoc, admittendus est in regimine Ecclesiae ex ipsa Christi institutione ordo aristocraticus, quo monarchia temperetur. Igitur etc. Maiorem evincunt primo pluribus Scripturae locis quae id videntur suadere. Ac imprimis eo quod legitur (Act. XX, 28) *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Deinde quod ait Christus episcopis in persona Apostolorum (Ioann. XX, 31) *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Quod iisdem dixit (Matth. XVIII, 18) *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt li-*

(1) Ita sententiam suam explicat Bellarminus (loc. cit. cap. III) et quotquot citra iniuriam supremae potestatis rom. Pontificis censent monarchiae Ecclesiae aristocratiam esse consociandam.

(2) Ita Natalis Alexander dissert. IV in hist. eccl. saec. XV et XVI, ac universim quotquot doctrinas gallicanas profitentur.

gata et in coelo, *et quaecumque solveritis super terram*, *erunt soluta et in coelo*. Denique, inquiunt, verba Christi (Matth. XVI, 18) *Tibi dabo claves regni coelorum* etc. nec non illa (Ioann. XXI, 17) *Pasce oves meas*, ex sui natura et Patrum unanimi interpretatione non ad solum Petrum spectant, sed data proportione, ad reliquos etiam Apostolos; proindeque ad omnes episcopos, qui, nullo refragante, Apostolis in Ecclesiae regimine successerunt. Ex his igitur aliisque similibus locis constare aiunt, episcopatum institutionis divinae atque immutabilis esse, et ei adnexam esse potestatem ad regendam Ecclesiam, quae Christum ipsum immediatum auctorem et collatorem habeat.(1)

Secundo argumentantur ex Patrum auctoritate qui idipsum profiteantur; ex quibus s. Ignatius M.(ep. ad Ephes.) inquit: *Episcopi per terminos terrae definiti sunt ex Iesu Christi sententia*. Et s. Cyprianus (epist. LXIX) ait: *Episcopos ecclesiis dominicis in toto mundo divina dignatione* fuisse *praepositos*. Ac (epist. LXIII): *Episcopatus unus est*, *cuius a singulis in solidum pars tenetur*. Quod Symmacus Pont. Max. confirmat inquiens (epist. XI): *Ad Trinitatis instar*, *cuius una est atque individua potestas*, *unum est per diversos antistites sacerdotium*. Addunt Cypriani effatum (epist. LXIX) *Christus dicit ad Apostolos*, *ac per hoc ad omnes praepositos*, *qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt*: qui audit vos, me audit, et qui me audit, audit eum qui me misit. *Inde enim schismata et haereses obortae sunt et oriuntur*, *dum episcopus*, *qui unus est*, *et ecclesiae*

(1) De hac immediata derivatione ab ipso Deo episcopalis iurisdictionis, magno animorum aestu quaesitum est in concilio Tridentino: sed res in medio relicta fuit, agente praesertim Cardinali a Lotharingia. Vid. Nat. Alex. *H. E. saec. XV et XVI.* art. 14 — Pallavicinium *Hist. conc. Trid. lib. XVIII cap. XIV et XV*, et *lib. XXI. cap. XI.* Zaccaria in *Antifebronio*, *tom. II. diss. II.*

praeest, superba quorundam praesumptione contemnitur, et homo dignatione Dei bono auctus, indignus hominibus iudicatur. Ac similia docuisse contendunt Clarum a Muscula episcopum in concilio Carthaginensi apud s. Cyprianum; Hieronymum (epist. LIX); s. Augustinum (in Ps. XLIV): itemque Ambrosium, Basilium, Gregorium Nyssenum, Leonem I, Gregorium M. aliosque magno numero patres, qui unanimes affirmant episcoporum potestatem, utpote sunt Apostolorum successores, a Deo proficisci.

Tertio assumptum vindicant ex quibusdam rationibus theologicis. Etenim, aiunt, episcopi ex ss. litteris sunt a Deo instituti pastores; sed ad pastoris conceptum pertinet pascere; hoc autem importat iurisdictionem: ergo a quo habent ut sint pastores, habent etiam iurisdictionem. Secundo: episcopi, nemine repugnante, a Deo accipiunt per consecrationem potestatem ordinis; sed hanc necessario comitatur potestas iurisdictionis; utpote non possit aliquis concipi ordinatus ad regendam Ecclesiam, et charactere insignitus rectoris Ecclesiae, absque facultate ipsi inhaerente consentaneae iurisdictionis. Ergo. Tertio episcopi, nullo item contradicente, primum gradum constituunt in ecclesiastica hierarchia: sed ex sacra synodo Tridentina tota ecclesiastica hierarchia Christum immediatum auctorem et ordinatorem habet. Igitur etc.

Contrariae sententiae patroni imprimis affirmant ex ss. litterarum effatis nihil erui; siquidem illa docent utique episcopatum esse a Christo institutum, competere etiam episcopis suam potestatem etc. sed non evincunt, non esse talem potestatem ipsis ab eo communicandam, qui Petro in plenitudine potestatis succedit, et est constitutus a Christo propter unitatem Ecclesiae, origo et scatebra omnis potestatis. Quapropter, inquiunt, si intimius Scripturas rimemur, contrarium innotescit. Si enim vere in Petro institutus est a Christo in Ecclesia primatus non honoris tantum, sed etiam iurisdictionis; si in eodem excitatum fuit

a Christo centrum ad unitatem Ecclesiae tum perficiendam tum demonstrandam; profecto sic debet intelligi attributa reliquis pastoribus in Apostolis potestas; ut unitati Ecclesiae et Capitis non adversetur; proindeque sic ut eadem ab uno Petri successore in omnes dimanet. Item si Petri successor Christi in terris vicarium agit, atque ita sub se unam Ecclesiam exhibere debet, ut una fuit sub regimine visibili Christi; procul dubio, ut sub Christo ita fuit una Ecclesia, ut omnis potestas a Christo deflueret; sic etiam, ita una sit oportet sub rom. Pontifice s. Petri successore, ut hic omnis auctoritatis fons et radix nuncupari possit.

Similiter, aiunt, Patres commendant passim divinam originem potestatis episcopalis: sed tamen absque praeiudicio unitatis Ecclesiae; adeoque quin inficientur potestatem a Petri successore in reliquos episcopos dimanare. Et sane proferunt plures Patres qui id expresse affirmant. Sic Optatus Milevitanus (lib. VII contr. Parmenian.) ait: *Bono unitatis b. Petrus, cui satis erat, si postquam negavit, solam veniam consequeretur, et praeferri omnibus Apostolis meruit, et claves regni coelorum communicandas caeteris solus accepit.* Ante Optatum Nyssenus (Adv. eos qui castigat. aegre ferunt) *Nihil*, inquit, *falsi aut mendacii scriptum est in evangeliis, neque Christi praedilectio exitum fallacem habet. Per Petrum episcopis dedit claves regni coelorum.* S. Leo M. (epist. ad episc. Galliae, seu prov. Vienn.) sic disserit: *Huius muneris* (praedicationis scilicet veritatis) *sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.* Tum Innocentius I (epist. ad conc. Carthag.) sic effatur: *Scientes quid apostolicae sedi (cum omnes hoc loco positi sequi desideremus Apostolum) debeatur, a qua ipse episcopatus, et tota auctoritas nominis huius emersit.*

Caesarius Arelatensis idem fatetur scribens ad Symmachum Papam: *Sicut a persona b. Petri episcopatùs sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus, sanctitas vestra singulis ecclesiis, quid observare debeant evidenter ostendat.* Similia docent Ioannes episcopus Ravennas (epist. ad s. Gregor. M.) Stephanus Larissaeus (libel. ad Bonifac. II.) Patres synodi Rhemensis sententiam ferentes in eos qui Falconem Rhemensem archiepiscopum necaverant: denique Patres omnes quotquot affirmant claves specialiter Petro collatas, ut unitas in Ecclesia servaretur. Sed praecipue s. Cyprianus (lib. de unitate Eccl.) ubi postquam dixit super unum Petrum aedificatam fuisse Ecclesiam; addit in eo sitam esse huius unitatem, ut sicut plures radii ab uno sole; plures rami ab una arbore procedunt; ita ab uno Ecclesiae capite, quidquid habent caetera membra participent. *Sic*, inquit, *et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur: ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit; unum tamen caput est et origo una.*

Tertio, inquiunt, certum est ex Gelasio (in conc. rom. ann. 494) Innocentio I (epist. XVIII ad Alex. episc. Antioch. cap. I) s. Gregorio M. (lib. VI epist. XXXVI ad Eulog. Alex.) etc. a romana sede profluxissè provinciarum et dioeceseon distributionem: ergo facto ipso constat omnem iu quoslibet potestatem a Petri successore habuisse originem. Insuper nisi iurisdictio in episcopos a summo Pontifice procederet; non posset hic episcopatus coniungere aut separare; fines iurisdictionis in episcopis amplificare aut coarctare; nec ullam sibi quorumdam casuum absolutionem reservare: qui enim coarctet aut reservet potestatem qua episcopi a Deo ipso immediate sint instructi? Ergo.

Quarto aiunt: si episcopatui esset per se immediate

adnexa potestas iurisdictionis; non possent creari episcopi nulli regendae Ecclesiae destinati; et solius honoris gratia episcopi instituti: sed non desunt in tota antiquitate talium episcoporum exempla; uti Barsenii, Eulogii ac Lazari de quibus meminit Sozomenus (H.E.lib.VI cap.XXXIV) etc. Ergo. Denique dicunt: aequum est credere ita Christum in sua Ecclesia episcopalem dignitatem constituisse, ut non facilis pateret via ad unitatem rescindendam: unde cum suo capite episcopos adnexos voluit, uti paulo ante ex ss. Patribus adstructum est. Sed Ecclesiae unitas facile dissolveretur, si episcopi suam iurisdictionem immediate a Deo agnoscerent: sic enim dum illos summus Pontifex intra iustos limites vellet cohibere, ultro reponerent accepisse se immediate a Christo iurisdictionem, proindeque eiusdem limitandae ius, in pluribus saltem casibus, non esse penes romanum Pontificem, atque ita ab huius obedientia se subducerent. Ergo.

Si in gravi adeo ac salebrosa controversia liceat nobis nostrum iudicium proferre; necesse est ut quae in eadem implicita sunt atque complexa, secernamus accurate ac sedulo discriminemus. Imprimis ergo nemo ignorat distinguendam in episcopis esse potestatem ordinis ac iurisdictionis. Prima est quae vi consecrationis imprimitur, quaeque ad sacramenta tum conficienda tum ministranda refertur: altera vero spectat ad populum christianum regendum et gubernandum. De priori nemo unquam dubitavit quin conferatur episcopis immediate a Deo; utpote confertur per quamdam consecrationem, quae aeque in omnibus operatur, et cuius effectus a nemine mortalium suspendi potest, aut impediri. Quoad alteram, imprimis certum pariter est episcopatum in se aeque ac summum Pontificatum esse de iure divino; itidemque de iure divino esse iurisdictionem episcoporum, saltem in genere, seu in abstracto inspectam: siquidem Christus ita ordinavit Ecclesiam, ut in ea sint pastores, doctores etc: prout loquitur Apostolus (Eph. IV, 11). Ac praeterea, nisi ita foret, posset sum-

mus Pontifex hunc ordinem immutare, et instituere ne ullus sit in Ecclesia episcopus, quod procul dubio nequit efficere.

Sequitur in gradu episcopali aptitudo seu potius ordinatio ad regendam Ecclesiam, quam videtur per se ferre gradus episcopalis; ut est in simplicibus praesbyteris ad dimittenda peccata, priusquam etiam ab episcopo actualem iurisdictionem accipiant. Hanc quoque a Deo immediate proficisci concedet quisquis animadvertat eam fundari immediate in ipso gradu episcopali, eiusque charactere niti, et esse ab eo inseparabilem: unde Deus qui auctor est gradus et characteris, est etiam immediatus auctor aptitudinis et ordinationis quae illum consequitur.

Restat iurisdictio actualis, de qua praecipue disceptatur, num eam episcopi canonico electi a Deo accipiant, sicut summus Pontifex, num a summo Pontifice mutuentur. Sed rursus in hac quaestione, si iurisdictio spectetur obiective, sive attendatur terminus in quem ea tendit, seu materia circa quam exercetur, quae sunt subditi uni alterive episcopo destinati; nemo unquam ex catholicis inficiatus est hoc modo iurisdictionem a summo Pontifice proficisci. Cum enim ipsi potissimum oves Christi fuerint commissae, ipsius est his illisve easdem pascendas tradere. Cum item ad ipsum spectet cura unitatis servandae in Ecclesia, ipsius est partiri provincias, et dioeceses distribuere, ac singulis definitos pastores praeficere, ne debitus ordo in Ecclesia desit, quo absente nec unitas poterit conservari. Superest iurisdictio subiective accepta, prout nempe dicit in subiecto actualem facultatem iuris dicendi, seu regendi Ecclesiam. Haec pariter iurisdictio potest dupliciter spectari: quoad designationem personae quae tali potestate instruatur; et sic etiam iurisdictio suppeditatur a summo Pontifice, utpote eius est episcopos eligere et canonice instituere. Deinde potest spectari in se, ut praecise est actuale ius regendi Ecclesiam; in quo adhuc duo sunt quae perpendas. Primum est quodammodo suprema causa seu ti-

tulus unde episcopo iurisdictio conferatur; et sub hoc certo respectu iurisdictio est a Deo, ex cuius ordinatione sunt Episcopi rectores Ecclesiae. Si vero ipsa entitas iurisdictionis spectetur, hanc censemus episcopos mutuari a rom. Pontifice: unde fit ut in ea mensura et determinata extensione episcopi iurisdictionem accipiant, quae successori s. Petri adlibuerit; similiter ut possint privari ex toto aut ex parte eadem potestate; legitima etiam sit reservatio absolutionis, quam in multis casibus summus Pontifex facit; etc. Et sane cum hac doctrina perbelle conciliari potest quod episcopi succedant Apostolis; quod episcopatus in genere sit a Christo institutus; quod ex Christi ordinatione sua detur episcopis potestas; etc. Potuit enim Christus velle, ut tamen non sine acceptione potestatis ab instituto unitatis centro haec omnia in episcopis perficerentur. Item non obstat quod per characterem episcopalem accipiant episcopi ordinationem seu destinationem ad regendam Ecclesiam; cum nondum probaverint adversarii eiusmodi ordinationem non consistere in mera aptitudine, seu exigentia accipiendi iurisdictionem ordinariam; sed esse facultatem activam qua episcopi polleant, independenter ab eo quod róm. Pontifex iisdem conferat. (1)

(1) Speciatim doctrinae hactenus traditae non opponitur celeberrimum illud superius recitatum Cypriani effatum (lib. de unit. Eccl.) *Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur*, quasi nempe hoc limitatae illi acceptioni potestatis adversetur, quam episcopis attribuimus etc. Etenim animadverte Cyprianum non usurpare vocabulum illud *in solidum* modo forensi, quasi dicere voluerit singulos episcopos ipsa vi ac ratione muneris episcopalis tam in propria dioecesi, quam in tota Ecclesia iurisdictionem habere. Procul id a mente s. doctoris, qui dumtaxat affirmare intendit, singulos episcopatus non esse veluti partes inter se disiunctas, ita ut corpus quod ex iis efficitur, sine discrimine *soliditatis* dividi ac separari possit, sed eosdem tam esse inter se compactos et coagmentatos; ut ex iis corpus unum ac solidum confletur, quod dividi ac discerpi nequeat. Id vero pertinet ad eam, de qua Cyprianus agebat Eccle-

Ex alia parte argumenta quibus secunda ex sententiis expositis nititur, longe validiora nobis videntur, et quibus nihil solidi reponi possit. Insuper censemus hanc opinionem congruentiorem generalibus principiis unitatis Ecclesiae quam Christus intenderit, et magis alienam ab incommodis, quae adversus eandem unitatem ex sententia quam reiicimus pullulant, uti suis locis inferius innotescet. Ergo.

Atque haec de gradu episcoporum in Ecclesia, ac potestatis eorumdem origine delibasse sufficiat. Porro ex hisce ita definitis et explanatis conceptibus pronum est decernere, quod in hac lectione determinandum assumpsimus, num Ecclesiae regimen pure monarchicum dicendum sit, an aristocratia temperatum. Etenim, ni fallor, dissensio non tam ex re ipsa oritur, quam ex notione quam quis praeformet regiminis monarchici aristocratia temperati. Ac forte si talis notio praefiniatur, et eorum habeatur ratio quae de episcoporum dignitate disseruimus; controversia plane componi poterit. Etenim si aristocraticum ordinem monarchiae admixtum in Ecclesia sic cum quibusdam accipias, quasi sint in persona episcoporum qui non a supremo principe sed aliunde suam dignitatem et auctoritatem sub quovis respectu mutuentur; hoc pacto ex modo explanatis, nulla est aristocratia in Ecclesia quae monar-

siae unitatem demonstrandam, quae revera in eo est posita, ut ex particularium conglutinatione ecclesiarum unum solidum corpus, hoc est, una catholica Ecclesia efficiatur. Quod quidem voluisse Cyprianum evidenter constat ex iis quae in eodem libro scripsit. Nam paulo ante dixerat: *quam unitatem firmiter tenere, ac vindicare debemus, maxime episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus*. Et clarius deinceps: *Deus*, inquit, *unus est. Christus unus, et una Ecclesia, et una fides, et plebs una* in solidam *corporis unitatem concordiae glutino copulata*. Vid. Ballerinium *de vi ac ratione primatus etc. cap.* XIII, §. 3.

chicum regimen mitiget ; cum potius unus sit supremus monarcha fons et scatebra omnis auctoritatis. Si item aristocratiam sic sumas , quasi supremus princeps nullam legem iubere queat , nisi ab ordine aristocratico , aut disperso in variis provinciis , aut in conciliis coadunato approbetur ; vel sic ut idem ordo complexive spectatus seorsim ab ipso summo Pontifice , eodem superior extet , et considerari debeat uti supremum tribunal Ecclesiae , ac fons in eadem supremus potestatis et auctoritatis ; hoc modo multo minus datur aristocratia in Ecclesia ; cum tanto magis recedamus ab idea unitatis monarchicae quam Christus induxit. Praesertim cum, in hac hypothesi, non tam monarchia haberetur aristocratia temperata, quam pura putaque aristocratia , utque in ordine aristocratico suprema auctoritas moraretur (1). Denique si aristocratiam sic accipias , quatenus non sit in potestate Pontificis ordinem episcopalem immutare substantialiter aut abolere, et idem ordo in se saltem spectatus divinae sit institutionis; ac licet episcopi a rom. Pontifice potestatem habeant , ut nuper ostendimus ; tamen ex divina ordinatione sit ut eam accipiant , nec vicarii Pontificis constituantur, sed veri principes in Ecclesia ; ac provinciam suam seu dioecesim non tamquam alienam , sed uti suam regant ; postremo una cum rom. Pontifice veri iudices sint ordinarii non delegati in caussis fidei et morum ; procul dubio sub hoc respectu quaedam in Ecclesia aristocratia est agnoscenda ; cum quae innuimus episcoporum decora , ex dictis , in dubium revocari non possint , et iis admissis, nequeat in

(1) Id , quamvis per se perspicuum , non viderunt ii qui , ut Natalis Alexander , et universi Gallicani, ex una parte rom. Pontificis primatum iurisdictionis , et monarchiam in Ecclesia tuentur ; ex alia eundem rom. Pontificem concilio generali subiiciunt. Verum de hoc, atque universim de controversia hactenus exposita, in tractatu de rom. Pontifice recurret opportunior disputandi locus.

ordine episcoporum nativus quidam et ex ipsa constitutione Ecclesiae profluens principatus agnosci.

Ex quibus facile perspicis posse in huno modum, magna saltem ex parte, componi discrepantes hac de re theologorum sententias; cum non tam in ipsis plerique dissideant, quae episcopis sint tribuenda, quam in aristocratiae idea, ex qua ad quaestionem solvendam de Ecclesiae regimine dilabuntur. Vides etiam in concordiam nobiscum revocari posse qui statum Ecclesiae comparant monarchiae *feudali*: quod quidem non ísio asserunt quasi episcopi non sint veri principes, aut divina universim institutione non polleant. Id vero qui concedunt, hoc ipso quoddam, sub hoc respectu, aristocratiae temperamentum abnuere nequeunt.

LECTIO XVI

De interna et essentiali, nec non de externa Ecclesiae vita nonnulla pro coronide adnotantur.

Satis hucusque Ecclesiam in se, quoad sui scilicet essentiam rimati sumus. Siquidem et partes reales eiusdem distinximus, et entitatem harum partium perpendimus, nexum ipsarum determinavimus, principium huius nexus deteximus positum in hierarchia. Itaque ob oculos habemus reale veluti individuum physicum, cui nihil desit, si in semetipso et ratione propriae, ut ita dicam, substantiae, ipsum spectes.

At vero hactenus ab eius contemplanda sive interna, sive externa vita et activitate abstinuimus. Actionis quidem seu vitae principia, dum ipsam essentiam definiremus, adstruximus: sed quae inde manat vitae internae et externae vis ac ratio, quodque resultat eiusdem exercitium, nondum in perspicuo posita dixeris. Id igitur obiectum est supremae huius de Ecclesiae essentia disquisitionis, iuxta quam quid anima Ecclesiae corpori suo conferat, ac quemadmodum et quatenus illud informet, vivificet, et moveat; quatenus item corpus re-

agat quodammodo in animam, primo loco est exquirendum. Tum vero explanandum obvenit quaenam et qualis actionum summa ex ea interna actione et reactione animae et corporis externe in toto composito debeat manifestari. Inde vides internam illam actionem et reactionem, instar eorum quae contingunt in humano individuo, posse vocari *commercium*, atque in eadem vitam internam Ecclesiae et quasi substantialem consistere: externa activitas habebitur uti externa vita, fructus commercii seu vitae internae, et huius non imago solum, sed expressio eiusmodi, ut ex ea haud aequivoce internae vitae praesentia cognosci possit.

His igitur praeiactis, quod ad corpus Ecclesiae attinet, ipsum praestat animae illa omnia quae ab externa actione dependent, vel saltem sine externa actione perfici nequeunt. Nam quod externum est, nonnisi in corpore et per corpus Ecclesiae haberi potest, cum anima sit seipsa invisibilis. Ergo quae pendent ab actibus externis sunt corpori tribuenda, per quod ipsi actus externi subsistunt. Itaque imprimis corpus praestat animae Ecclesiae visibilitatem: per corpus enim anima, et ipsa adeo Ecclesia redditur visibilis. 2. Hinc corpus tribuit quoque Ecclesiae notas, quae nonnisi in corpore conspicuae reddi possunt. 3. Praestat praedicationem, qua anima Ecclesiae dilatatur, conservatur, reparatur, augescit, iuxta varios usus eiusdem praedicationis. 4. Directe suppeditat conservationem fidei et concordiae, quae, uti vidimus, sunt adnexa hierarchiae. 5. Sacramentorum, caeterorumque mediorum administrationem, qua anima Ecclesiae vel extenditur, vel fovetur; itemque ritus quibus ea exhibentur. 6. Leges, praemia, poenas, et generatim quaecumque iudiciariae Ecclesiae potestati in foro externo sunt adnexa. Atque haec, prouti liquet, se tenent ex parte Ecclesiae docentis. Ex parte vero audientis, corpus praestat animae praeclara et externa virtutum gesta, martyria, sacramentorum susce-

ptionem, charismata, obedientiam pastoribus praestitam; et universim quaecumque in plebe fidelium in ordine pietatis sunt adspectabilia.

Relate ad animae influxum in corpus, quidquid in ipso eiusque actibus internum est et invisibile, quidquid habet rationem moventis, vel constituentis in suo esse formali sive corpus ipsum, sive eiusdem actiones; ex anima corpori provenit, et ei est adscribendum. Unde 1. corpus ex anima habet ut sit tale corpus, nempe societatis cuiusdam christianae. 2. Item ut dilatetur, aliis in dies atque aliis ad fidem conversis: neque enim quisquam praedicaret, nisi fide foret instructus; neque posset alios fidem docere, si eam doctus ipse non esset. 3. Anima informat et vivificat omnes actus corporis, sive in docente Ecclesia sive in audiente. Eosdem etiam gignit uti principium activum seu movens etc. Itaque habetur omnimoda reciprocatio inter animam et corpus Ecclesiae, et una per aliud, ac vicissim subsistit. Hinc resultat individuum in seipso vivum, in quo scilicet vigeat commercium actuale inter animam et corpus. Et quoniam vindicata actio et reactio tota continetur in ordine spirituali ac supernaturali; patet individuum illud intrinsecus vitam vivere spiritalem ac plane supernaturalem.

Atque haec quae hactenus dicta sunt, vitam Ecclesiae internam, uti patet, constituunt; sicuti in homine, quamdiu spectatur ipsum in se commercium animae et corporis, de interna hominis vita proprie disseritur. At vero in ipso homine alia vita inspicienda restat, nempe externa, quae nimirum ex interna originem habet et internam exprimit. Est vero posita in complexu motus et activitatis quae externe exeritur iuxta naturam principii vitalis interni in sua plenitudine motus, actionis, ac reactionis accepti: unde etiam nomine *activitatis* designari potest. Similiter ergo relate ad Ecclesiam, posita iam in perspicuo vita interna, superest vestiganda externa. Haec pariter ab

interna habebit originem, et internam exprimet ac sita erit in Ecclesiae externo motu, quem dicere possumus activitatem. Age ergo, ut universa haec determinemus; dicimus quod vi interni principii vitalis iam constituti, Ecclesiae competat necessario vita externa quae his tribus characteribus instruatur. 1. Ut sit vita externa seu activitas necessario *operosa* 2. *efficax* et *foecunda* 3. *thaumaturga*, sive *prodigiosa*. Probatur primum, ex parte animae Ecclesiae: nam Ecclesia essentialiter habet pro anima fidem spem et caritatem: sed haec sunt essentialiter activa, necessario corpus movent et ad agendum impellunt: ergo individuum resultans debet esse necessario operosum. Maior patet: minor sic ostenditur: fides, hoc ipso quod spe et caritate iugiter animatur, iugiter tendit ad promovendam Dei gloriam et hominum salutem. Hoc vero nequit haberi sine externa ipsius Ecclesiae actione: ergo fides in Ecclesia est necessario activa: atque a fortiori ipsa spes et caritas. Exinde patet quod in eo tantum casu posset non esse actu operosa Ecclesia, quo exueret animam: at hoc repugnat, quin desinat esse Ecclesia. Ergo. Item apparet quod crescit Ecclesiae operositas, quo magis in ea fides spes et caritas confoventur. Par autem argumentum duci posset ex parte charismatum Spiritus Sancti, virtutum etc. quae etiam in anima Ecclesiae recensuimus. Siquidem haec quoque sunt sua natura activa: nec vero possunt manere otiosa, cum in Ecclesia vigeat caritas, quae omnium imperat exercitium virtutum.

Ex parte corporis, Ecclesia dignoscitur necessario activa. Nam corpus motum ab anima, ut supra diximus, auget, dilatat, ac roborat fidem spem et caritatem; augentur etiam vi priorum actuum Spiritus Sancti charismata etc. Sed his amplificatis, necesse est ut activitas crescat: quippe ostendimus eadem esse necessaria principia actionum. Aucta itaque hunc in modum activitate fidei spei et caritatis, amplius urgetur corpus ad agendum; ac rursus amplius di-

latatur et roboratur fides; et sic deinceps. Unde vere dixeris Ecclesiae operositatem talem esse, ut nova semper capiat incrementa. Quod quidem de facto contingere cernimus: nam ab exordio Ecclesiae usque nunc ea semper magis magisque dilatavit ac dilatat fines suos; unde plus semper agit, quia pluribus prospicit. Et quo plures regiones sibi subiicit, eo plures subiicere adnititur; plures insurgunt ex eius sinu qui fidem praedicent; plures ipsa verbi ministros creat, ut operentur. Et ita perget, donec totus orbis sit conversus, *ad consummationem sanctorum*, quod ait Apostolus (Eph. IV, 12-13.) *in opus mysterii, in aedificationem corporis Christi. Donec occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Atque ex his constat non posse agnosci pro vera Christi Ecclesia illam quae non sit usquequaque operosa; et vicissim, vel si caetera deessent, hoc esse indicium certum verae Ecclesiae. Quae enim habet vere hanc operositatem, vere habet internam vitam verae Ecclesiae: ergo et vera Ecclesia sit oportet.

Secundo asseruimus, externam Ecclesiae vitam seu activitatem esse debere efficacem et foecundam. Etenim vita externa seu activitas Ecclesiae est activitas illius Ecclesiae quam Christus constituit *organum efficax* conversionis et salutis hominum, et quam sibi in eodem negotio substituit. Sed si hoc, debet esse foecunda. Igitur etc. Prob. minor. Si enim non sit eiusmodi, non convertentur per eam gentes: et sic Ecclesia non erit de facto organum salutis hominum, nec implebit vices Christi qui erat in hominibus Deo regenerandis foecundissimus. Ergo, siqua competit Ecclesiae activitas, efficax et foecunda sit oportet. Praeterea Christus ideo dedit Ecclesiae interna vitae principia et agendi potestatem, ut homines ad salutem de facto perduceret. Vidimus enim omnia fuisse ad hoc directa, ut Ecclesia impleret per hominum salutem Christi missionem. Ergo Ecclesiae activitas quae ex illis principiis ma-

nat, sit oportet efficax atque foecunda: si enim non sit eiusmodi, frustra indita fuerunt illa vitae elementa, quae ideo tantum sunt collata, ut haberetur effectus. Insuper fraudaretur finis Christi in illis vitae germinibus communicandis.

Ex his infertur, mutuo inter se nexu adstringi vitam internam verae Ecclesiae, et efficaciam ac foecunditatem; ita ut nequeat vigere secunda, quin ex priore proficiscatur. Inde vero consequens est, ut nonnisi vera Ecclesia possit esse foecunda; quippe ipsa tantum habet missionem, et media missioni consentanea. Sequitur etiam, Ecclesiam illam quae sit foecunda, hoc ipso aestimari posse veram Christi Ecclesiam; utpote ex foecunditate habere deprehenditur vitam internam, et missionem, ac finem praestitutum verae Ecclesiae: contra ecclesias seu congregationes steriles, hoc ipso omnibus illis destitui, proindeque veram Ecclesiam censeri non posse. Atque haec quidem omnia apprime cohaerent disertis ss. litterarum effatis quae huc referuntur. Omissis enim quae passim in psalmis leguntur de futura gentium omnium conversione; Isaias (cap. LIV, 1 seqq.) sic Ecclesiam alloquitur: *Lauda sterilis quae non paris: decanta laudem et hinni quae non pariebas, quoniam multi filii desertae, magis quam eius quae habet virum, dicit Dominus. Dilata locum tentorii tui, et pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, et clavos tuos consolida. Ad dexteram enim et ad laevam penetrabis; et semen tuum gentes haereditabit.* Quae verba de Ecclesia Christi exposuit Apostolus (Gal. IV, 27). Sic alibi passim celebrat idem propheta Ecclesiae triumphos (cap. LXV, 1 seqq.—XLIX, 1 seqq.) etc. Christus autem (Matth. VIII, 11) praenunciat quod *Multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac, et Iacob in regno coelorum*, quodque suum evangelium praedicandum foret in universo mundo (Matth. XXVI, 13 — Marc. XIV, 9). Demum Apostolus (Rom. XI, 25 seqq.)

loquitur de plenitudine gentium ad Christum convertenda.

Thaumaturgia, seu *prodigiositas* in externa Ecclesiae vita spectatur dupliciter. Primo quidem inquantum tota ratio agendi Ecclesiae sit sancta, supernaturalis, ac divina; adeoque ordinem transcendat naturalem, veram sanctitatem ac divinitatem redoleat; ipsaque Ecclesia, ut talis est, vel in sui externa specie inspecta, nil nisi sanctum, supernaturale ac divinum exhibeat. Altero modo competit Ecclesiae in externa eius vita prodigiositas, quatenus nunquam carere possit externis Spiritus Sancti extraordinariis charismatis, ut miracula sunt, prophetiae, et id genus alia. Primum facile ostenditur: nam Ecclesia nequit operari, nisi iuxta internum vitae principium quo animatur; sed hoc principium ex dictis est sanctum, supernaturale et divinum, utpote in fide spe et caritate consistit: ergo operatio sit oportet sancta pariter, supernaturalis et divina; adeoque nihil cerni potest in Ecclesia, ut Ecclesia est et externe agit, quod divinum non sit, quodque ad fidem spem et caritatem non referatur.

Si ad corpus Ecclesiae convertamur; alius in eo fons innotescit prodigiositatis operationum Ecclesiae. Etenim huic corpori attributas memineris facultates plane sanctas et sanctitatis foecundas. Eiusmodi profecto sunt praedicandi potestas, seu revelandi hominibus arcana Dei, subigendi intellectus in obsequium fidei, et fidem, tametsi instrumentaliter, infundendi; pascendi omnigenis mediis spiritualibus fideles; quaelibet spiritalia vincula aut iniiciendi aut solvendi; denique ipsa sanctificandi facultas, quam quoque Christus noluit sibi reservare, sed una cum reliquis Ecclesiae tradidit, positis in manu ipsius sacramentis, quibus instrumentaliter quidem, sed tamen vere et proprie pareret in animis hominum sanctitatem.

Atque haec hactenus expensa, si simul inspiciantur, novum indicium suppeditant, quo vera Ecclesia a falsis dignoscatur. Si enim in aliqua christiana societate reperire

sit rationem agendi constanter ac complexive sanctam, supernaturalem atque divinam; id indicio est evidentissimo, quod intrinsecus in eadem vigeat principium vitae sanctum supernaturale ac divinum, sive fides spes et caritas, quae nequeunt reperiri nisi in vera Ecclesia. Ex adverso, si contrarium agendi modum deprehendamus; ita ut is nihil nisi humanum sapiat, aut etiam vitiosum, nullumque praeseferat indicium supernaturalitatis ac divinitatis; hoc ipso arguetur defectus interni principii supernaturalis, qui quidem cum vera Ecclesia componi non potest.

Aliud genus prodigiositatis positum in charismatis Spiritus Sancti ita externae vitae Ecclesiae vindicatur. In Ecclesia viget necessario et essentialiter fides: sed Christus fidei adnexuit charismatum possessionem: ergo charismata in Ecclesia perpetuo reperiri debent. Et sane, quod ad minorem attinet (Ioann.XIV, 12) ait Christus: *Amen amen dico vobis qui credit in me opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado*. Porro opera de quibus hic agit Christus sunt opera prodigiosa, sen miracula: ergo. Praeterea, ex superius adnotatis, Ecclesiae operositas debet esse foecunda: sed Christus hanc foecunditatem connexnit cum possessione charismatum: haec igitur ab Ecclesia abesse non possunt. Minor patet ex Marci (XVI, 17 seqq.) ubi cum dixisset Christus: *Euntes in mundum universum* etc. subiicit: *Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient: linguis loquentur novis .... super aegros manus imponent, et bene habebunt*. Ac paulo post (v. 20) de Apostolis additur: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis*. Quibus quidem consentanee, de primitiva Ecclesia scribit Apostolus (I Cor. XII, 6):*Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio spiritus ad*

utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiae . . . . alii vero sermo scientiae . . . . alteri fides . . . . alii gratia curationum . . . . alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.

Porro tametsi post tempora Apostolorum cessaverint eiusmodi charismata quoad universalitatem et multitudinem fidelium, utpote non amplius ad mundi gentilis conversionem necessaria; absolute tamen non possunt unquam in Ecclesia deficere. (1) Etenim iis Christus charismatum copiam promisit, quibus se adfuturum spopondit usque ad consummationem saeculi. Spopondit autem se adfuturum usque ad consummationem saeculi toti societati christianae, seu Ecclesiae. Ergo eidem suorum charismatum copiam perpetuo conservabit. Immo, cum ex Apostolo (I. Cor. XIV, 22) signa data sint infidelibus, nou autem fidelibus; pronum

---

(1) In hunc sensum dixit s. Augustinus (lib. de vera religion. cap. XXV, n. 47) *Cum Ecclesia catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit; nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quaereret, et eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.* Saue (lib. 1 retract. cap. XIII. n. 7) inquit s. doctor: *Sed non sic accipiendum est quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credamus. Nam ego ipse, quando istum ipsum librum scripsi, ad mediolanensium corpora martyrum eadem in civitate coecum illuminatum fuisse iam noveram, et alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt; ut nec omnia cognoscere, nec ea quae cognoscimus enumerare possimus.* Similiter s. Gregorius M. (lib. XXVII. in Iob cap. XVIII, n. 36) *Tunc quippe*, inquit, *sancta Ecclesia miraculorum adiutoriis indiguit, cum contribulatio persecutionis pressit. Nam postquam superbiam infidelitatis edomuit, non iam virtutum signa, sed sola merita operum requirit, quamvis et illa per multos, cum opportunitas exigit, ostendat.* Unde num. 37 coucludit: *quid est ergo mirum, si, propagata fide, crebro miracula non fiunt?*

est inferre tamdiu perseveratura esse haec extraordinaria Dei dona, quamdiu infideles fuerint ad Christum per Ecclesiam convertendi. Cum vero plenitudo gentium, ut idem loquitur Apostolus (Rom. XI, 25) nonnisi sub mundi exitum ingressura sit in Ecclesiam ; patet usque ad mundi finem debere illa in Ecclesia perseverare.

SECTIO III

QUAE *PROPRIETATUM* ET *NOTARUM* ECCLESIAE VIM RATIONEMQUE IN PERSPICUO PONIT.

Expensa quaque versus Ecclesiae Christi essentia; ut ad eiusdem essentiales proprietates examini subiiciendas; tum vero ad notas seu characteres qui possint veram Christi Ecclesiam a quavis alia christiana societate distinguere, pronum est ut convertamur. Etenim ex una parte quod in subiecti cuiuspiam omnimoda exploratione essentiae vestigationem consequitur, sunt essentiales proprietates, quae ab essentia dimanant, et eandem veluti in se transfusam exhibent. Ex alia, ut suo loco evinceemus, notae sive characteres verae Ecelesiae nihil aliud sunt nisi ipsae essentiales proprietates externe innotescentes. Quo fit, ut germana proprietatum notitia in notarum cognitionem per se deducat, nec possit quispiam notas habere perspectas, nisi antecedenter proprietatum notitiam sibimet comparaverit. His igitur de causis agemus primo de *unitate, sanctitate, catholicitate, et apostolicitate* Ecclesiae, uti sunt ipsius proprietates: tum vero de eisdem sermo erit, ut notas constituunt; atque cur hae et non aliae sive proprietates sive notae adstruantur; num vere Ecclesiae competant; cuiusmodi earum vis ratioque dicenda sit; praesentis instituti, quod iam persequi aggredimur, erit enucleare.

LECTIO I

Vindicatur Ecclesiae essentialis proprietas unitatis, eiusque genesis ac germana notio constituitur.

Recensitae quatuor proprietates illae ipsae sunt quas Ecclesiae attribuit symbolum Cpnum eo articulo quo dicitur: *Credo unam, sanctam, catholicam, et apostolicam ecclesiam*. Iam vero caeteris interim dimissis, quod ad *unitatem* pertinet, revocandum est in mentem, Christum duabus veluti realibus partibus, nimirum anima et corpore, conflatam voluisse suam Ecclesiam; ex quibus intendit, ut totum quoddam coalesceret ita coagmentatum et compactum, ut non modo unum morale individuum exhiberet, sed sensu superius exposito, physicum referret. Addidit in *hierarchia* principium formale quo Ecclesia in esse dicti individui et primo constitueretur, et iugiter permaneret. Ipsam denique hierarchiam centro unitatis instruxit, et ad monarchicae unitatis formam evexit. Haec vero omnia, uti superius ostensum est, Christus esse voluit Ecclesiae suae essentialia, et quidem ita, ut interire penitus putanda sit Ecclesia, si quoquam illorum destitueretur.

Age ergo, si haec ita sunt, quis non confitebitur competere Ecclesiae, uti essentialem proprietatem, characterem unitatis? Si enim ea essentialiter esse debet unum quoddam exprimens in se unitatem individui physici, quomodo proprietate unitatis carere possit? Numquid ipsa potest esse quiddam unum, quin una eodem tempore extet; aut potest unitatem non praeseferre, et nihilominus unum quid vere et proprie censeri? Competit ergo essentialiter Ecclesiae unitatis proprietas: sed insuper asserimus eandem ipsi competere uti primam proprietatem. Quod quidem eo sensu adstruimus, quatenus et prima ordine inter Ecclesiae proprietates unitas occurrat, ac caeterarum fons et scatebra extet.

Altera pars huius assertionis facto ipso elusceret cum non multo post ex Ecclesiae unitate reliquas eiusdem proprietates eruemus. Prior vero sic ostenditur. Nulla alia proprietas potest cogitari in Ecclesia, nisi prius cogitetur una; ergo unitas prima ordine proprietas haberi debet. Probatur antecedens: nam vinculum unitatis intercedens inter partes quibus corpus coalescit, et inter animam et corpus Ecclesiae, pertinet ad ipsam primam illius constitutionem, quo dempto nullatenus Ecclesiae essentia constituta cogitari potest. Sicuti in homine si animam seorsim a corpore concipias, humanae essentiae notio disperit. Quemadmodum igitur per vinculum unitatis primo existit composita essentia; ac per ipsum primo et per se inducitur talis essentiae conceptus; ita unitas quae ex vinculo immediate fluit, primam essentiae proprietatem constituit. Atque ut ad inductionem redeamus; et in essentia hominis, et in quavis alia essentia composita, unitas eiusdem in ratione proprietatis primam semper se manifestat. Non enim potes cogitare essentiam, quin unam cogites, et hoc ipso quod talis essentiae entitatem velis concipere; iam unitatis notionem involvis, qua semota unitate, ipsa etiam rei entitas dilabitur.

Hisce de genesi et existentia unitatis in Ecclesia expeditis, restat ut qualis eiusdem conceptus animo informandus sit, aperiamus. Verum id ex dictis facile perspicitur. Undenam enim deprehendimus efflorescere in Ecclesia proprietatem unitatis? Profecto ex vinculo quo partes Ecclesiae inter se Christus contineri voluit, iisque omnibus quae de hoc vinculo Christus ipse explicuit atque constituit. Quamobrem unitas non est nisi effectus immediatus ac necessarius, seu potius necessaria derivatio, et quasi *resultantia* vinculi ipsius. Si ergo id ita habet, quale est in se vinculum a Christo institutum, talis quoque Ecclesiae unitas in propria entitate et ratione reperiri debet. Age vero imprimis vidimus vinculum essentiale quo Chri-

stus suam Ecclesiam instructam voluit, esse vinculum fidei, quod ex disputatis (sect. II. lect. VIII) est manifestum. Igitur unitas Ecclesiae imprimis sit oportet *unitas fidei*, quae nimirum arctissimam in fide concordiam, seu omnium christifidelium in unam fidem profitendam conspirationem exhibeat. Quod etiam peculiares aliae rationes suadent: nam si una tantum esse potest anima Ecclesiae, et in hac praecipuum locum obtinet fides; tam debet esse una omnium fides, quam necesse est ut omnes de una eademque Ecclesiae anima participent, eaque informentur. Praeterea idcirco Christus pro Ecclesiae unitate Patrem morti proximus exorans, non pro solis Apostolis se orare dixit, sed pro illis etiam omnibus, qui in se credituri, Ecclesiam hac fidei unitate effecturi erant unam: *Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut ipsi in nobis unum sint.* Huc respiciens Paulus exigit (Eph. IV, 13) *ut occurramus omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii Dei.... ut non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae.* Atque idem docet (ibid. Eph. IV, 3) unum dari Ecclesiae corpus, sed et unum spiritum seu animam; atque ita esse fidem unam in Ecclesia, ut unus est Deus, unus est Christus, unum baptisma, una spes vocationis nostrae; etc.

Neque alia fuit unquam Ecclesiae Patrum sententia; utpote hi unanimes semper essentialem Ecclesiae duxerunt unitatem fidei. Tertullianus (lib. de praescript.) in eo passim est, ut veros christifideles agnoscat ex unitate fidei quam servent cum ecclesiis apostolicis; quae rursus cum romana Petri sede eandem unitatem custodiant: atque insuper omnes toto orbe diffusas ecclesias unam appellavit, propterea quod omnes tenentes eandem fidem, *unam omnes probant unitatem.* Pari ratione Theodoretus (in ps. XLVII) *Communiter*, inquit, *omnes ecclesiae ad unam*

rediguntur ob consonantiam veterum dògmatum. Et vetus auctor commentarii in ps. XXIII Hieronymi operibus olim inserti (n. 11) *Ecclesia*, ait, *ex pluribus personis congregatur; et tamen una dicitur propter unitatem fidei.* Cui mirifice consonans Euthymius (in ps. LXXXVIII) *Si loca respicias*, inquit, *ecclesiae plures sunt*; *si religionem et fidei communicationem*, *omnes quae ubique sunt ecclesiae*, *unam constituunt fidelium Ecclesiam.* Omittimus reliquos; nam ex omnibus pene aliquid exscribendum esset, si vellemus singulorum colligere et recitare sententias.

Secundo ex alias disputatis innotuit vinculum essentiale quo Christus Ecclesiam suam instructam voluit, esse vinculum mutuae communionis seu caritatis. Etenim vidimus Christum ita inter se coniunctos fideles suos voluisse, ut Ecclesia humani corporis unitatem quam proxime aemularetur; ut vigeret in ea omnimoda partium connexio ac coagmentatio; ut sui asseclae essent consummati in unum, ac mutua adhaesione ipsam trium divinarum personarum in natura identitatem, quantum fieri posset, exprimerent. Si haec ita sunt; distingui profecto debet in unitate Ecclesiae etiam unitas caritatis seu communionis. Haec ad ipsam fidei unitatem tuendam, quae est unitas Ecclesiae potior, dici debet necessaria. *Neque enim*, inquit s. Augustinus (lib. II cap. VII contr. Crescon.) *scissio vel schisma fieri potest*, *nisi diversum aliquid sequantur qui faciunt.* Et s. Hieronymus (in Epist. ad Tit. cap. (III) *Nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresim*, *ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* Hinc talem unitatem qua christiani coniungantur inter se, exigit speciatim Apostolus (Eph. IV, 3.) *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis*: sicque omnes (Philip. II, 2) *idem sapiant*, *eandem caritatem habentes*, *unanimes idipsum sentientes.* Et (I Cor. I, 10) *Obsecro autem vos*, *fratres*, *per nomen Domini Iesu*

Christi, *ut idipsum dicatis omnes*, *et non sint in vobis schismata*; *sitis autem perfecti in eodem sensu*, *et in eadem sententia*. Porro eadem unitas caritatis non illam caritatem respicit, qua diligere nos debemus mutuo uti homines (hoc enim amore tenemur coniungi vel cum infidelibus, nec siquis huiusmodi amore careat, dum caetera adsint, ab Ecclesiae unitate idcirco descivit); sed specialem quamdam caritatem innuit christianorum propriam, qua legitimis pastoribus adhaerentes, ita inter sese fidei consensione iunguntur, ut *idipsum invicem sententes*, omnes eandem fidei unitatem pacis vinculo custodiant. Hinc unitate caritatis contineri unitatem fidei Africani episcopi in Sardinia exules prodiderunt. *Membra*, inquiunt, *ecclesiastici corporis... in unitate fidei compages retinet caritatis*. (1) Et similiter cum post Acacianum schisma caritatis et communionis unitas restituta fuit, de unitate quoque fidei simul reddita et Occidentales et Orientales laetatos legimus, propterea quod illa ad hanc ita sit necessaria, ut haec sine illa stare non possit. Hinc etiam Felix III, aut potius Gelasius (2) dixit: *Communio* (quo nomine veteri formula visibilis unitas caritatis significatur) *ad fidem pertinet*; et Tertullianus (lib. de praescript. cap. XXI) *Communicamus ecclesiis apostolicis, quod nulli doctrina diversa*. Eadem fuit circa unionem caritatis reliquorum Patrum mens et sententia. Quos inter s. Cyprianus (lib. de unit. Eccl.) *Episcopatus*, inquit, *unus est*, *cuius a singulis in solidum pars tenetur*: *Ecclesia quoque una est*, *et quae in multitudinem latius incremento foecunditatis extenditur*; *quomodo solis multi radii*, *sed lumen unum*: *et rami arboris*

(1) In ep. synod. quae creditur s. Fulgentii, data ann. 521 apud Harduin. *Acta Conc.* tom. 2.

(2) Cf. Ballerinium op. cit. cap. X.

multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore; divisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit: a fonte praecide rivum, praecisus arescit.... Qui relinquit Ecclesiam Christi, alienus est, profanus est, hostis est. Habere iam non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem. Et sub finem operis citati, *Deus*, inquit, *unus est, et Christus unus, et Ecclesia eius et fides una, et plebs in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata.* Idem ex professo probat s. Augustinus in suis libris contra Donatistas et passim alibi, ut de aliis Patribus taceam, quorum nimis obvia est et explorata sententia. (1)

Tertio loco ex demonstratis alias, Ecclesiae unitas complecti maxime debet adhaesionem singulorum fidelium legitimis Ecclesiae pastoribus, imprimisque summo Pontifici. Etenim, ut suo loco ostendimus, Christus non veluti materialiter et precario induxit inter partes Ecclesiae nexum et coniunctionem; sed hanc ipsam coniunctionem principio formali instruxit suae existentiae et conservationis, nempe hierarchia, cui uti propriae caussae vinculum fidei et commnnionis deberet subiici. Itidem ergo resultans unitatis proprietas debet esse praedita eodem formali principio quo existat et perseveret; nimirum involvere debet hierarchiam, ut eam Christus instituit, seu hierarchiae conceptum necessario advocare. Porro ex dictis Ecclesiae hierarchia maxime episcopis constat et successore s. Petri rom. Pontifice, qui sit centrum unitatis:

(1) Alia plura patrum in hanc rem testimonia vid. ap. Nicole in op. *Unité de l' église* lib. I. chap. VII, nec non ap. Thomassinium in op. Traité de l'unité de l' eglise tom. II. par. 1. et 2.

ergo ab iisdem Ecclesiae unitas non potest praescindere.

Atque haec quoque veritas agnita unanimiter fuit et a Patribus constanter proclamata. Sic imprimis Irenaeus agnoscens in Ecclesia romana successorem s. Petri et centrum unitatis, cum dixisset (adv. haer. lib. III cap. III) *Maximae et antiquissimae et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successionem episcoporum venientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per coecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet colligunt*; rationem reddens talis suae assertionis, subiungit: *Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles.* Vult igitur Irenaeus ut fideles omnes cum episcopis Apostolorum successoribus in fide concordent; ait vero id esse assecuturos si consentiant cum fide ecclesiae romanae cum qua, propter centrum unitatis in ipsa constitutum, necesse est omnes illis subiectas ecclesias concordare. (1)

---

(1) In textu Irenaei (ut optime advertit Ducangius) nomen *principalitatis* pro principatu vel primatu sumi, liquet ex Tertulliano (lib. de anima cap. XIII) *Ad hoc dispicere superest principalitas ubi est, idest qui cui praeest.* Hinc Remigius Autisidiorensis (in Cantica) *Caput ergo Ecclesiae principalitas mentis intelligitur*. Et in libello precum Marcellini et Faustini ad Valentinianum atque Theodosium, legimus: *Vestrae principalitatis imperium*. Porro *principalitas* seu primatus romanae ecclesiae vel sedis, quam et s. Cyprianus *principalem* similiter vocat, potentior ab Irenaeo dicitur, ut primatus non meri ordinis et honoris, sed praecipue iurisdictionis significetur, ac vis denotetur quae competit centro unitatis ad fidei et communionis concordiam conservandam. Talem esse mentem s. I-

Similem in modum Tertullianus (lib. de praescr. c. XXI) *Constat proinde* , inquit , *omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis matricibus et originalibus fide conspiret* , *veritati deputandam* , *id sine dubio tenentem* , *quod ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo suscepit*; *reliquam vero omnem doctrinam de mendacio praeiudicandam.* Et infra (cap. XXXVI) laudata romanae ecclesiae doctrina fidei, subiicit: *Videamus quid dixerit* , *quid docuerit* , *quid cum Africanis ecclesiis contesserarit.* S. Cyprianus (epist. LXIX) Ecclesiam unam definiens , eiusque unitatem describens ait : *Plebs sacerdoti coadunata* , *et pastori suo grex adhaerens.* Sicuti vero in particularibus ecclesiis , quilibet *sacerdos* et *pastor* , idest episcopus , unitatis suae cuiusque particularis ecclesiae origo est , eandemque unitatem eatenus format atque conservat, quatenus ipsi qui radix est et centrum unitatis , tota ipsius ecclesiae *plebs* coadunari , et totus *grex* adhaerere in unum debet , ut ex plebis ac gregis unione cum suo sacerdote atque pastore Ecclesia una fiat ; ita in universali Ecclesia unus summus sacerdos ac pastor s. Petrus et qui Petro succedit catholicae unitatis origo est , unitatem totius Ecclesiae catholicae format et continet , quatenus ipsi ut centro et radici eiusdem unitatis , coadunari atque adhaerere debent omnes et fideles et episcopi , ut ex pluribus particularibus plebibus gregibusque ei supremo sacerdoti ac pastori adhaerentibus , unus grex et ecclesia una universalis coalescat. Ita quidem optime efficitur, ut ecclesia catholica , pluribus licet in locis dispersa , *sit utique connexa* , *et cohaerentium sibi invicem sacerdotum glutino copulata* ; uti a s. Cypriano in eadem epistola traditur.

---

renaei loco allegato , ipsos hostes romanae sedis , et ipsum Salmasium fuisse confessos , ostendit Ballerinius — *De vi ac ratione primatus cap. XIII* , §. 1.

Hinc illa eiusdem s. Doctoris (epist. IV) *Petri cathedra atque ecclesia principalis , unde unitas sacerdotalis exorta est.* Et quod ait (epist. LXIX) adeo necessariam esse singulorum fidelium unitatem cum proprio episcopo , ut *siquis cum episcopo non sit , in Ecclesia non sit.* Quod maxime intelligendum de rom. Episcopo : siquidem unitatem cum romana sede veluti unitatem catholicae Ecclesiae exhibet (epist. XLV ad Cornel. Papam) ubi de eadem unitate sollicitus , se curasse ait; ut *Te collegae nostri et communionem tuam, idest catholicae Ecclesiae unitatem pariter et caritatem probarent firmiter ac tenerent.* Ac rursum (epist. LII ad Antonian.) communionem cum eodem Cornelio ita explicat : *Hoc est cum catholica Ecclesia communicare.*

Omitto caeteros ne sim nimius; unum nequeo praeterire Hieronymum, qui cum orta esset contentio inter Orientales et Occidentales de nomine *hypostasis*; scribit (epist. ad Damas.) *Hic in tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat. Ego interim clamito: siquis cathedrae Petri iungitur, meus est.* Et (epist. super.) *Ego Beatitudini tuae, idest, cathedrae Petri communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit , profanus est ; siquis in Arca Noe non fuerit , peribit regnante diluvio. Non novi Vitalem ; Meletium respuo; ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit , idest , qui Christi non est, Antichristi est.* Denique s. Augustinus (Ps. contr. part. Donat.) *Venite* , inquit , *fratres , si vultis ut inseramini in vite. Dolor est , cum vos videamus praecisos ita iacere. Numerate sacerdotes , vel ab ipsa Petri sede in ordine illo Patrum quis cui successerit, videte: ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.*

Haec cum ita sint , alte animo insculpendum est hanc et non aliam esse germanam notionem unitatis Ecclesiae ,

nec posse talem censeri omnem quamcumque unitatem in qua tria proposita elementa non concurrant. Si enim unitatem fidei vel communionis tollas, ipsa de medio tollitur unitas materialis: si vero tertium desit, formalis unitas non erit, sed tantum materialis. Eadem porro tam sunt non modo Ecclesiae sed singulorum eius membrorum propria ac necessaria, ut qui uno ex ipsis careat, is esse desinat in vera Ecclesia. Quapropter eadem sunt quae homines ab Ecclesia potissimum excludunt, haeresis qua tollitur unitas fidei, et schisma quo caritatis et debitae subiectionis unitas adimitur. (1)

Atque ex his postremo infertur Ecclesiae unitatem sic habere, ut omnes haereticorum aut schismaticorum sectas excludat, nec ullo modo possit cum eisdem conciliari: itidemque ut nulla extra ipsam unitatem possit a quopiam sperari salus. Etenim non potest componi cum sectis haereticorum aut schismaticorum illa unitas quae summam exigit fidei et communionis concordiam. Cum vero ex dictis esse extra talem concordiam sit extra ipsam Ecclesiam vagari, tam nulla salus reperiri potest extra ipsam unitatem, quam nulla absolute datur spes salutis extra Ecclesiam. Sed haec in praesens innuisse sufficiat: eadem enim ex sequenti lectione manifestius innotescent.

---

(1) Id fassus est ex recentioribus Anglicanus Guillelmus Palmer in op. *Tractatus de Ecclesia Christi* edit. sec. Lond. 1839 *part.* 1 *cap. IV sect. II.* ubi in conclus. n. 2 scribit: *Quoniam Deus praecepit unitatem in Ecclesia sua, et quoniam Christus adeo eam optavit, et oravit pro ipsa, necessario sequitur quod ipse debuerit media suppeditare ad hanc unitatem servandam: ideoque quod omnis societas quae media non possidet ad servandam unitatem communionis, et cuius principia fundamentalia eam adstringunt ad tolerandam, aut etiam fovendam divisionem absque termino, non possit esse Ecclesia Dei.*

LECTIO II

Notio unitatis Ecclesiae quam ex adverso heterodoxi instruunt, proponitur et refutatur.

Cum exposita germana notione unitatis praestat illam conferre, quam heterodoxis comminisci placuit: tum ut solidius catholicam veritatem de hac re gravissima confirmemus, tum ut facilius principia constituta ad eorum perversam opinionem refellendam accommodemus. Heterodoxi igitur, ut alias monuimus, Ecclesiae unitatem proni confitentur, tum quod disertissima pro ea habeantur ss. litterarum testimonia, tum quod articulum ex symbolo fidei eradere non sint ausi. Verum cum inficiari unitatem non possent, eius conceptum, ut propriae sectae rationes ferebant, turpissime vitiarunt. Itaque unanimi consensu amplexati sunt excogitatam distinctionem inter articulos *fundamentales* seu *essentiales* aut *necessarios*, et *non fundamentales*, sive *adiaphoros*; atque hoc veluti modulo suum omne de Ecclesiae unitate iudicium temperarunt. Itaque quid ipsi nomine articulorum fundamentalium intelligant, quid ex iis inferant quoad unitatem Ecclesiae; et quemadmodum haec principia iuxta diversas sectas modificata reperiantur, congruum est ut explicemus.

Nomine igitur articulorum fundamentalium praeter propter intelligunt adversarii illas veritates quas qui inficietur, nullam possit animo concipere et habere spem salutis; sive tandem ea veritas ab Ecclesia definita fuerit, sive non; uti Trinitas personarum in Deo, Verbi divini incarnatio etc. Reliquas veritates quantumvis ab Ecclesia definitas articulis non necessariis seu adiaphoris accensent. Iuxta hoc criterium iudicant de vita spirituali aut morte cuiuspiam ecclesiae, ut vera ea censeatur quae articulos fundamentales servet; quae vero in aliquo horum erret, putetur falsa. Item res se habet quoad individua; atque

iuxta eandem normam docent satis esse ad unitatem communionis si fideles adhaereant pastoribus alicuius societatis quae in articulis fundamentalibus non erret, atque in aliqua earundem sacramenta participent. Quocirca fatentur iidem extra universalem Ecclesiam spem salutis non adesse; at vero eandem conflari sentiunt ex diversis christianorum sectis, quae in articulis fundamentalibus perseverent; licet nullam inter se communionem habeant, immo mutuis sententiis sese dilacerent atque excommunicent. (1)

Hanc sententiam Protestantibus percommodam, atque iisdem propterea communem, viribus omnibus tueri adnisus est minister Iurius in suo tractatu de unitate Ecclesiae excuso Rotherodami anno 1688; itemque apostata M. Antonius de Dominis olim archiepiscopus Spalatensis (de republ. ecclesiast. lib. VII, cap. X); atque haec sentiendi ratio Protestantibus adhaesit ad ipsa fere nostra tempora. At aetate qua vivimus Rationalistae, ut caetera Protestantium principia, ita et hoc plane evolverunt, atque ad ultimam in eo latitantem conclusionem deduxerunt. Nomine igitur omnium Wegscheiderus propugnat in censu Ecclesiae Christi illos omnes esse recensendos quotquot unum Iesum Christum religionis auctorem colant, quaecumque demum sit peculiaris doctrinae forma quam singulae sectae profitentur, de qua, uti de extrinseco cultus cortice, nefas sit esse sollicitos. (2)

---

(1) Cf. Fratres Walemburgicos *Tract. III de articulis necessariis* capp. 1 seqq.

(2) *Neque tamen* (scribit. op. al. cit. § 186) *impedit ista ecclesiarum pluralitas atque diversitas, quo minus inter se conveniant, ut omnes unum eundemque colant religionis auctorem Iesum Christum... Quapropter summopere optandum est, ut non tam de adunandis vel confundendis ecclesiis, quae doctrinae formulas defendunt plane sibi oppositas,* quam de morali quadam consensione *inter singulos harum ecclesiarum sodales efficienda et confirmanda sedulo iam cogitetur, ut quicumque Christo nomen dederint, quantumvis caeteroquin diversi, concordiae tamen mutuae studiosissimi sint et maneant.*

Hisce necessariis Protestantium principiorum consectariis ut quoquo modo obsisterent non ita pridem doctores Academiae Oxoniensis in Anglia, itemque ut labentem Protestantismum qua possent ope sustentarent, novum systema medium inter veterum Protestantium opinationem, et Rationalistarum impudens commentum invexerunt. Quin distinctioni inter articulos fundamentales et non fundamentales valedicerent, admiserunt ipsi praeter Scripturas, etiam traditionem, non quidem sensu catholico acceptam, sed quatenus dogmaticae ss. litterarum interpretationi opitulatur. Quamobrem privatam ex individuali examine interpretationem reiiciunt, ac sanctorum Patrum auctoritatem venerantur. Catholicos se esse, seu ad catholicam Ecclesiam pertinere statuunt; quippe illam conflari arbitrantur ex iis omnibus sectis, quae servent hierarchiam et principium auctoritatis in rebus fidei profiteantur. Ecclesiam romanam partem esse confitentur Ecclesiae catholicae; non tamen in sensu exclusivo; prout Romanenses, uti vocant, contendunt. Notas quatuor verae Ecclesiae, et easdem quas catholici agnoscunt, ipsi quoque recensent; verum autumant consistere posse unitatem fidei, tametsi non omnes in eadem doctrina profitenda conveniant: itemque unitatem communionis, quamvis absit externa communicatio inter partes omnes christianae societatis; quippe ea penitus, longoque temporis intervallo, salva intrinseca unitate, possit interrumpi. Admittunt auctoritatem conciliorum oecumenicorum, ea tamen conditione, ut ab universa Ecclesia catholica, ea nimirum quam ipsi ex variis conflatam sectis comminiscuntur, probata fuerint: quo fit ut nonnisi sex priores synodos generales suscipiant. Ecclesiam absolute infallibilem esse non concedunt, tametsi plurimum eius auctoritati deferant. Huius generis alia complura congerunt, quae eo tendunt, ut quod impossibile est, errorem cum veritate,

formale schisma quo laborant, cum Ecclesiae unitate concilient (1).

Eiusmodi absurditatum monstra iam satis superiori lectione explosa videri possnnt. Sed tamen pro rei gravitate operae pretium est nonnulla addere. Ac primo quidem non leve praeiudicium est caussae adversariorum quod liquido appareat obiectam unitatis notionem non ex penu veritatis bona fide, atque ex evangelica historia fuisse ab ipsis deprompram, sed ex propriae sectae necessitatibus, quibus non aliter poterant consulere, quam per adulteratum conceptum nnitatis. Unde est quod diversi diversimode pro suae sectae exigentia unitatem intendunt aut remittunt.

Secundo ex sententia Protestantium ad nauseam usque recantata, nihil in negotio religionis et fidei adstrui debet, quod expresse ac perspicue non inveniatur in ss. litteris, vel etiam in Patrum scriptis, si sermo sit de Anglicanis. Quod quidem si valet quoad dogmata particularia, a fortiori valere debet in re praesenti, in qua agitur de rei summa, de basi omnium veritatum, de notione constituenda, et ipso censu verae Ecclesiae. Ostendant ergo adversarii in quo Scripturarum loco, vel in quibus Patrum sententiis illa unitatis attemperatio reperiatur: saltem rei huiuscemodi vel leve vestigium monstrent. Ergo aut suo principio valedicant, aut falsam illam unitatis Ecclesiae notionem abiiciant.

Tertio ex adverso vidimus in Scripturis et Patrum voluminibus eam ecclesiae unitatem suaderi, quae sub nno eiusdem unitatis centro in fide et communione tanta sit quanta maxima cogitari potest in morali individuo, cuiusmodi est Ecclesia. At vero haec idea excludit ideam talis uni-

(1) Antesignani huius scholae extitere E. B. Pusey, Guillelmus Palmer, Keble; atque ad eandem pertinuit Henricus Newman, qui tamen postea ad catholica castra felicissime transfugit, atque ab eo tempore strenue in Anglia pro fide orthodoxa decertat.

talis quae diversitatem membrorum et discordiam sive in fide, sive in communione, aut in utraque simul involvat; illam inquam unitatem genericam atque umbratilem, qua christiani quidem nomine sociorum coadunentur, re autem ipsa inter se decertent; illam denique unitatem quam regno intestinis discordiis disciso, et tamen unius regni nomine adhuc contento, aeque dixeris convenire. Ergo.

Quarto argumentari licet ex facto ipso. Nam si vere Christus minus rigidam unitatem in sua Ecclesia postulasset; Apostoli non debuissent ab Ecclesiae sinu pronuntiare avulsos Simonianos, Nicolaitas, Gnosticos, Ebionaeos, Cerinthianos qui eorum aevo grassari coeperunt. Atqui ex ipsorum epistolis liquet eosdem habuisse tales homines uti haereticas pestes, qui vitandi omnino essent, quibus nec *ave* foret dicendum, quippe proprio iudicio essent condemnati (Tit. III,10—II Ioan. 10 — I Tim. I, 19) Ergo etc.

Atque inde similiter ab Ecclesiae incunabulis senserunt ac locuti sunt Patres. Irenaeus (Adv. haer. lib. III cap. IV) Ecclesiam omnibus haereticorum sectis indifferenter opponit; *Apud haereticos*, inquit, *qui fures sunt et latrones*, *quaerenda non est veritas*; *quae in Ecclesia facile invenitur*. At si Ecclesia sectas omnes complecteretur, inepta foret haec antithesis. Tertullianus (lib. de praescript. cap. IV) haereses comparat Antichristo: *Sunt haereses*, inquit, *non minus doctrinarum perversitate Ecclesiam persequentes, quam tum Antichristus persecutionum atrocitate persequetur*. Hieronymus (dial. cont. Luciferian.)haereticos omnes vocat *Antichristi synagogam*. Quid plura ? Ipse Iurius confitetur veteres omnes talem unitatis Ecclesiae ideam semper fuisse professos; sed eam erroneam esse proterve affirmat. Sane praeter hactenus expensa, ex veteribus monumentis exploratum est usque ab initio Ecclesiam sive dispersam sive in conciliis congregatam id semper in more habuisse, ut statim adversus exortas haereses insurgeret, et contumaces

a suo sinu excluderet, nec nisi abiuratis erroribus in gratiam reciperet. Porro omnes episcopi tum Orientis tum Occidentis insignis iniustitiae et calumniae rei fuissent, dum ita apud se esse catholicam Ecclesiam professi sunt, ut ab eius sinu omnes haereticos expellerent. Nemo vero huic usurpationi per tot saecula contradixit; nec quisquam negavit fugienda esse haereticorum consortia, quod ss. Patres tam saepe inculcant.

Sed iuvat postremo loco fundamentum suffodere quo hypothesis nititur quam impugnamus; nimirum distinctionem ab adversariis confictam inter articulos *fundamentales* et *adiaphoros*; quam quidem distinctionem arbitrariam, absurdam, scopo auctorum insufficientem, et millium incommodorum foecundam esse affirmamus, quod sequenti lectione demonstrabimus.

LECTIO III

Distinctio articulorum fidei fundamentalium *et* non fundamentalium *argumentis reiicitur.*

Primum quidem, si iuxta solenne Protestantium placitum nihil fas est in negotio religionis adstruere, quod clare et expresse sacrae litterae non proponant; quaerimus ubinam in scripturis adversarii habeant obiectam distinctionem inter articulos necessarios et indifferentes? Vel unum locum proponant, siquem possunt reperire; saltem significatam alicubi hanc suam doctrinam ostendant. Ad veterum scripta confugiant; caussae suae qualicumque legitima autoritate opitulentur. Si autem, uti revera est, nihil inveniant; fateantur nullo alio se duci argumento, quam quod ea distinctione dempta, infelix protestantismi aedificium totum debeat corruere.

Secundo a protestantibus sciscitamur quo tandem modo possint legitime determinari articuli necessarii atque a re-

liquis secerni ? Revera nec ipsi hactenus Protestantes potuerunt convenire in assignanda notione utriusque classis articulorum. Sed tamen praesto est, inquiunt, ratio, si nimirum putemus ea tantum ad salutem scitu et creditu esse necessaria, quae vel in claris apertisque ss. Scripturarum verbis contineantur, vel per apertam et sole clariorem consequentiam ex iis sequi, cuivis mentis suae compoti constare possit. At quaero imprimis, quoniam Scriptura norma unica esse debet articulorum qui sint vel non sint necessarii, undenam de ipsa Θεοπνευστία seu divina inspiratione tibi constet librorum s. Scripturae et singularum eius partium ? Unde de legitima eorundem ex originali textu accuratissima inter omnes versione, quando originalis textus desideratur, vel a quopiam intelligi non potest ? Deinde rursus postulo quo ss. litterarum loco haec regula traditur, ut quae aperta sint, aut iisdem cognata, scitu et credita ad salutem necessaria credantur ; reliqua quasi reiectanea ac temere proposita contemnantur ? Si omnia verbum Dei constituunt, si universa et singula divinum volumen conflant, quomodo non sine gravissima ss. litterarum iniuria, illa in ipsis obtruditur discriminatio ?

Tertio : eo admisso criterio res minimae in sacro codice, uti canis Tobiae caudae flexus, et alia huiusmodi, quae clare ss. litterae indicant, essent articuli fundamentales ; caetera vero maximopere ad pietatem pertinentia, ut realis Christi praesentia in Eucharistia, etc: inter adiaphora essent amandanda. Item tituli sacrorum voluminum constituerent articulos necessarios, non vero pleraque ex illis quae in iisdem continentur.

Quarto si regula tradita esset idonea, non apparet cur nunquam ipsimet Protestantes potuerint convenire in recensione articulorum fundamentalium. Atqui revera ita res habet : ergo. Probatur 1 ex confessione ipsorum Protestantium apud Walenburchios (tom. 1 tract. 1 de exam princ.

fidei, et altero de articul. necessar.) 2. Ex facto ipso: nam si consulantur confessiones Protestantium, si item, privatorum doctorum sententiae, nihil incertum magis ac variabile reperiri potest.

Quinto norma proposita est suapte natura eversiva cuiusque fidei articuli vel maxime necessarii. Etenim quid sancit illa regula? Revocandum in mentem est quod iuxta expressissimam asseverationem Protestantium, tota Ecclesia, ipsumque adeo generale concilium, falli possit vel in ipsa susceptione aut reiectione articulorum fundamentalium (1). Hoc igitur posito, quid importat illa regula? Profecto ut quis de cuiusque auctoritatis fallibilitate persuasus, sibi soli iudicium committat eorum quae habenda sint in censu fundamentalium, aut indifferentium; idque sibi vindicet non ex errore aut quadam usurpatione, sed plane suo iure, vi nimirum regulae ipsi ad fundamentalia secernenda propositae. Age ergo, atque hac admissa suppositione, fac ut singuli accedant ad eruendos ex Scripturis articulos fundamentales. Sumit prae manibus ss. litteras Lutherus, et decernit articulum de reali Christi praesentia in Eucharistia clare in illis perhiberi, unde et fundamentalem pronunciat. At vero Calvinus nonnulla considerat quibus perspicue sibi edici videtur, non inveniri in Eucharistia nisi figuram corporis Christi: unde praesentiam realem ex articulis necessariis expungit. Verum tum Lutherus tum Calvinus consentiunt ex dicta ratione in admittenda validitate baptismi parvulorum. Ast examen Scripturarum tertius suscipit Anabaptista: et quod in illis nihil expressum reperit circa paedobaptismum; contra putat deprehendere evidenter in Scripturis fidei actualis necessitatem quoad omnes ad iustificationem, sane infert articulum de paedobaptismo ex albo necessariorum esse delendum. Nihilo-

(1) Vide citt. Watemburch. tract. III. *de articul. necessar. cap. III.*

minus Anabaptista convenit cum Lutheranis et Reformatis in quibusdam articulis. Sed insurgit quartus ordine Socinianus, ac instituto Scripturae examine, perspicue sibi videtur intueri nullum esse dogma peccati originalis, Trinitatis, Incarnationis: et reapse Socinus de his ita subtiliter captioseque disputat, ut in legitimo ss. litterarum sensu pervertendo nullum sibi parem habeat. Itaque eadem qua Calvinianus aut Anabaptista securitate affirmat, non esse fundamentales articulos illos qui sunt recensiti. Denique animum Scripturis admovet Rationalista, ac vestigiis Socinianorum insistens, nullibi non mythum perspicue sibi exhiberi pronuntiat: unde omnes prorsus articulos, excepta qualicumque Christi confessione, inutiles esse decernit.

Quaerimus in isto rerum processu, qui caeteroquin imaginarius non est sed realis, utpote ipsa experientia ac eventu comprobatur; quae via, quae ratio, quod medium possit praesto esse ad impediendam successivam totius fidei eversionem? Quid dicat Lutheranus Calviniano amputanti ex communi confessione praesentiam Christi realem; quid uterque Sociniano; quid omnes Rationalistae? Numquid dicent ipsos non invocasse debite, cum Scripturas legendas aggrederentur, Spiritum Sanctum? Iurant illi per quidquid est sanctius, se perquam diligentissime, et ut oportebat fecisse. Reponent non esse clara loca Scripturarum quibus adversarius nititur? At vero mihi, respondet ille, sunt admodum perspicua, et contraria sunt obscura. Addent praeiudicato esse animo qui sic existimet, nec satis suae mentis compotem? Sed enim adversarius inquiet: cur non potius vos existimem praeiudiciis obrui? Addet: nec mihi nec vobis ius est de cuiusquam animi dispositione iudicare: ex norma fidei illud est dumtaxat in necessariis habendum, quod unicuique in ss. litteris perspicue dici videatur; mihi id apparet maxime perspicuum: huic ergo fidei confessioni adhaereo.

Haec ita prorsus habere uti diximus, patet experimento,

seu facto ipso ; ac oportet omnino ieiunum esse historiae illum qui veritati eorum quae disseruimus audeat refragari. Interim ex eodem principio alia innumera quae ex articulorum distinctione et regula illa progenerantur, incommoda gravissima recenseri possunt. Et primo, si ut nuper ostensum est, quisque potest pro arbitrio, et quidem legitime plures minoresve, aut etiam omnes fundamentales articulos, vi illius canonis reiicere ; sequitur imprimis quod omni labe contumaciae absolvi debeant quicumque haeretici aut schismatici ; immo vero funditus tollatur possibilitas, ut aliquis tamquam haereticus aut schismaticus traduci possit. Quaero enim in quo sit quispiam haereticus aut schismaticus? Certe iuxta Protestantes, in eo quod teneat aliquem errorem fundamentalem, aut ab eorum se communione separet qui articulos fundamentales confitentur. Sed ex dictis quisque potest iure suo articulos fundamentales admittere vel reiicere, putare veros aut falsos, atque hac in re suum iudicium ipsi auctoritati conciliorum generalium anteferre. Posito autem quod falsos existimet, iam non potest manere, ex ipso principio Protestantium, in communione illorum qui ut veros tenent, adeoque errant in essentialibus. Nullus ergo dari potest haereticus, aut schismaticus, ac nemo potest legitime haereseos aut schismatis nota aliquando inuri. Nullus etiam locus relinquitur schismatis componendis et extirpandis haeresibus. Ad hoc enim deberent saltem constitui articuli fundamentales; quod esse vidimus impossibile. Semper igitur qui dissentit affirmabit, ex regula communi Protestantium, fidei capita esse iudicanda iuxta cuiusque privatam evidentiam : sibi esse evidens non se in illis articulis retinendis aut reiiciendis falli: itaque non esse cur sibi alii negotium facessant. Denique illo principio everti liquet omnem Ecclesiae auctoritatem et disciplinam. Nam huius partes occupantur praecipue in fide continenda, et servanda administrandaque communione. Sed ex dictis in cuiusque potestate, vi illius

regulae est situm decernere sive de sua fide, sive de communione, quaecumque demum sit Ecclesiae sententia. Ergo.

Possemus alia atque alia congerere absurda, de quibus cf. citt. loc. Walemburgenses. Tantum pro coronide demonstrationis addimus, quod distinctio hactenus impugnata reperiatur aliena a praxi Apostolorum et totius antiquitatis. Nam Apostoli memores praecepti Christi: *Euntes... praedicate... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis*, pro haereticis nullo discrimine habuerunt illos omnes qui a quocumque praedicationis eorum articulo desciscerent. Sane Paulus (I Cor. XV, 10) insectatur ut haereticam sententiam Cerinthi negantis resurrectionem, cui quidam Corinthii adhaeserant. Idem (II. Tim. II, 17-18) haereticos declarat eos, qui sensum articuli resurrectionis perverterant. *Ex quibus est*, inquit, *Hymenaeus et Philetus, qui a veritate exciderunt dicentes resurrectionem iam esse factam.* Similiter (Gal. V, 2) declarat: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*. Quis ex Protestantibus non dixisset indifferens esse ut pntaretur custodienda deinceps aut abiicienda circumcisio? Et tamen Paulus longe secus loquitur; ac (Gal. cap. I, 8) dixerat: *Si angelus de coelo evangelizaverit vobis praeterquamquod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Universim vero (Rom. XVI, 17) pronunciat: *Rogo autem vos ut observetis eos qui dissensiones et offendicula, praeter doctrinam quam vos didicistis, faciunt, et declinate ab illis.* Vide etiam (I Cor. I, 10 — Philip. III, 16-17); ac similia produci possent ex aliis Apostolis.

Quod paulo ante monuimus constat antiquos Ecclesiae Patres in more habuisse illico pronuntiare haereticos quotquot aliud docerent de quacumque re ac fides Ecclesiae traderet: neo spectasse unquam an parva res esset vel magna; sed id unum dumtaxat num traditioni apostolicae contradiceret. Brevitatis gratia ab eorundem quae innume-

rae sunt sententiis recitandis abstinemus. Nefas tamen est praeterire Vincentium Lirinensem, cuius verba (commonit. adv. haer. cap. XXI) veluti vaticinium eorum, quae opera Protestantium contigere, videri possunt. *Abdicata*, inquit, *qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia atque alia, iam quasi ex more et licito abdicabuntur. Porro autem singulatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur?*

LECTIO IV

Ostenditur nihil ex ecclesiastica historia proferri posse quod suffragetur absurdae notioni unitatis fidei ab adversariis confictae.

Ad enervandam notionem unitatis fidei nunnulla solent ab adversariis, ac potissimum a Palmerio documenta ecclesiastica in medium proferri, quibus efficiant a veteribus longe remissius unitatem fidei fuisse conceptam. Obiiciunt igitur 1. factum s. Stephani cum s. Cypriano. Huius enim ille sententiam condemnavit circa rebaptizandos baptizatos ab haereticis; et tamen nemo ex veteribus dissolutam censuit unitatem fidei inter Stephanum et Cyprianum, interque rom. ecclesiam atque africanam. 2. Sarta, inquiunt, tectaque fidei unitate, constat fas fuisse occidentalibus repudiare damnationem trium capitulorum a synodo V oecumenica proclamatam, atque probatam a Vigilio Papa. 3. Similiter Galli impune restiterunt concilio Nicaeno II; iidemque Florentinum ex albo legitimorum et oecumenicorum expungunt: sicut ex adverso Itali auctoritatem Constantiensis aeque ac Basileensis respuunt. Non est ergo, inferunt, cur ad omnem apicem exacta concordia in fide populi christiani postulari debeat. Ergo.

Resp. Nego assumpt. Ad primam probat. nego Stephanum dogmatice condemnasse sententiam s. Cypriani, et oppositam doctrinam uti fidei articulum sancire voluisse. Probatur primo; nam Stephani nullum aliud habetur decretum nisi his verbis conceptum: *nihil innovetur, nisi, quod traditum est, ut manus imponantur ad poenitentiam*; quae verba non sonant theoreticam et dogmaticam rei definitionem; ad hoc enim longe plus exigitur, ut suo loco explicabimus, sed exhibent normam in praxi servandam; praecisione veluti facta a quaestione in se inspecta.

Probatur secundo, utpote ex s. Augustino (lib. V de bapt. cap. XXV) ex Cypriano ipso (epist. ad Iubai.) s. Dionysio Alexandrino (epist. ad Xystum) Eusebio (H. E. lib. VII cap. III) etc. patet Stephanum fuisse quidem comminatum poenam excommunicationis in Cyprianum eiusque asseclas; sed eam minime inflixisse; semperque inter eos concordiae vinculum fuisse servatum. (1) At vero si rem Stephanus dogmatice definivisset, ab excommunicatione infligenda abstinere nequivisset; cum hic sit essentialis character dogmaticae definitionis, ut res sub poena anathematis omnibus suscipienda proponatur. Igitur.

Ad secundum de synodo v haec breviter praenotamus. In Chalcedonensi oecumenica synodo habita contra Eutychianos non fuerat damnatus Theodorus Mopsuestenus magister Nestorii; neque item proscripta fuerat epistola Ibae Edesseni ad Marin Persam, in qua laudat Theodorum Mopsuestenum, et accusat s. Cyrillum, ac uti praecipitem traducit synodi Ephesinae sententiam adversus Nestorium. Denique nec reprobati fuerant libri a Theodoreto Cyrensi conscripti contra anathematismos XII s. Cyrilli. Successu temporis Theodorus Caesareensis et Domitianus An-

(1) Cf. Nat. Alex. *H. E. in saec. III. dissert. XII.*

cyranus episcopi, Origenis errores ac sectam e cineribus excitarunt. Sed Monachi Palaestini adiuvantibus Pelagio R. E. diacono et apocrisario, itemque Menna Cpno patriarcha, a Iustiniano Imp. edictum impetrarunt contra errores Originis, quod decretum ab episcopis in regia urbe degentibus, a caeteris patriarchis ad quos Iustiniani encyclica missa fuit, ipsoque rom. Pontifice Vigilio anno 544 confirmatum est. Exarsit ira in Pelagium Theodorus Caesareensis, ac ansam ulciscendi iniuriam quaeritare coepit. Vidit Pelagium agere Cpoli praecipuum defensorem concilii Chalcedonensis contra Eutychianos. Itaque facturum se rem Pelagio acerbissimam arbitratus est, si auctoritatem concilii Chalcedonensis labefactaret. Hanc ob rem suasit Iustiniano imperatori, facillime Eutychianos synodum illam fore recepturos, si tria commemorata capitula damnanda curaret. Imperator anno 545 edictum contra tria capitula edidit, et ad patriarchas, ut ei subscriberent, misit. Quorum nonnulli ex animo, alii ea conditione morem gesserunt, ut si rom. Pontifex rem improbaret, chirographum reciperent; alii professi sunt se subscribere coactos ab episcopo Cpno. Occidentales episcopi edicto unanimes restitere cum iisque rom. Pontifex Vigilius. Tunc Imperator synodum Cpoli indicit, ad quam patriarchas invitat, ipsumque Vigilium, qui Cpolim venit 15 Ian. anno 547. Excussa primum res est in synodo 70 episcoporum. Sed cum hi mutuo dissentirent, Pontifex censuit per se sententiam dicere, scripto requisitis et acceptis singulorum suffragiis. Denique dedit ad Mennam patriarcham Cpnum *Iudicatum*, quo tria capitula damnabat, *salva in omnibus reverentia ergo synodum Chalcedonensem.* Ast occidentales acriter in Vigilium tamquam in conculcatorem synodi Chalcedonensis exarsere: immo Africani habito concilio ipsum anathemate confixerunt. Tunc sive Iustinianus sive Vigilius viderunt non posse litem componi absque oecumenica synodo, quae quinta extitit inter ge-

nerales. In hac (collat. VIII) definite damnata sunt tria capitula ; atque eodem anno Vigilius synodum approbavit. Hanc confirmationem denuo sanxit Vigilii successor Pelagius I simul ac renunciatus est summus Pontifex, licet hactenus subscribere sententiae synodi recusasset, eamque ob rem in exilium esset actus. Subinde alii atque alii Pontifices synodum V comprobarunt. Interim exemplo Pelagii Africani et Illyriciani episcopi pene omnes cesserunt. Item episcopi Tusciae, qui e sacris dypticis nomen Pontificis expunxerant, biennio a synodi confirmatione ipsam inter oecumenicas recepere. Soli Venetiarum atque Istriae episcopi refragari perrexerunt, qui proinde schismate formali laborarunt. Donec Istriae episcopi sub s. Gregorio M. archiepiscopus vero Aquileiensis sub Sergio, vel etiam longe ante resipuerunt.

Ex his perspicitur non exhiberi nobis in hoc eventu exemplum accommodum scopo adversariorum; nimirum propositionis fidei habentis omnes conditiones universis perspectas et eliquatas verae definitionis dogmaticae, cui tamen plures impune restiterint. Sed contra occurrit scissio materialis tantum non formalis, si excipias Venetiarum et Istriae episcopos, quorum schisma iam diximus formale extitisse. Sane ut appareat oppugnatores V synodi errore tantum facti laborasse, neque animo obsistendi compertae sibi Ecclesiae fidei repugnasse, sequentia animadverte. Primum non constabat, quamdiu restitere occidentales, quemadmodum per damnationem trium capitulorum quae synodus Chalcedonensis non improbaverat, nequaquam everteretur eiusdem synodi auctoritas, et ansa Eutychianis daretur illud contemnendi cum fidei pernicie. Cum ergo inconcussa apud omnes catholicos esset auctoritas synodi Chalcedonensis; non poterant sibi persuadere verum esse generale concilium synodum quintam, et vere dogmaticam ac conciliarem extare eius definitionem. Paulatim vero perspexerunt posse invicem conciliari definitionem sy-

nodi quintae cum Chalcedonensis auctoritate: unde ab impugnando conquievere.

Secundo obstabat quod perspectum esset Imperatorem multa contra patres concilii ipsumque Pontificem per vim egisse. Prudens ergo ingruebat suspicio damnationem trium capitulorum per metum et vim fuisse extortam ; ac Vigilium ex animi imbecillitate subscripsisse; praesertim cum ante commemoratos eventus Vigilius semper illi damnationi obstitisset. Cum vero innotuit et liberam fuisse definitionem synodi , et per observatas omnes iuris formas vere conciliarem , itemque Pontificis approbationem nullo vitio laborasse ; sententiae sunt in contrarium conversae.

Denique deerat in hoc negotio specialis intimatio ad illas ecclesias quae refragabantur ; cum universim tantum communicata fuisset definitio synodica : illae vero facile in animum induxerant ea se non obstringi, quod non liberam et illegitimam existimarent. At posteaquam sub poena excommunicationis singulis episcopis indictum est a rom. Pontificibus ut se subiicerent , cum viderunt urgeri susceptionem sententiae uti legalis et iustae , proni obtemperarunt. Soli episcopi Venetiarum et Istriae in proposito obfirmati sunt ; quare schismatici formales fuerunt habiti. Ex quo retorquetur in adversarios argumentum. Si enim vere Ecclesia parata erat tolerare formalem dissensionem , quare in his episcopis non tolleravit ? Si caeteri revera formali dissensione laborarunt , quare , ut Istriae et Venetiarum episcopi , non sunt damnati ? (1)

Ad tertium : verum est quod diu Galli, praesertim editis quatuor libris Carolinis, et in synodo Francofordiensi habita ad Moenum iussu Caroli M. quaeque episcopis

---

(1) Cf. Nat. Alex. *H. E. saec. VI. cap.* III; itemque Christianum Lupum *dissert. de quinta synodo generali*: Sirmundum *in Propemptici lib.II. cap. VII;* praecipue vero Norisium , qui *in dissert. histor. de synodo quinta cap. IX* rem copiose eruditeque evolvit.

constitit trecentis ex Italia, Gallia, Britannia, et Germania coactis; concilium Nicaenum secundum acriter impugnaverint. Verum ita se gesserunt in duplici suppositione facti. Prima erat quod docuisset Nicaena synodus sacras imagines cultu *absoluto* et *latreutico* donandas esse; altera quod rom. Pontifex nullam synodo approbationem contulisset. Primum patet ex toto tenore librorum Carolinorum in quibus admittitur usus et cultus imaginum, sed reprobatur utique cultus latriae, itemque absolutus. Atque eandem fuisse sententiam synodi Francofordiensis patet ex eius canone II sic aiente; *Allata est in medium quaestio de nova Graecorum synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum*, ita ut Deificae Trinitati, *servitium aut adorationem non impenderent, anathema iudicarentur. etc.*

Circa alteram facti suppositionem, haec certa ex historia habemus. Absoluta synodo VIII, missaque a Tharasio Patriarca Cpno ad Hadrianum I synodica epistola, solemnem concilii confirmationem rom. Pontifex distulit. Iussit autem latine reddi eiusdem acta et in pontificia bibliotheca condi. Insuper huius versionis exemplar misit in Gallias, ut Nicaeni decreta episcopi gallicani perpenderent; utpote qui a Carolo M. prohibiti fuerant eo se conferre. At illi offensi ex inconcinna versione et erronea ipsius synodi, opus nomine Caroli M. imperatoris inscriptum anno 790 eidem opposuere: tum anno 794 in commemorato concilio Francofordiensi damnarunt. Hactenus nulla difficultas, cum constaret synodum Nicaenam II approbatione destitui; ac rom. Pontifex quasi Gallorum suffragium postulasset. Deinceps Hadrianus nunquam edidit solemnem eiusdem synodi approbationem. Nicolaus I cum eoque romanum concilium; idemque Nicolaus in epist. ad Adonem Viennensem sex tantum numeravit concilia oecumenica. Quod et praestitit Hadrianus II (in epist. ad Carol. Calvum)

Addendum quod tum Hadrianus I, tum eius successores prudenti oeconomia ducti nunquam censuerunt urgendos Gallos aliosve praesules ad synodi illius receptionem. Contra Galli in toto hoc negotio professi sunt semper paratos se esse ad omnem nutum Pontificis faciendum. Ac Ludovicus Pius non est ausus indicere collationem suorum episcoporum circa Nicaenam synodum, nisi implorata prius venia ab Eugenio II. Denique re satis eliquata, consensum est ex omnibus partibus in concilium Nicaenum II recipiendum. (1)

Ad tertium de synodo Florentina respondemus nunquam hoc concilium reiectum fuisse ab ecclesia gallicana, sed tantum a nonnullis Gallis, et quidem repugnantia non *formali*, orta ex voluntate obsistendi sententiae Ecclesiae, sed materiali tantum, profecta ex errore facti. Unde exemplum propositum est dupliciter inefficax; et quia dissensio fuit paucorum; et quia ipsi illi pauci non sibi proposuerunt sentire de conc. Florentino aliter ac scirent et faterentur sentire et docere Ecclesiam; sed adnisi sunt sibi persuadere inesse illi concilio obstaculum quominus vere ut legitimum ac generale reciperetur ab Ecclesia. Nimirum ut occidentales olim veriti sunt ne synodus V laederet concilium Chalcedonense; et Galli ipsi distulerunt recipere synodum VII propter apprehensam propugnationem cultus idololatrici; ita quidam ex ipsis formidarunt ne quod in Florentina synodo decernitur rom. Pontificem esse a Christo institutum universalem pastorem et magistrum ad regendam, pascendam, et docendam Ecclesiam, opponeretur decretis conciliorum Constantiensis et Basileensis circa praeeminentiam conciliorum generalium supra pontificem. Hanc ob caussam plerumque illiusmodi Galli reprehenderunt eum loquendi modum synodi Florentinae, licet alioquin ipsius

(1) Cf. Nat. Alex. dissert. III in saec. VIII atque dissert. VI ibid. § 7 et seqq. adversus Dallaeum. Insuper Ch. Lupum in diss. *de septima synodo generali* cap. XV, et seqq.

auctoritatem tenerent, et primatum honoris ac iurisdictionis rom. Pontificis profiterentur. Quandoque vero, ut inquit Natalis Alexander (diss. X in sacc. XV et XVI a. 1.) aestu disputationis abrepti, vel ut sese extricarent ab illationibus, ut vocabant, Ultramuntanorum pro superioritate Pontificis supra concilium; ex hoc ipso capite, seu ex pugna apprehensa inter synodum Florentinam et Basileensem, ad negandam prioris oecumenicitatem excurrerunt.

Patent haec omnia 1 ex Natali Alex. auctore caeteroquin sententiis gallicanis addictissimo, qui(loc. cit.)inquit: *Gallicana ecclesia Florentinae synodo nusquam intercessit, nec Graecorum unioni et definitioni fidei in ea editae adversata fuit*; *immo eam perpetuo est venerata*. Ac pergit explicare quaecumque sunt hactenus adnotata. Deinde scimus ex Berthier (Histoire de l' église gallicane tom. XVI liv. 48) non secus sensisse clerum gallicanum et facultatem theologicam Parisiensem. Denique adstipulantur praecipui quique scriptores galli, uti Bossuetus, de Marea etc. (1)

Neque vero obiicias quod Cardinalis Lotharingus, occasione tituli quem rom. Pontifici tribuere volebant patres Tridentini: *rectoris universalis Ecclesiae*; scripsit ad Britonem suum Romae agentem: *Nunc superest titulorum ultimus e Florentina synodo depromptus, quem beatissimo Patri nostro tribuere volunt. Ego negare non possum quin Gallus sim, et Parisiensis academiae alumnus, in qua Pontificem subesse concilio tenetur, et qui docent ibi contrarium tamquam haeretici notantur. Apud Gallos... Florentinum perinde ac nec legitimum nec generale repudiatur*. Haec inquam non offi-

(1) Ipsi etiam Galli conciliorum editores Labbeus, Cossartius, Harduinus, Cabassutius etc. synodum Florentinam absque ulla haesitatione inter oecumenicas recensuerunt.

ciunt, quippe, ut ex dictis satis patet, habenda sunt a veritate aliena et ex studio partium prolata: ac revera Lotharingii aliorumque paucorum sententia ab ipsis etiam Gallis plane reiicitur.

Ad quartum concedimus quod exceptis Gallis nemo unquam habuit pro oecumenico concilium Constantiense quoad sess. IV et V, et Basileense quoad XVIII, in quibus definitur praecellentia concilii generalis supra Pontificem. Ex quo liquet quod nunquam Ecclesia catholica, quoad eadem, duo illa concilia pro oecumenicis habuerit. Sed Galli, inquiunt, pro oecumenicis habent. Quid inde? Errant in hac sententia, ut quivis theologus in pluribus errare potest. Putant habere sufficientia motiva cur sic existiment. Caeterum ipsi non tenent hanc opinionem uti fidei articulum, neque contrarium sentientes haereticis accensent. Ergo ex neutra parte habetur dissensio in fide: non ex parte obiecti, cum per se non sit de fide. Non ex parte nostra qui id minime affirmamus; neque Gallorum qui plane ab hac suae sententiae qualificatione praescindunt. (1)

LECTIO V

Evincitur nihil ex ecclesiasticis documentis produci posse quod obiectam notionem unitatis communionis confirmet.

Alia nonnulla ex veteris historiae documentis heterodoxi obiiciunt, quibus saltem efficiant unitatem communionis

(1) Cf. Roncaglia in *animadvers. in decreta sess.* IV et V conc. Constant. § 1 ad calcem diss. IV saec. XV et XVI Nat. Alex. et in *animadv.* ad diss. VIII, quae est de conc. Basileensi §§ 6 et 7: praecipue vero card. Orsi *De rom. Pontificis auctoritate* tomi II par. 1. toto lib. V ubi agit de conc. Constantiensi, et eiusdem tomi par. II ubi disserit de conc. Basileensi. Idem brevius praestiterunt Ballerinius in op. *de ecclesiastica potestate rom. Pontificis* capp. VII, VIII, IX; atque Petitdidier. *Dissertazione . . . sul sentimento del concilio di Costanza* cap. III-VI.

eam pati amplitudinem, quam diximus eos in propriae sectae emolumentum commentos fuisse. Ea porro potissimum sunt 1. quod salva unitate communionis potuerint excommunicari Cyprianus a Stephano, Asiani a Victore, Hilarius Arelatensis a s. Leone M. 2. Quód in caussa Chrysostomi absque iactura commemoratae unitatis occidentalis ecclesia scissa sit ab orientali. 3. Item luculentius adhuc patere inquiunt in schismate Acaciano; 4. omnium autem evidentissime in magno schismate occidentali.

Verum respondemus ad 1. iam a nobis paulo superius animadversum esse nunquam Cyprianum excommunicatum fuisse a s. Stephano, quod quidem inter eruditos iam plane constat: atque idem dicendum de Asianis respectu s. Victoris (1) Porro s. Leo M. tantummodo ademit s. Hilario iura metropolitica, cui sententiae hic humillime se subiecit; nec aliud quidquam intercessisse legitur inter s. Leonem et s. Hilarium. (2)

Quod attinet ad s. Chrysostomum, negamus tunc temporis sic inter orientales et occidentales fuisse abruptam communionem, ut schisma formale dici potuerit. Quam ín rem sciendum est Theophilum patriarcham Alexandrinum acerrimo odio in Chrysostomum conflagrasse, eo quod hic *Fratres longos* Nitriae monachos Theophilo infensos hospitio recepisset. Itaque cum aliis episcopis Indiae et Aegypti Cpolim venit, atque ab Arcadio imperatore, opera Eudoxiae imperatricis et mulierum aulicarum, quarum luxum Chrysostomus reprehenderat, facile impetra-

---

(1) Cf. Natal. Alex. *diss. in saec.* II *ar.* 5, et Eusebium *H. E. lib. V cap. XXIV cum not. Valesii.*

(2) Cf. eruditas observationes fratrum Balleriniorum in dissertat. V. Quesnelli, quae apologiam pro s. Hilario Arelatensi, et pro antiquis Arelatensis ecclesiae iuribus praefert; opp. s. Leonis tom. II. Venet. 1756. ubi licet omnia quae ad hanc caussam spectant accuratissime expendantur, de obiecta excommunicationis sententia ne verbum quidem reperitur.

vit ut synodus adversus Chrysostomum haberetur. Coacta est ad Quercum suburbium Chalcedonis anno 403. synodus 36. episcoporum, cui utpote illegitimae Chrysostomus se sistere recusavit. Quamobrem concilii et imperatoris iussu in exilium est actus. Paucos post dies revocatus est; sed quod ludos circa statuam Eudoxiae prae foribus s. Sophiae haberi coeptos reprehendisset, iterum, alio habito cura Eudoxiae concilio, exulare iussus fuit. Nomen eius ex sacris dypticis expunctum est, inque ipsius locum suffectus Arsacius, atque hoc mortuo Atticus, cum interim de loco in locum Ioannes exportatus tandem obiverit Comanae in ecclesia s. Basilisci M. Inter haec Innocentius I nullum non moverat lapidem ut Ioanni patrocinio esset: sed cum Graeci obsisterent, nonnulla inter orientales et occidentales concordiae laesio locum habuit. Sed ea tamen longe abfuit a vera schismatica scissione, qua se mutuo ecclesiae anathemate percellerent; ac mera fuit communionis suspensio sita in cessatione ***epistolarum formatarum*** et legatorum negatione. Et sane Chrysostomus, teste Palladio (dialog. de vita Chrysost.) id suis semper defensoribus commendavit: ***communicate ne scindatis Ecclesiam; verum nolite subscribere.*** Deinde Innocentius I diserte scripsit ad Theophilum, se ipsum ac Ioannem sua communione peraeque complecti usque ad huius caussae cognitionem. Et sane semper Theophilum vocat *fratrem*; *Frater Theophile*, inquit, ***nos et te et fratrem nostrum Ioannem, communionis nostrae esse decrevimus, sicut et in prioribus litteris satis aperte expressimus.*** Idem patet ex eiusdem Innocentii epistola XIX ad Acacium Beroensem, et XVII ad Alexandrum Antiochenum episcopum. Denique ipse Theodoretus, qui videri posset assertioni nostrae contrarius, nihil praeterea meminit (H. E. lib. V cap. XXXIV) quam dictos effectus suspensionis sine ullo anathemate: *Occidentales*, ait, *episcopi, episcoporum Aegypti et Orientis, et Bo-*

sphori , ac Thraciae communionem non prius admiserunt, quam divini illius viri nomen una cum reliquis fato functis episcopis consignassent. Et Arsacium quidem qui post illum ordinatus est , ne salutare quidem dignati sunt. Atticum successorem , qui multas ad ipsos legationes miserat , et pacem cum ipsis habere postulaverat , tandem susceperunt , postquam is nomen illius in sacras tabulas retulisset. Igitur sola commercii , legatorum, et formatarum epistolarum suspensio locum habuit. Unde idem Theodoretus ibidem concludit : *Orientalium vero urbium quamplurimi , communionem quidem sceleris refugerunt : corpus tamen Ecclesiae haudquaquam disciderunt.* Ac denique confirmatur assertio eo quod per id tempus occidentales communicarunt cum iis quibuscum Graeci communicabant.

Ad tertium de Acaciano schismate haec habemus praenotanda. Acacius Cpnus post Gennadium episcopus Petrum Moggum eutychianum invasorem sedis Alexandrinae ea deturbari curaverat. Verum ut ulcisceretur Ioannis Talaiae qui litteras synodicas ad eum mittere neglexerat , apud Zenonem imperatorem adnisus est ut rursus Alexandrina sede potiretur Moggus. Felix rom. Pontifex Acacium hac de re admonet, sed frustra. Mittuntur legati Vitalis Troentinas , et Misenus Cumanus episcopus : sed ii ab Acacio in vincula coniiciuntur , ereptis insuper ipsis litteris quas ferebant. Legati vero per summum nefas Moggi communionem amplexati sunt. In synodo romana ad hoc habita anno 484 communione privantur legati : Acacius graviter a Pontifice reprehenditur ; sed adhuc pertinax in alia synodo privatur episcopatu et excommunicatur. Mittitur ad sententiam nuntiandam Tutus rom. ecclesiae defensor: sed is pecunia corruptus Acacio adhaesit ; unde et communione expunctus fuit. Denique monachus Acaemetensis sententiam in Acacium latam eius pallio affixit, cum idem ad sacra celebranda solemniter ingrederetur. Acacius fultus

imperatoris patrocinio ad mortem usque episcopatum gessit: immo Felicem Papam ex sacris dypticis ausus fuit expellere. Successor Acacii Fravitas in episcopatum malis artibus intrusus nonnullam devotionem s. Sedi exhibuit; at nomen Acacii ex sacris dypticis non amovit. Euphemius successor nomen Felicis sacris tabulis restituit: sed in communionem non est admissus a Pontifice, utpote nomen Acacii ex dypticis non abolevit, quod populi seditionem metueret. Interim creatus fuerat summus Pontifex Gelasius: Euphemio vero mortuo suffectus est Macedonius vir fidei integerrimae, qui deinceps ab Anastasio imperatore Eutychiano in exilium est pulsus; eiusque locum occupavit opera imperatoris quidam Timotheus presbyter. Denique Vitaliano magistro militum pene de Anastasio triumphante, imperator misit pro pace ad Gelasii successorem Hormisdam: sed ea ob Anastasii perfidiam inita non est nisi sub Iustino seniore anno 519, quo denique nomen Acacii ex sacris dypticis fuit expunctum: protestatione insuper exacta ab omnibus orientalibus, ut illud item reiicerent.

Hisce praeiactis, perspicuum est schisma fuisse personale tantum in Acacio. Reliqui peccarunt non contumacia, sed timore. Iidem nomen Felicis in sacris dypticis iam restituerant. Nullum etiam non moverunt lapidem ut communionem cum s. Sede in persona Acacii interruptam quantocyus restaurarent (1).

Ad quartum reponimus schisma occidentale fuisse mere

---

(1) Videsis Nat. Alex. H. E. saec. V. art. 16 de schismate Acacii, tum dissert. XI et XII, in saec. V. Cf. praeterea Bollandianos in *Acta sanctor.* ad diem 4 Iul. tom. 2 eiusd. mens. p. 22 et seqq. in vita ss. Flaviani et Eliae, nec non Petrum Ballerinium in append. ad § 1 cap. II *de vi et ratione primatus*, ubi agit de sanctis viris, qui floruerunt in schismatibus Meletii Antiocheni, et Acacii Cpni: *Num et qualenus caruerint communione sedis Apostolicae.*

materiale, quatenus universi fideles intenderent obtemperare vero Pontifici; sed quinam verus ac legitimus foret, ignorabatur; unde alii uni alii alteri, iuxta diversa adiuncta personalia et localia diversasque quibus suaderentur rationes, obediebant. Itaque plures materialiter extitere ita nuncupatae *obedientiae*; sic tamen ut omnes in unam formaliter obedientiam legitimi rom. Pontificis tacite convenirent. Ad quorum perspicuitatem haec ex historia ecclesiastica perstringimus. Postremus Pontificum, omnium opinione et consensu, legitimus fuerat saeculo Ecclesiae XIV Gregorius XI, electus 3. Cal. Ian. 1370, qui hortatu s. Catharinae Senensis, Avenione relicta, Romae se restituit. Eo defuncto, ac populo romano minis et armis Pontificem patria romanum, vel certe Italum exposcente, creatus est sufficienti suffragiorum numero Bartholomaeus Prignanus Neapolitanus archiepiscopus Barensis, qui Urbani VI nomen accepit. Verum cum hic vix iussus Pontifex coepisset intempestive et acerbius mores Cardinalium castigare; hi Anagniam congressi irritam Urbani electionem declararunt, quod dicerent se ex metu suffragatos fuisse. Itaque solo Cardinali s. Petri Urbano adhaerente, reliqui die 21 septembris anni 1378 Pontificem crearunt Robertum Gebennensem presbyterum Cardinalem, qui Clementis VII sibi nomen adscivit.

Non actis solum sed et armis pugnatum est inter utrumque Pontificem. Armorum fortuna favit Urbano, cui etiam potior Ecclesiae pars usque ad eius obitum adhaesit. Ipso e vivis sublato, Cardinales eius obedientiae quos creaverat, Pontificatum deferunt Petro Thomacello Cardinali Neapolitano, qui dici optavit Bonifacius IX. Verum anno 1394. Avenione interit ex apoplexia Clemens VII; inque eius locum sufficitur Petrus de Luna Aragonius, nomine Benedicti XIII. Extincto anno 1404 Bonifacio IX, ipso anno electus est Cosmas de Melioratis Sulmonensis, appellatus Innocentius VII, atque hoc vita functo, successor datus

est anno 1406 Angelus Corarius Cardinalis s. Marci, qui Gregorius XII audire voluit.

Hunc ita electum perhibent historiae, ut iureiurando se obstringeret ad deponendum Pontificatum, si Benedictus XIII aeque deponeret. Verum id nunquam effectum, tum quod Petrus de Luna perpetuo tergiversari maluerit; tum quod ipse Angelus Corarius Savonam ire, uti condictum erat, detrectaverit, veritus aemuli insidias. Cum vero haec ita haberent, Cardinales utriusque obedientiae Pisis concilium generale habere decreverunt, quod licere sibi visum est in eo Ecclesiae statu, in quo alia concordiae via non pateret. Propositum fuit ut uterque Pontifex ad concilium vocaretur, et iuxta editum iusiurandum cogerentur ambo infulam pontificalem deponere. Si vero se concilio sistere recusarent, canonice exauctorarentur.

Ita plane contigit. Utroque Pontifice deposito, electus est ab utriusque obedientiae Cardinalibus Petrus Philargus, vulgo *de Candia* dictus, ss. XII Apostolorum presbyter Cardinalis, qui sibi nomen imposuit Alexandri V. Nec proinde schisma conquievit: nam Benedictus XIII, et Gregorius XII synodi sententiae non paruerunt. Interim die 3 Maii anni 1410 moritur Alexander V. In eius locum sufficitur die 17 eiusdem mensis Balthassar Cossa Neapolitanus, quem ex Archidiacono Bononiensi Cardinalem fecerat Bonifacius IX. Balthassar Ioannis XXIII appellationem gessit. Cum nonnullae civitates Italiae adhuc revererentur Gregorium XII, et magna pars Hispaniae Benedictum XIII, eo quod non constaret de auctoritate concilii Pisani; Ioannes XXIII indixit generale concilium habendum Constantiae; cuius etiam primae sessioni praefuit. In secunda sessione rogatus nomine totius concilii, iuratus promisit sponte se abdicare pontificatu, si aemuli abdicarent, vel si id pax Ecclesiae exigeret. Verum brevi poenituit Ioannem datae sponsionis: unde cum videret urgeri se a concilio ad procuratorem instituendum suae cessionis, Schaffussiam aufugit oppidum Friderici ducis Austriae.

Saepius ad concilii tribunal citatus, cum adesse negligeret, ac praeterea simoniae aliorumque criminum esset accusatus, suspensus est ab omni administratione pontificatus tam spirituali quam temporali. Denique aliis de vita Pontificis quaestionibus institutis, processum est ad eius depositionem tamquam fautoris schismatis, simoniaci, etc. Ioannes XXIII sententiam ratam habuit, ac pontificia insignia deposuit. Lege item cautum est ne vel ipse, vel Petrus de Luna, aut Angelus Corarius in Pontificem eligi posset. Sessione XIV recepta est cessio Gregorii XII qui eam fieri voluit non in manibus synodi, sed Sigismundi imperatoris. Idem ante cessionem convocavit per Cardinalem Ragusinum suae obedientiae, concilium. Sessione XXXVII sententia decretoria depositus est Petrus de Luna seu Benedictus XIII. Legati Hispaniarum synodo se adiunxerunt. Tum denique a Cardinalibus triplicis obedientiae, aliisque electoribus a synodo destinatis creatus est summus Pontifex concordibus suffragiis Odo seu Otho Columna diaconus Cardinalis, qui Martinus V nuncupari adamavit.

Nondum tamen omne schismatis germen extirpatum dici potuit. Nam Petrus de Luna in eo obfirmatus Paniscolae in ditione procerum Lunensium consortio fretus duorum Cardinalium qui sibi superfuerant, Pontificem egit usque ad mortem. Immo huic proximus sub poena maledictionis aeternae praecepit Cardinalibus ut alium post se Pontificem designarent. Cardinales elegerunt Aegidium sancti Munionis Canonicum Ecclesiae Barcinonensis; quem rex Alphonsus ad munus obeundum compulit, vocatusque est Clemens VIII. Denique agente Cardinali Fuxensi O. M. Aegidius sponte abdicavit, suisque Cardinalibus suasit, ut Othonem in Pontificem eligerent, et Martinum V renuntiarent, quod die 26 Iulii anni 1429. praestitere. Ita penitus extinctum est schisma, quod annis 51. duraverat. (1)

(1) Cf. Nat. Alex. H. E. saec. XIV, art. 7 seqq. et saec. XV, art. 1, seqq.

LECTIO VI

De proprietate apostolicitatis disseritur; ac primum de apostolicitate originis.

Unitati liceat e vestigio subnectere proprietatem apostolicitatis, utpote quae propius ac immediatius ex eadem videtur proficisci. Itaque pari methodo quaeritur num Ecclesiae Christi competat esse apostolicam, et ita quidem ut Christi Ecclesia non sit, nisi apostolica extet. Verum ne ambiguitate laboret disputatio, praefiniendus est rei conceptus, quidque nomine apostolicitatis veniat, breviter est innuendum. (1)

Apostolicitas itaque in suo adaequato conceptu cogitari potest tribus veluti conflata elementis; ut Ecclesia nimirum sit apostolica *origine*, nempe ab Apostolis fundata, atque illa ipsa quam fundarunt Apostoli. 2. Sit *fide et communione* apostolica; hoc est profiteatur ipsam illam fidem quam praedicarunt Apostoli; cum Apostolis communicet, atque cum iis omnibus quibuscum mediate vel immediate communicarunt Apostoli. 3. Sit Apostolica *successione* et *missione*, quatenus sinu suo complectatur et possideat publicam, solemnem, ac nunquam interruptam ab Apostolis successionem; ac quidquid in Ecclesia regente fit, ab omnibus et singulis pastoribus fiat virtute missionis quam a Christo acceperunt Apostoli, quamque in suos successores debuerunt transfundere.

Haec quoad omnes partes essentialiter Ecclesiae competere singillatim demonstramus; ac primum disserimus de

(1) Esse Ecclesiam apostolicam agnoscunt protestantes, eo quod id pariter in symbolo fidei enuntiatum extet. Verum multis partibus, ut propriae sectae velificent, apostolicitatis notionem pervertunt, qua de re consulendi FF. de Walemburch in controv. *De notis seu signis Ecclesiae* part. post. § 49.

apostolicitate originis. Ecclesia itaque sit oportet origine et fundatione apostolica; siquidem Christus, ut suo loco ostendimus, suis Apostolis solemni data missione per universum orbem suam commisit fundandam Ecclesiam. Per ipsos instituendam, dilatandam, ac docendam disposuit. Ipsis similiter Apostolis Ecclesiam suam regendam permisit, quare et omnimoda in eandem auctoritate illos instruxit; hierarchiam in ipsis invexit: denique declaravit se speciatim in Petro Apostolo suam fundare Ecclesiam, huiusque Petrum veluti fundamentum et basim futurum. Si haec ita habent; evidentissime sequitur haec enunciatio: quam Christus instituit Ecclesiam, in Apostolis instituit, et per Apostolos. Sed si hoc, Ecclesia dicenda est origine et fundatione apostolica. Esse enim origine et fundatione apostolicam, perinde valet ac esse fundatam in Apostolis et per Apostolos: ergo si spectetur origo atque fundatio, Ecclesiae omnino competit ut sit apostolica.

Nec dicas: id probat Ecclesiam natam esse apostolicam: at non aeque evincit quod semper apostolica esse debeat; sive quod semper Ecclesia Christi illa ipsa esse debeat quam fundarunt Apostoli. Nam respondemus hoc ipsum ex instituta animadversione sequi. Profecto enim Ecclesia illa semper sit oportet quam Christus instituit: sed Ecclesia quam Christus instituit est origine et fundatione apostolica; ergo Ecclesia debet semper illa esse quam fundarunt Apostoli. Praeterea si ex una parte Christus Ecclesiam condidit origine apostolicam, et ex alia aliquando posset Ecclesia non esse una eademque cum ea quam fundarunt Apostoli, iam non una adstrueretur, sed duplex Ecclesia: atqui Christus unam ex dictis et unicam esse voluit suam ecclesiam: ergo. Et sane, quod ad argumenti maiorem attinet, in ea hypothesi habes unam ecclesiam quae vera est, quam fundarunt Apostoli, et aliam quae non est ab Apostolis nec est huiusmodi, et nihilominus vera ex suppositione censeri debet.

Atque ex his quidem vides apostolicitatem originis competere Ecclesiae ex duplici principio. Uno *facti* quod nempe aedificium Ecclesiae Christus inchoaverit in persona et opera Apostolorum: unde quamdiu consurgit hoc aedificium et fluxu saeculorum succrescit, semper niti debet eadem basi Apostolorum, cum iisque connecti, secus non erit illud aedificium quod Christus in Apostolis aggressus est, sed aliud diversum. Resultat secundo ex elemento *iuris*, nempe ex asserta superius unitate Ecclesiae. Si enim Christus nonnisi unam et unicam voluit esse semper suam Ecclesiam, posito aliunde quod eandem in Apostolis fundaverit, alterutrum sequatur necesse est; vel ut nullo modo habeatur aliquando Ecclesia, vel si habetur, debeat identificari cum ea quam a principio fundarunt Apostoli. Hinc Paulus (Eph. II, 20) monet fideles superaedificatos esse *super fundamentum Apostolorum*. Et Ioannes (Apoc. XXI, 14) refert a se visam civitatem Ilierusalem, nempe Ecclesiam, cuius murus habebat *fundamenta duodecim, et in ipsis nomina duodecim Apostolorum Agni.*

Ex his facile intelligitur quid inde in Ecclesiae existentiam derivetur, ac quemadmodum practice illa apostolicitas originis in eadem locum occupet. Igitur imprimis id liquido innotescit impossibile esse ut societas aliqua sit vera Christi Ecclesia, nisi tum in sui adaequata universalitate, tum in omnibus suis membris, quae sunt ecclesiae particulares, habeat originem et fundationem apostolicam, et cum ecclesia Apostolorum identificetur. Porro id contingere potest dupliciter: *immediate* et *mediate*. Immediate ab Apostolis fundatao sunt illae ecclesiae, quas opera sua propria Apostolorum aliquis condidit; uti romanam Petrus, Corinthiam Paulus etc. Mediate vero ecclesiae habent originem apostolicam quae progeneratae sunt ab aliquo quem Apostoli instituerint. Hoc ipsum vero dupliciter verificari potest. 1. Quatenus homines ab Apostolis eruditi et instituti ad aliquas ecclesias fundandas

missi fuerint : ita Marcus auctor fuisse perhibetur ecclesiae Alexandrinae , etc: 2. Quatenus aliqua ecclesia ab Apostolis fundata aliam progignat ; quo fit ut reductive haec altera ecclesia ab Apostolis fidem communionem et existentiam obtinuerit. Ita e. g. ecclesia Africana , sicut et pleraeque occidentales ab ecclesia Romana fundatae fuerunt.

Verum sedulo adnotandum est non satis esse ad originem apostolicam ut aliqua ecclesia immediate aut mediate sit instituta ab Apostolis , sed potissimum requiri ut singulae ecclesiae natae fuerint et conserventur subiectae centro unitatis, nempe Petro et eius successoribus , eidemque aggregatae. Nam singulae ecclesiae ita nasci debuerunt , uti ipsas Apostoli progenerabant ; et tales debent conservari quales progeneratae sunt , nisi velint ex gradu ecclesiarum deficere. Sed in praecedenti sectione vidimus Apostolos ex Christi mandato sic debuisse ecclesias fundare , ut eas non sibi retinerent , sed centro unitatis insererent : ergo. Ut itaque appareat aliquam ecclesiam habuisse ab initio, conservasse et retinere apostolicitatem originis , hoc etiam tertium ostendendum est , quod scilicet nata sit talis ecclesia subiecta et aggregata Petro , sic semper perduraverit , hodieque perduret. Ex adverso sufficit evincere hanc originariam et permanentem adhaesionem ad centrum a Christo institutum, ut ecclesia quaepiam ostendatur undequaque originis apostolicae. Si enim est suscepta in unitatem Ecclesiae , cuius ex hypothesi adhaeret centro; concludendum est quod originem habeat legitimam ; secus non potuisset in unitatem admitti , neque cum centro coalescere. Iam vero ex dictis origo legitima non est, nisi mediate vel immediate apostolica. Igitur etc.

Per haec tamen non inficior quod dari possit ecclesia ab origine non apostolica, quae nihilominus unitatis centro deinceps incipiat adhaerescere; puta si ecclesia aliqua

fundata ab Eutychianis, Nestorianis, aliisve haereticis deinde communioni catholicae aggregetur. Sed in casu huiusmodi contingit illud quod in civilibus est prolis spuriae *legitimatio*: immo plus etiam habetur. Nam revera hoc ipso quod abdicat ecclesia illa adulterina priorem nativitatem, veluti secundam obtinet ex illo ipso apostolico unitatis centro a quo suscipitur. Etenim sicut in hoc ipso centro invenitur summa apostolatus, ita in eodem reperitur veluti coadunata missio et auctoritas Apostolorum ad ecclesias procreandas, et Ecclesiae catholicae inserendas. Unde si hoc centrum sibi quaslibet ecclesias aggregat, iam hoc ipso illae apostolicam originem nanciscuntur. Atque hoc etiam pacto explicatur casus quo aliqua ecclesia per haeresim aut schisma suam originem apostolicam interruperit. Sarcitur enim interruptio, et reparatur iactura facta originis apostolicae per hoc quod commemoratum centrum instructum dicta potestate sibi illas ecclesias denuo coniungit.

His explicatis, iam possunt in rem eandem intelligi multiplices Patrum sententiae, ac licet cognoscere cur apostolicitatem originis tanti existimaverint. Sic e. g. Tertullianus (de praescript. cap. XX) *Apostoli*, inquit, *ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae caeterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et quotidie mutuantur, ut ecclesiae fiant; ac per hoc et ipsae apostolicae deputantur, ut soboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab Apostolis prima, ex qua omnes.* Unde (de praescript. cap. XXXVII) haereticos sibi coaevos sic provocat: *Qui estis vos, quando et unde venistis?* Ac similiter Hieronymus (dial. contr. Luciferian. in fin.) *Ex hoc ipso*, ait: *quod postea (*haeretici*) instituti sunt, eos se esse indicant quos futuros Apostolus pronuntiavit*; nem-

pe seductores. Denique, ut caeteros missos faciam, Optatus Milevitanus (lib. II. contr. Parmenian.) *Vos*, inquit ad haereticos sui temporis, *vestrae cathedrae originem ostendite*, *qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare*, etc.

LECTIO VII

Fidei apostolicitas Ecclesiae adsciscitur.

Apostolicitas fidei, quam Tertullianus (lib. de praescript. cap. XXXII) vocat *doctrinae consanguinitatem*, nempe cum doctrina Apostolorum; in eo est posita, ut Ecclesia quovis tempore profiteatur illam ipsam fidem quam professi sunt et docuerunt Apostoli. Porro id nullatenus ab Ecclesiae conceptu arceri posse est luculentissimum. Etenim fides Ecclesiae in quacumque epocha eadem spectetur, non potest esse alia fides et doctrina, quam doctrina Christi: sed doctrina Christi non est nisi doctrina Apostolorum; ergo doctrina Ecclesiae debet semper esse doctrina Apostolorum. Maior ab omnibus iure conceditur: quomodo enim sit vera Christi Ecclesia quae non profiteatur docrinam Christi? Minor etiam per se est manifesta. Quis enim effutiat aliud sensisse ac docuisse Apostolos, nisi plane quod sensit et docuit Christus, quodque idem ipsis nuntiandum commisit? Ergo si doctrina Ecclesiae nunquam potest non esse doctrina Christi, eiusdem doctrina debet identificari semper cum doctrina Apostolorum. Confirmatur argumentum ex eo quod, ut facto constat, et nuper diximus, Christus non aliter voluit fundari suam Ecclesiam; quam per praedicationem Apostolorum, hoc est per communicationem quam ipsi fecerunt propriae fidei a Christo acceptae. Age ergo vel voluit Christus ut Ecclesia semper retineret eandem fidem, vel non: si eandem, debet esse apostolica, sicut a principio talis extitit: si secus, iam non voluisset Ecclesiam

unam, neque ea una existeret, cum alia foret Ecclesia profitens fidem Apostolorum, alia tenens diversam. Ergo.

Hinc perspicis unitatem influere etiam in apostolicitatem fidei; atque hanc resultare similiter ex elemento *facti* et *iuris*, uti de apostolicitate originis fuit adnotatum. Sed enim restat ut practice spectemus quemadmodum haec fidei apostolicitas reperiri possit in Ecclesia. Quoniam ergo eadem non est nisi cum fide Apostolorum identitas, tantumdem est quaerere quomodo habere locum possit in Ecclesia apostolicitas fidei, ac quemadmodum locum habere possit identitas. Porro haec identitas duos terminos complectitur: quod quidem Apostoli docuerunt, et quod sentiat ac doceat per omnem aetatem Ecclesia: unde de utroque termino aliquid est adnotandum. De Apostolis dicendum est fuisse ab ipsis traditum, quidquid de fide est vel esse potest. Nam quidquid de fide est vel esse potest, peti debet ex sacris litteris vel traditione. Sed uterque fons debetur Apostolis. Ergo. Ex parte Ecclesiae nihil in eius fide reperiri debet contrarium ei quod oretenus aut scripto docuerunt Apostoli. Id tamen non vetat quominus possit Ecclesia nova subinde dogmata constituere et profiteri. Sed hoc non debet esse immutatio fidei apostolicae, neque veri nominis ad eam additio; sed tantum successiva seminis ab iisdem iacti evolutio. Quidquid enim ab illis depositum fuit sive in verbo scripto sive in traditione non potuit statim ab exordio sic innotescere, ut per se pateret quot quantaeque veluti applicationes et conclusiones in eodem continerentur. Scriptura insuper passim obscura est, nec omnes uti ea possunt. Traditio ipsa invenitur sparsa, magnoque indiget usu criticae ut quadamtenus etiam diiudicari possit. Necesse ergo fuit ut Ecclesia, pro ea quam ipsi inferius vindicabimus explicandi divini verbi a Christo accepta auctoritate, pro rerum et temporum opportunitate evolveret, ac evolvere pergat usque ad mundi finem quae ab Apostolis fuere tradita, ut etiam hoc sensu ipsa

proficere dicenda sit et crescere usque ad perfectam aetatem. Neque vero hoc officit plenitudini fidei, quasi una aetas habeat fidem integram, dimidiatam altera. Etenim differentia non est iuxta credendorum substantiam et quasi rem ipsam, cum Ecclesia semper credat et crediderit quidquid docuerunt Apostoli: sed iuxta explicitam vel implicitam confessionem illorummet quae Apostoli demandarunt.

Haec quidem quid quantumque sua fide complecti Ecclesia debeat ut fides apostolica audiat, exponunt. At vero superest ut inquiramus unde Ecclesiae obvenire possit fidei identitas cum doctrina Apostolornm; itemque quo pacto possit esse sibi conscia de possessione huiusmodi identitatis. Ad hoc dicimus non posse illam identitatem obtineri per medium quod quavis aetate haeretici commenti sunt; hoc est per explorationem quae fiat proprio individuali examine doctrinae apostolicae, quae in ss. litteris contineatur. Sed contra asserimus oportere ut Ecclesia independenter a quovis examine habeat in se, semperque ex Apostolis habuerit legitimam doctrinae ipsorum transfusionem. Probatur prima assertio: nam tunc posset comparari quovis tempore identitas doctrinae immediate in doctrina Apostolorum, quando hi praeceptum habuissent scripto mandandi totam suam praedicationem, et reapse mandassent. 2. Quando posset constare per media individualia de divinitate librorum qui dicuntur ab Apostolis conscripti. 3. Quando sensus eorum quae Apostoli exararunt sic semper innotesceret, ut fides divina in singulis articulis posset sine alio medio obtineri. Si haec ita haberent, profecto sufficeret consulere novum Testamentum ad doctrinam apostolicam plene sibi cumulateque comparandam. Atqui res quoad singula ex adverso habet: ostendemus enim suo loco in Scripturis non haberi illam perspicuitatem; neque ex ipsarum lectione per se sumpta posse concipi actum fidei tum obiective, tum subiective divinae: item non posse constare de inspiratione sacrorum librorum nisi per Ecclesiam. Denique ostendetur

etiam non omnia in illis contineri, quae creditu ad salutem sint necessaria. Ergo qui vellent lectione ss. Scripturarum sibi comparare identitatem doctrinae apostolicae, doctrinam sibi cuderent mancam, fundamento nutantem, incertam, aliorum impugnationibus obnoxiam, et quam non possent evincere esse apostolicam. Quod quidem confirmatur experimento: nam sectae omnes gloriatae sunt semper et gloriantur doctrina apostolica: sed eo medio privati examinis non potuerunt unquam secum ipsis vel cum aliis convenire, nec conquiescere.

Medium igitur obiectum est plane inefficax. Contra requiri evincimus iugem et legitimam de aetate in aetatem doctrinae apostolicae transmissionis possessionem. Etenim Christus non aliud medium instituit ac legavit ad conservandam suam doctrinam, nisi iugem eorum qui Apostolis succederent praedicationem: *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Iam vero doctrina Christi est doctrina Apostolorum: ergo doctrina Apostolorum conservari debet per iugem transfusionem, unde hoc tantum medio potest possideri.

Sed enim ex hoc ipso innotescit cuinam rei nitatur eiuscemodi transfusio ut iugis, legitima, atque intaminata de aetate in aetatem peragi possit; ac quemadmodum queat Ecclesia sibi et aliis ostendere quod in semetipsa habeat semperque habuerit legitimam illam doctrinae transfusionem. Id enim totum adnectitur ei quam mox explicaturi sumus personali in docendi et praedicandi munere successioni. Itaque dicimus aliquam christianam societatem habere infallibiliter germanam transfusionem doctrinae apostolicae, hoc solum posito, si habeat et ostendere possit personalem legitimam, ac nunquam interruptam ex Apostolis successionem. Probatur: nam successio personalis ex Apostolis est organum legitimum a Christo institutum ad peragendam illam transmissionem. Ergo siqua societas habet vere personalem successionem, habet et doctrinae transfusionem.

Antecedens patet: nam Christus, ut saepius animadvertimus, voluit suam doctrinam propagari et conservari per praedicationem corum qui Apostolis succederent. Adeoque voluit fieri transmissionem suae doctrinae per personalem ex Apostolis successionem. Iam vero tantumdem est loqui de doctrina Christi ac de doctrina Apostolorum. Ergo etiam haec debet per talem successionem perpetuari. Consequentia item instituti argumenti est manifesta. Organum enim a Christo institutum ad servandam transfusionem doctrinae non potest suo effectu destitui; secus Christus imprudens fuisset, aut impotens. Ergo si organum transfusionis est successio; posita successione debet colligi etiam transfusio.

Hinc inferes evidenter quod ad decernendum num aliqua Ecclesia habeat vel non habeat apostolicitatem fidei, satis sit hoc unum intueri, num habeat legitimam successionem. Et hoc sufficit, etiam nullo instituto examine doctrinae; quippe est nexus necessarius inter doctrinae apostolicae praesentiam, atque praesentiam successionis. Atque haec ratio extat cur veteres Patres ut haeresim quamcumque tamquam doctrinam ab apostolica dissidentem refellerent, perpetuo ad successionem episcoporum appellaverint; et hanc ipsam successionem quasi iure suo cum praesumptione doctrinae apostolicae copulaverint.

Sic Tertullianus nihil ferme aliud praestat in suo opere de praescriptionibus. Ac speciatim (cap. XXXII) *Edant*, inquit, haeretici *origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt... Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis ecclesiis, quae licet nullum ex Apostolis vel apostolicis auctoritatem suam proferant, ut multo posteriores, quae denique quotidie instituuntur; tamen*

in eadem fide conspirantes, *non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae. Ita omnes haereses ad utramque formam a nostris ecclesiis provocatae probent se quaqua putant apostolicas. Sed adeo nec sunt, nec probare possunt quod non sunt; nec recipiuntur in pacem et communicationem ab ecclesiis quoquo modo apostolicis, scilicet ob diversitatem sacramenti nullo modo apostolicae.* Irenaeus (lib. IV. adv. haer. cap. XXXIII, n. 2.) inter alia scribit: *Eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus; qui cum episcopatus successione* chrisma veritatis certum *secundum placitum Patris acceperunt: reliquos vero qui absistunt a principali successione, et quocumque loco colligunt, suspectos habere, vel quasi haereticos et malae sententiae; vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes.* Nota sunt illa Augustini (in ps. contr. part. Donati) *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: et in ordine illo Patrum, quis cui successerit videte. Ipse est petra quam non vincunt superbae inferorum portae.*

Conferri possunt in eandem rem rursus Irenaeus(lib.V,cap. XX. n.1 seqq.)Cyprianus(epist.LXXIII,et lib.de unit.Eccles.) Ambrosius (lib. de incarnat. domin. cap. V. n. 34, et lib. de poenit. cap. VII, n. 33) Hilarius (comment. in Matth. n. 9-10) Augustinus (lib. II contr. epist. Petilian. cap. XXXIII — lib. de unit. Eccl. cap. II — brevic. collat. cum Donatist. cap. III, et seqq.) etc. Atque hanc etiam ob rem Eusebius (in hist. et chronico); Hieronymus et Prosper qui chronicon Eusebii continuarunt, diligentissime adnotant successionem romanorum Pontificum: quod cum Epiphanius quoque praestitisset (haer. XXVII, quae est Carpocratis) subiungit: *Et ne quis miretur quod tam exacti singula recensemus. Per haec enim semper claritas ostenditur.* Denique ista etiam caussa fuit cur

pictae series episcoporum tum in particularibus ecclesiis, tum maxime in ecclesia romana effingi usque ab initio consueverint et conservari.

Finem huic disputationi imponimus una et altera animadversione. Primum infertur ex nuper dictis non posse dari apostolicitatem *fidei* absque illa *originis*. Nam nequit dari apostolicitas fidei sine successione: sed haec nequit habere locum citra apostolicitatem originis: quomodo enim successio incoeperit ab Apostolis, nisi fundatio illius ecclesiae profecta fuerit a quibus una cum ecclesia sit instituta successio? Secundo nihilominus sicut apostolicitas originis potest, uti iam diximus, suppleri per adhaesionem ad unitatis centrum, ita per eandem potest suppleri defectus transfusionis doctrinae, adeoque et apostolicitatis fidei. Nam, ut paulo post docebimus, per illam adhaesionem ad centrum unitatis potest suppleri apostolica successio. Hac autem reintegrata, reliqua reintegrentur est necesse.

LECTIO VIII

Apostolicitas communionis, successionis et missionis Ecclesiae asseritur.

Quemadmodum ab exordio innuimus, apostolicitas communionis importat, ut habeatur a societate quae se veram Christi Ecclesiam dicat, *communio cum Apostolis*, *itemque communio Apostolorum.* Communio, inquam, cum Apostolis, idest ut cum Apostolis communicemus: communio vero Apostolorum, qua nempe iis communionem nostram donemus, qui in Apostolorum communione censentur. Quo fit ut Ecclesia sit vere unum quoddam corpus unitate communionis instructum, ita quidem ut haec omnium communio incipiat ex Apostolis, et quodammodo terminetur in unum commune centrum, nempe collegium Apostolorum.

Verum haec videntur adhuc abstracta, ac percontabe-

ris in quo porro sit posita haec sive apostolica, sive Apostolorum communio, quam Ecclesiae adscribimus? Generatim, ut alias significatum est, communionis unitas importat ut iisdem legitimis pastoribus obtemperetur; ut eadem sit omnibus participatio sacramentorum; ut communia caritatis officia intercedant inter eos, qui ipsam communionem participant; atque omnibus aeque praesto sint communia quaedam bona divinitus collata; uti fides, baptisma, remissio peccatorum, reliqua sacramenta, gratia et vita aeterna. Ergo ut haec communicatio seu communio sit apostolica, necesse erit, ut quoad singula ab Apostolis descendat, in eosque refundatur. Puta ut eorum bonorum spiritualium, et sacramentorum communis participatio habeatur quae in manibus Apostolorum primum fuere deposita; ut ecclesiasticae caritatis officia nonnisi inter eas ecclesias vigeant quae origine, fide, successione ac reliquis huiusmodi vere sint apostolicae; ut nonnisi legitimis Apostolorum successoribus fideles obtemperent etc.

Eiusmodi sic explicatam communionem essentialem esse quavis aetate Ecclesiae, probatur per partes luculenter. Etenim Ecclesia Christi, uti, ex alias dictis, debet esse instructa vera hierarchia; ita debet certe obtemperare non quibuscumque, sed legitimis pastoribus. Sed legitimi pastores a Christo dati, non sunt nisi Apostoli et eorum successores: ergo his Ecclesia semper parere debet. Item Ecclesia nunquam carere potest legitima sacramentorum administratione. Haec vero non habetur nisi ab Apostolis proveniat, et per eorumdem successorum manus conferatur: ipsis namque et non aliis tradidit Christus sua sacramenta ministranda. Ergo. Rursus Ecclesia non debet prosequi officiis ecclesiasticae caritatis nisi eos qui vere pertineant ad Ecclesiam Christi. Sed extra Apostolorum consortium nequit reperiri Ecclesia Christi. Igitur. Denique bona spiritualia quae participet Ecclesia, debent esse bona veracia quae Christus peperit. Sed haec maxime pertinuerunt ad Apostolos, inque

eorum manibus fuere deposita. Ergo Ecclesia debet illis bonis frui, sive illorum bonorum participationem habere quae possederunt Apostoli.

Confirmantur haec omnia ex proprietate unitatis, qua profecto Ecclesia unum corpus sit oportet. Sed nequit efformare unum corpus, nisi quoad omnia quae sunt recensita habeat communionem cum Apostolis. Et sane si in iisdem cum Apostolis non communicet, iam duo extant corpora Ecclesiae, quorum alterum, ut ex historiis liquet, omnes partes illius communionis cum Apostolis possederit; alterum vero secus in iisdem sese habeat: proinde duplex erit agnoscenda Ecclesia.

Quod ad successionem attinet, ea definiri potest: *publica, legitima, solemnis et nunquam interrupta personarum in locum Apostolorum ad regendam et pascendam Ecclesiam suffectio.* Sumitur definitio ex (Actor. XIII, 28) *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Dicitur porro *suffectio*, ut significetur successores Apostolorum non esse eorundem vicarios; sed illam ipsam personam gerere et illud munus quod Apostoli, quatenus ecclesiarum rectores et administratores, gesserunt. Appellatur *publica*, quatenus constare debeat per determinatos et omnibus notorios characteres, quod tales et non alii apostolico muneri vere successerint. Additur *legitima*, ut nimirum tum ex parte dantis potestatem, tum accipientis ex iuris norma sit praestita transmissio. Nuncupatur *solemnis*, hoc est inita per externam inaugurationem ministrorum, iuxta ritum a Christo institutum. Denique *non interrupta*, tam scilicet *materialiter* quam *formaliter*; quatenus nec desint omnino personae quae iugiter Apostolis substituantur; et hae ipsae personae substitutae illam fidei et communionis unitatem retineant, quibus primitus vigebat hierarchia fundata in Apostolis. Atque ex his constabilitur notio quoque *missionis* et *vocationis*. Sunt enim *legitima*

assumptio et deputatio ad obeunda apostolica munia, quatenus quis legitime in Apostolorum locum successerit. Nimirum missio et vocatio pendent a successione, ac per hoc quod aliquis rite sit factus Apostolorum successor, missionem habet, et est in statu vocationis apostolicae.

Ecclesiae itaque competere necessario apostolicitatem successionis vocationis atque missionis, pronum est ostendere. Siquidem ex demonstratis Ecclesiae Christi quavis aetate competit apostolicitas originis, fidei et communionis. Sed haec sine successione illa publica, solemni etc. nequeunt locum habere et consistere. Ergo. Et sane apostolicitas originis exigit ut Ecclesia quacumque aetate, saltem mediate, connectatur etiam materialiter cum suis fundatoribus Apostolis. At nequit connecti nisi per publicam, solemnem, et nunquam interruptam successorum seriem. Igitur. Similiter apostolicitas fidei, uti superius adnotavimus, unice haberi potest per doctrinae legitimam transfusionem. Hanc vero demonstravimus absque successione haberi non posse. Itaque et ipsa fidei apostolicitas nititur successione. Denique ad habendam communionem Apostolorum, ut nuper innuimus, necesse est obtemperare legitimis Apostolorum successoribus, ex ipsis sacramenta participare etc. Haec autem immediate involvunt ipsam successionem. Ergo.

Secundo certum est Apostolos mandatum accepisse a Christo constituendi sibi successores, qui usque ad consummationem saeculi sese porrigerent. Ergo, inferimus, vera Christi Ecclesia hanc successionem necessario habere debet. Antecedens liquet ex illo pluries commemorato Christi effato (Matth. XXVIII, 30) *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Inde vero per se liquet consequentia. Si enim promisit Christus suam peculiarem assistentiam donandam pastoribus Ecclesiae usque ad mundi exitum; profecto eo usque pastores

extabunt quibus Christus assistat. Si autem extabunt tales pastores usque ad mundi finem; usque ad eandem aetatem nunquam deficiet series eorum qui in munere pastorali Apostolis, quibuscum Christus tunc disserebat, succedant. Si autem talis series semper extabit, nonnisi in vera Ecclesia semper series illa florebit, nisi velimus dicere veros pastores extituros extra veram Ecclesiam, et Christum largiturum suam opem pastoribus constitutis extra Ecclesiam, qui proinde potius lupis sint comparandi. Unde etiam fit ut eadem veritas instar aliarum possit commode erui ex Ecclesiae unitate. Si enim in alia quam in vera Christi Ecclesia verificari posset legitima successio Apostolorum, iam duae darentur verae ecclesiae; una quae legitimam successionem possideat, adeoque non possit esse falsa; altera quae ex hypothesi vera extet, tametsi apostolica successione destituatur.

Per haec ergo evidens est nunquam posse deficere in Ecclesia veram successionem Apostolorum. Et quidem neque *materialiter* neque *formaliter*. Si enim semper Ecclesia habere debet formaliter apostolicitatem fidei et communionis, semper etiam habere debet formaliter apostolicitatem successionis. Item sicut semper Ecclesia esse debet formaliter una, ita et formaliter pollere debet apostolica successione, sine qua, uti vidimus, non esset una. Praeterea Christus promisit Apostolorum successores usque ad mundi exitum extituros, quod ostendit successionem materialiter non posse deficere. Cum vero addiderit se hisce successoribus perpetuo suam assistentiam, sic ut Apostolis, fore largiturum; conficitur apostolicam successionem ne formaliter quidem posse in vera Ecclesia labefactari.

Haec cum ita habeant de successione, patet quid sit sentiendum de missione apostolica. Nimirum diximus possessionem missionis pendere ex possessione illius successionis. Si itaque ecclesia nunquam carere potest apostolica successione tum materialiter tum formaliter inspecta,

nec etiam potest privari missione apostolica utroque sensu sumpta. Si autem perseverat missio, durat etiam aptitudo et auctoritas ad ipsam exercendam. Atque haec quidem omnia quae legitima argumentatione deduximus, confirmantur maximopere testimonio Patrum, qui nihil antiquius habuerunt quam ut apostolicam successionem exigerent in Ecclesia et commendarent. Porro eorum effata non ita pridem retulimus, quibus tamen alia nonnulla praestabit adiicere. Illud scilicet s. Augustini (lib. contr. epist. fundam. cap. IV) *Tenet me in Ecclesia ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum.* Augustino vero antiquior Cyprianus ita ob defectum successionis haereticos carpit (lib. de unitate Eccl.) *Hi sunt qui se ultro apud temerarios convenas sine divina dispositione praeficiunt, qui se praepositos sine ulla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, episcopi sibi nomen assumunt.* Unde idem s. doctor de Novatiano (epist. VI ad Magn.) scribit: *Novatianus in Ecclesia non est, neque episcopus computari potest, qui apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ordinatus est.* Irenaeus (lib. III adv. haer. cap. III) *Quoniam*, inquit, *valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones; maxime et antiquissimae, et omnibus cognitae a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentiam, vel vanam gloriam, vel per coecitatem, et malam sententiam, praeter quam oportet colligunt.* Hinc ex defectu successionis in haereticis arguens Tertullianus defectum missionis, sic Ecclesiam

ipsos alloquentem merito inducit (de praescr. cap. XXXVII) *Qui estis vos ? quando et unde venistis ? Quid in me agitis non mei ? Quo denique, Marcion, iure sylvam meam caedis ? Qua licentia , Valentine, fontes meos transvertis ? Qua potestate, Apelles, limites meos commoves ? Mea est possessio ; olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ipsis auctoribus, quorum fuit res.*

Quin alia addam , postremo animadverto quod quamvis Patres de tota successione apostolica fuerint solliciti , ac totam maxime commendaverint ; potissimum tamen id praestiterunt circa successionem rom. Pontificis , utpote quae cardo esset et veluti fulcrum aliarum particularium successionum. Atque haec caussa est cur catalogos magis texuerunt rom. episcoporum, quam quorumcumque. Sic Irenaeus episcopus Lugdunensis in Gallia , Optatus et Augustinus episcopi in Africa , Epiphanius Salaminae in Cypro , Eusebius Caesareae in Palaestina non suarum ecclesiarum, sed tantum romanae ecclesiae successionem recensere voluerunt. Satis enim illis videbatur ostendere continnam successionem in ecclesia principali , cuius ipsi se membra esse gaudebant.

Atque haec dicta sint de existentia successionis apostolicae semper Ecclesiae necessaria. Nunc ad eius naturam magis magisque explicandam , nonnulla restant adnotanda ; quae sunt *conditiones*, *vis* et *usus* successionis vere apostolicae. Quod ad primum attinet , iam supra innuimus successionem debere esse publicam , legitimam , solemnem , non interruptam , quorum quoque ratio in adductis probationibus continetur. Verum si haec ipsa magis in concreto spectare velis , dicemus requiri ad veram successionem tria , nempe institutionem apostolicam , ordinationem , et adhaesionem ad centrum unitatis. Institutio importat ut in gradu quis sit constitutus ab Apostolo aliquo , vel eo qui ab Apostolo quopiam potestatem acceperit ; secus ne materialis quidem successio habebitur ;

cum in hoc casu novus hierarcha nec immediate nec mediate cum Apostolis connecteretur. Secundo ordinatio legitima: non enim potest institutio fieri per simplicem deputationem; sed debet intervenire ritus a Christo institutus. Quandoquidem legimus (Act. XIII, 3) ipsum Paulum non sine certo ritu impositionis manuum fuisse ordinatum. Et idem Apostolus propterea ait Timotheo (II Tim. I, 6): *Admoneo te ut resuscites gratiam quae est in te per impositionem manuum mearum.* Et (I Tit. IV, 14) *Noli negligere gratiam quae est in te, quae data est tibi cum impositione manuum presbyterii.* Denique requiritur adhaesio ad centrum commune unitatis: quod intelligitur tum ex parte ordinantis, tum ordinati. Nam hierarchia spectata in successorum serie et fluxu non est nisi continuatio hierarchiae fundatae in Apostolis. Ergo sic se habere debet in successoribus, quemadmodum se habuit in Apostolis, ad hoc ut Christi consilio faciat satis, et hierarchiam apostolicam vere repraesentet. Sed hierarchia in Apostolis, ut alias dictum est, involvit adhaesionem ad centrum, tum quatenus Apostoli essent ipsi hierarchae, tum quatenus alios hierarchiae aggregarent. Igitur.

Quod ad vim spectat apostolicae successionis, liquet ex dictis, ipsam secum trahere totam quanta est apostolicitatem. Vidimus enim non aliter haberi apostolicitatem originis, fidei et communionis, quam per successionem, atque hanc esse medium a Christo institutum ad illa obtinenda. Si ergo medium est, et utpote a Christo institutum, effectu frustrari non potest; ea quidem posita, necessario debent caetera omnia supponi. Hinc est cur tanti veteres successionem fecerint, eaque perpetuo usi sint ad omnes de vera et falsa religione lites componendas, nec non ad veram Ecclesiam demonstrandam, uti productis Patrum sententiis superius ostendimus. Et merito quidem: nam successio ostendit apostolicitatem: non potest autem in aliqua ecclesia inveniri apostolicitas, quin inveniatur uni-

tas quoque et sanctitas etc. ac quin illa sit vera Ecclesia: secus Apostolorum successio, quaeque ipsi sunt adnexa, in falsa Ecclesia reperirentur. Ergo.

Postremo quod attinet ad usum, animadvertimus sufficere ut inveniatur in aliqua ecclesia successio centri unitatis, ut tota successio apostolica ibi vigeat. Centrum enim unitatis nequit inveniri separatum et divulsum a tota successione apostolica; sicut Petrus non poterat esse separatus a collegio Apostolorum; ac praeterea diximus totam successionem, ut talis sit, debere complecti adhaesionem ad centrum unitatis a Christo institutum.

LECTIO IX

Protestantium hypothesis de extraordinariae missionis possibilitate refellitur.

Quo plenius clariusque vis constabiliatur adstructorum principiorum, iuverit priusquam ad alia gradum faciamus, conferre cum iis quae de successione docuimus, heterodoxorum doctrinam circa *extraordinariam missionem*. Perspicuum est ad eam confugisse adversarios ut defectum missionis in suis sectis obtegerent, qui quidem est manifestus ob carentiam qua laborant legitimae successionis. Ex eorum itaque sententia quando status Ecclesiae ita habet, ut vel nulli possint vocatione ordinaria ad ecclesiasticas functiones obeundas constitui; vel qui sunt constituti, aut haberi ad usum nequeant, aut fidei morumque vitiis sint infecti, adeo ut et ipsi sint inemendabiles, et meliorum vocatio ordinaria non inveniat locum; tunc nihil vetat quo minus illi qui non sunt ordinarie vocati munia docendi et sacramenta administrandi obeant. Immo addunt in eo Ecclesiae statu teneri quemvis in conscientia, vi communis christianorum omnium vocationis, pro viribus Ecclesiae munia administrare. Id

vero aiunt contigisse in Luthero et Calvino, qui praeterea occulto divino motu, atque ita extra ordinem, ad Ecclesiae reformationem suscipiendam sint excitati. (1)

Verum quam absona sit huiuscemodi hypothesis, pronum est demonstrare. Imprimis enim ex modo dictis tunc ea locum habere posset, quando cessaret in Ecclesia apostolica successio, vel potius non foret amplius successio formaliter apostolica, sed corrupta et depravata. Verum superiore lectione fuit ostensum successionem apostolicam atque missionem nec materialiter nec formaliter, attentis Christi promissionibus, posse in Ecclesia deficere. Ergo perabsurde invehitur possibilitas missionis extraordinariae. Quod confirmatur ex illo Pauli (Ephes. IV, 11. seqq.) quo Christus dicitur dedisse Ecclesiae apostolos, prophetas, evangelistas, pastores et doctores *ad consummationem sanctorum*, *in opus mysterii*, *in aedificationem corporis Christi*, *donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei*, *in virum perfectum*, *in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. Si ergo heic mediata seu ordinaria vocatio pastorum et doctorum duratura praedicitur donec corpus Christi mysticum plene fuerit exaedificatum; profecto nunquam habere possunt locum novi apostoli, doctores et pastores qui priorum defectum aliquando suppleant.

Verum secundo pugnat adstructa hypothesis cum principio ab adversariis usque ad nauseam recantato nihil esse in religionis negotio admittendum quod perspicue in sacris litteris non contineatur. Doceant enim in quonam novi aut veteris Testamenti loco sive doctrina illa de missione extraordinaria, sive illa extraordinaria Lutheri, Calvini, aut aliorum quorumcumque reformatorum inauguratio possit reperiri. Si autem nihil huiusmodi in ss. lit-

(1) Cf. Walemburchios *Tract. VIII de missione protestant.* c. V.

teris occurrit, mirum quod velint sine fundamento Scripturae totam publicae fidei et religionis summam aliquorum arbitratui plane committi.

Tertio obiicimus cum Walemburchiis nonnulla axiomata quae sunt naturaliter omnibus comperta, et ex quibus totidem conclusiones adversus hypothesim adversariorum fas erit eruere. Sunt autem I. Omnis lex ita perspicue proponi debet, ut ab iis quos obligat, facile possit intelligi. II. Quaecumque pendent ab arbitrio alicuius hominis certo sciri non possunt; nisi is in cuius arbitrio sunt, mentem suam declaraverit. Multo minus sciri possunt quae mere sunt arbitrii divini, nisi tantum ex divina revelatione. III. Cuicumque summa aliqua potestas, sive rex aliquis, aut princeps vices suas in curando quodam negotio concedit, siquidem hic debeat fungi recte officio suo, ipsum simul instruat necesse est eiusmodi indiciis, unde alii quibuscum agendum aliquid venit, facile possiat scire voluntatem istam summae potestatis. IV. Si fieri possit ut unus aut alter mentita persona munus sibi legati aut vicarii summae potestatis usurpet, necesse est ut eadem singillatim et nominatim designet quem ex omnibus velit fungi vicario munere. V. Quo negotium aliquod est maioris momenti, eo delegatus aut vicarius principis oportet ut magis certis et firmis documentis sit munitus: adeoque si princeps ipsemet testimonium proprincipi aut legato suo dandum, non possit ore omnibus quorum interest significare, oportet idipsum faciat saltem datis eidem patentibus litteris.

Quae cum ita sint, facile est contra extraordinariam missionem adversariorum sic eadem perstringere. Si Deus voluisset et quidem sub periculo aeternae damnationis ut christiani agnoscerent aliquem ex praetensis reformatoribus tamquam extra ordinem vocatum ad restaurandas Ecclesiae collapsae ruinas; hanc suam voluntatem ita perspicue proponere debuisset, ut possent eam omnes habere com-

pertam. Sed nihil tale contigit in Luthero aut Calvino, vel ullo ex reliquis sacrorum, quos vocant, emendatoribus. Igitur etc. Insuper, si Deus voluisset ut christiani omnes obedirent Luthero aut Calvino, vel alii cuivis in negotio praetensae reformationis; eos instruxisset certissimis testimoniis, quibus de divina vocatione et missione ipsorummet constare posset. Sed nullum talibus veluti publicis et patentibus litteris insignivit. Ergo.

Antecedentia horum argumentorum tum ex praiactis principiis, tum ex pluribus aliis capitibus sunt evidentissima. Quis enim est qui negare possit oportere ad divinam missionem probandam certissima testimonia? Secus daretur locus universali fanatismo: ac quilibet posset insurgere, et se divinitus missum venditare ad reparandas Ecclesiae ruinas. Quis est qui ignoret non aliter quam editis illustribus miraculis missionem fuisse confirmatam tum Mosis, tum Prophetarum et Apostolorum de quibus legimus (Marc. XVI, 20) *illi autem praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis*. Denique quis nesciat Christum ipsum in sua extraordinaria missione usum fuisse miraculis aliisque perspicuis characteribus, ad quos propterea sic provocavit saepius, ut nollet sibi fidem adhiberi nisi veri illi reperirentur? Quomodo ergo absque eiusmodi indiciis poterit ullius ex reformatoribus extraordinaria vocatio teneri? An ii maiores sunt Moyse, Apostolis, Prophetis, Christo ipso, qui nihilominus ad fidem sibi conciliandam prodigia adhibuerunt?

Adde quod nunc temporis tanto maior sit necessitas illorum documentorum: cum primo iam sciamus conclusum canonem novi Testamenti; unde nulla esse potest in animis fidelium expectatio alterius cuiuspiam revelationis. Ex alia parte nihil saepius praemonent Scripturae novi ipsius Testamenti quam ut caveamus a falsis prophetis et doctoribus qui post publicatum evangelium sint exori-

turi. Igitur quanto magis cavere debemus ne a seductoribus fallamur, tanto luculentioribus signis sit instructus necesse est qui, ex hypothesi, Dei nomine extraordinariam suscipiat missionem. Propterea cum tot sibi ab aetate praesertim Lutheri hanc sibi vocationem extra ordinem arrogaverint, puta Calviniani, Anabaptistae, Sociniani etc. et eorum doctrinae sint invicem oppositae, adeoque non possint esse simul verae; etiam ex hoc capite opus est indiciis evidentibus quibus pateat quid populus christianus sequi possit, aut quem. Sed nihil tale reperitur apud reformatores quoslibet, qui nihil aliud solent opponere quam internum et ipsis solis notum Dei instinctum. Ergo.

Haec adeo perspicua sunt, ut ipsi adversarii perviderint futilitatem suae doctrinae. Quamobrem nisi sunt internum illum instinctum aliquot externis indiciis sustentare, quae quatuor potissimum recensent. Primum statuunt puram praedicationem verbi Dei; seu doctrinae conformitatem cum scriptis Apostolorum: deinde donum dicendi ac docendi; tertio donum imperterritae in vera Dei doctrina constantiae: ac denique mirabilem et inexpectatum reformationis successum. At enim quam haec signa aequivoca sint et nullius frugis, patet ex eo quod praedicatio divini verbi ipsamet signo egeat, ut quae sincera sit et conveniens doctrinae apostolicae cognoscatur, ac praecise hoc ipsum sit quod in omni religiosa controversia inter Ecclesiam dominantem et sectas rebelles, vel inter sectas invicem in quaestionem veniat. Deinde eiusmodi signum possunt indifferenter sibi usurpare Novatores quicumque, ex quibus nemo est qui non iactet puritatem doctrinae. Unde iam inde a sua aetate aiebat s. Hilarius (lib. III ad Constant.) *Memento neminem haereticorum esse, qui se nunc non secundum Scripturas praedicare ea quae blasphemat, mentiatur.* Praeterea si pura praedicatio verbi Dei signum infallibile est extraordinariae missionis, li-

cebit universis ministerium assumere in Ecclesia et sacramenta administrare, modo pure praedicent verbum Dei, utpote eo ipso extraordinaria missione instructis. Hoc autem nolunt Protestantes per suas disciplinas ecclesiasticas. Ergo qui statuunt puram verbi Dei praedicationem signum vocationis extraordinariae, domesticas subvertunt disciplinas; vel aliud docent ut se quoquo modo adversus catholicos tueantur, aliud ut ordinem convenientem in suis ecclesiis observent.

Ineptius longe est alterum signum ab adversariis recensitum, positum in dono dicendi et docendi. Imprimis enim nullus est perspicuus Scripturae locus, ubi tale signum tradatur. Deinde vero quis non videat ex mera naturali aptitudine fieri posse ac saepe contingere, ut dicendi copia quispiam polleat, quin inde aliquid deduci possit pro veritate aut falsitate ipsius doctrinae; immo saepissime fieri videmus, ut impostores quique maxima dicendi arte sint instructi. Nec certe Christus eximios oratores in collegium Apostolorum cooptavit, vel Apostolos novimus laude humanae eloquentiae floruisse. Aut igitur Apostoli caruerunt uno ex essentialibus indiciis suae extraordinariae missionis; vel eiusmodi signum inter commentitia erit amandandum.

Superest reformationis successus. Verum perspicuum est successum praedicationis per se inspectum, seorsim scilicet a certis adiunctis, quae ipsum specificent, et a reliquis argumentis quae veritatem praedicationis probent, non posse sumi uti notam seu characterem divinae missionis. Si enim ita esset, evinceretur vera illorum vocatio qui primi idololatriam in orbem terrarum invexerunt; quandoquidem ea brevi totum mundum occupavit. Item vera missio Mahumetis, quoniam Islamismus incredibili celeritate magnam orbis partem invasit. Vera dicenda foret vocatio multorum haereticorum, ac praesertim Arii, cuius haeresis gregem christianum latissime infecit. Vera denique dicenda foret

missio Antichristi, cuius aetate, teste Christo Domino, casuri forent, si fieri posset, etiam electi. Igitur successus praedicationis alia exigit plane adiuncta, quae eo revocantur, ut ex iis pateat caussam propagationis nec fuisse, nec esse potuisse naturalem. Si enim non sit naturalis, propagatio a Deo auspice erit repetenda, qui certe errori ac fraudi velificare non potest. Age vero in re nostra nullum adiunctum est quod ostendat materialem propagationem protestantismi habuisse caussam supernaturalem; immo plurima adiuncta sunt quae perhibent eandem fuisse non modo naturalem, sed in ipsa pravitate humanae naturae positam. Et re sane vera nemo est qui ignoret iamdiu animos multis concurrentibus caussis ad illam protestantismi perniciem praeparatos fuisse atque dispositos.(1) Agebatur praeterea de reformatione, quae ad omnimoda u in moribus ac disciplina licentiam homines alliciebat, quae furtis, expoliationi bonorum ecclesiasticorum, quibus et principes et privati non pauci inhiabant, aditum aperiebat, quamque politica rationum momenta promovebant. Adde ingens esse discrimen inter introductionem novae religionis, veteri receptaeque omni ex parte contrariae, et corruptionem alicuius religionis sub falsis praetextibus, qualis reformatio lutherana fuit. Denique distinguendum est inter lutheranismum aut calvinianismum proprie dictum et protestantismum. Illi enim valde propagati non sunt, sed augustis limitibus sunt circumscripti, ac brevi in plures sectas sunt divisi. Alter vero cum non sit nisi negati-

(1) Cons. Bossuet, *Hist. des variations. liv. 1* — Bernini, *Storia di tutte l'eresie tom. IV.* — Zaccaria, *Antifebronio* tom. 1. lib. 1. — Cobbet *epist.* 1 — Certo vel ipse Hume qui nihil credebat, et neminem reverebatur, aperte fatetur: *Que le véritable fondement de la réforme fut l'envie de voler l'argenterie et tous les ornemens des autels* (Hist. d'Elisabeth trad. de l'anglais, ch. XXX.)

vus, nihil aliud importat nisi *magnam defectionem*, non autem *diffusionem* proprie dictam. (1)

LECTIO X

Proprietas Catholicitatis Ecclesiae vindicatur.

Circa catholicitatis conceptum consentiunt universi eam duplici veluti parte seu elemento constare, *materiali* atque *formali*. Iuxta partem materialem catholicitas importat diffusionem Ecclesiae per omnia loca et tempora, ac inter omnes gentes. Iuxta formalem dicit identitatem Ecclesiae quoad doctrinam, communionem, ac formam regiminis, seu internam et externam organissationem, respectu omnium locorum et temporum. Appellatur illa pars materialis, quia iuxta eam attenditur praesentia ut sic Ecclesiae in omnibus locis et quovis tempore. Altera formalis nuncupatur, quia eiusmodi identitas facit ut Ecclesia formaliter eadem ubique florescat, ac quavis aetate. Haec ipsa egregie expressit Lirinensis (Common. cap. III) inquiens: *In ipsa catholica Ecclesia magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc est enim vere proprieque catholicum.... Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos maiores ac patres nostros celebrasse manifestum est. Consen-*

---

(1) Cf. Spedalieri, *Analisi dell' esame critico del signor Nicola Freret.* cap. VII art. VIII, ubi quae hic innuimus dilucide accurateque evolvit.

sionem quoque si in ipsa vetustate omnium; vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur. Idem reliqui Patres de catholicitate decernunt : unde si generalius spectetur catholicitas , exhibito eiusdem conceptui plane est inhaerendum.

Verum ad dicendorum , perspicuitatem necesse est notionem catholicitatis paulo magis determinare, praesertim ex parte diffusionis. Bellarminus (de not. Eccl. lib. IV, cap. VII)cum Driedone (ap.eund.Bellar.loc.cit.) Melchiore Cano (de loc. lib.V.cap.VI) aliisque, animadvertit primo in hoc distingui Ecclesiam a synagoga Iudaica, quod haec esset alligata loco , tempori , et uni familiae, hoc est filiis Iacob ; Ecclesia vero non excludat ulla tempora, loca , et hominum genera : idque sumit ex s. Augustino (de unit. Eccl. cap. VI) Beda (in cant. cap. VI) etc. Secundo adnotat Bellarminus ex eodem s. Augustino (epist. LXXX ad Hesychium) ut Ecclesia sit catholica, non requiri ut existat in omnibus et singulis locis totius mundi, sed sufficere ut innotescat omnibus provinciis , et in omnibus fructificet ; ita ut in cunctis provinciis sint aliqui de Ecclesia ; donec enim hoc fiat , non veniet dies Domini , ut patet ex (Matth. XXIV , 14). Tertio , ait , non opus est ut ista Ecclesiae coexistentia in omnibus provinciis sit simultanea , adeoque uno tempore debeant in omnibus aliqui fideles necessario reperiri, sed satis est, si fiat successive ; nempe si fides singulas provincias progressu temporis occupet, sive tandem illae fidem retineant, sive non. Ex quo id sequitur , inquit , quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere et proprie diceretur Ecclesia catholica, dummodo ostenderetur eam esse unam et eandem cum illa quae fuit aliquo tempore vel diversis in toto mundo ; quemadmodum nunc quaelibet dioecesis dicitur catholica , quia est continuata cum aliis quae faciunt unam Ecclesiam catholicam. Postremo

monet, quod etsi Ecclesia non necessario debuit simul esse in omnibus locis, tamen hoc tempore necesse sit vel esse vel fuisse in maiori orbis parte. Nam Ecclesia, inquit, omnium consensu, etiam haereticorum, iam senuit. Si ergo in sua adolescentia et iuventute non crevisset, quomodo nunc in senectute cresceret?

Ut iudicium feramus de huiusmodi diffusionis modificationibus, sub oculos producenda sunt quae ex ss. litteris circa hanc Ecclesiae diffusionem occurrunt. Ita nihil arbitrario decernetur, neque videbimur rem nostris necessitatibus pro lubito coaptare. Ergo offert sese nobis primo series testimoniorum tum ex veteri tum ex novo testamento; quae certe exigunt maximam Ecclesiae diffusionem in omni loco et tempore. Hacc quidem testimonia in probationibus afferemus, atque illud maxime: *euntes in mundum universum*, etc. Confirmatur vero ex fine Ecclesiae praestituto, aliisque huiusmodi quae ibidem proferentur. At vero ex adverso Apostoli non debebant partiri sibi provincias gentilium, nisi aliquamdiu in Iudacorum conversione desudassent. Praeterea ipsorum praedicatio non poterat esse simultanea in omnibus orbis partibus, ac peragi debebat persuasionis ope. Unde non potuit Ecclesia statim a suis primordiis externam nancisci catholicitatem, seu universalem diffusionem; neque sic instituta a Christo fuerat, ut eam ab initio nancisceretur. Quid ergo? Vigebat tum in ea catholicitas essentialis et intrinseca; destinatio scilicet huius Ecclesiae ad occupandum totum orbem: missio quam cum ipsa institutione accepit prospiciendi saluti totius mundi, insita vis et energia qua ferebatur necessario ad se diffundendum, et pro ea aetate iam praestabat. Exemplum habes in ingenti arbore, quae cum primum e solo germinat, est quidem exigua; et tamen quisque in ea spectat proceritatem ad quam suapte natura festinat.

Neque dicas: eo igitur tempore Ecclesiae catholicitas

latebat. Nam 1. nondum primaeva illa aetate grassari coeperant haereses, ob quas oporteret Ecclesiam catholicam a sectis distingui. 2. Cognosci poterat Ecclesiae catholicitas in ipsa efficaci tendentia et aptitudine ad se propagandum; praesertim cum prima illa aetate frequentissima essent miracula aliaque charismata Spiritus Sancti, et Ecclesiae activitas foret efficacissima. 3. Poterat catholicitas adaequate cognosci in persona Apostolorum. Nam ex una parte ipsi identificabantur cum Ecclesia quam fundaverant, et quae ipsis adhaerebat; et ex alia cum essent iidem praesides Ecclesiae, gerebant et praeseferebant ipsius missionem catholicam; nec dubium esse poterat an ex veritate praeseferrent. Denique suppleri poterat sufficienter catholicitatis character per reliqas proprietates, quae iam tum patebant.

Secunda modificatio depromitur ex (Matth. XXIV, 14) *Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio.* Hinc rite inferimus quod Ecclesiae diffusio ita generalis esse debeat, ut tamen det locum ulteriori usque, et successivae gentium nondum conversarum ad fidem adductioni. Nam Christus dicit nullam fore gentem cui non sit aliquando praedicandum evangelium; sed alioquin non ante conversum iri omnes et singulas gentes, quam mundi finis adveniat. Neque regeras laudata Christi verba posse intelligi de diffusione evangelii secutura in toto mundo, priusquam Hierosolyma exscinderetur. Nam, uti patet ex toto Matthaei contextu, et ex loco parallelo Marci (XIII, 5 seqq.) quae heic Christus de excidio hierosolymitano disserit, ita attemperata sunt, ut grandiori licet proportione aeque conveniant excidio universali totius mundi. Sane Christus ita ibi disserit, ut quae asseruerat de excidio urbis, subinde commemoret quasi pronuntiasset de mundi exitu. Cum igitur haec ita sint; nil mirum si effato illi Christi duplex obiectum, sive dupli-

cem terminum subiiciamus utrumque proprium et directe intentum. Nam Christus praedicit non ante evertendam civitatem, quam Apostoli se diffudissent et fructificassent inter gentes, ut ita cognito evangelio, aequitas agnosceretur poenae Iudaeis contumacibus inflictae: et item sub typo huius eventus, praenuntiat non ante mundum esse conflagraturum, quam ad omnia et singula orbis loca lux evangelica pertingat; ut tanto aequius videatur iudicium, quod e vestigio mundi ruinam excipiet.

Confirmatur tota haec doctrina ex Apostolo qui (Eph. IV, 11. seqq.) satis aperte innuit successivum hoc Ecclesiae incrementum iis verbis: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos... ad consummationem sanctorum in opus mysterii, in aedificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.* Et (v. 16) *ex quo* (Christo capite) *totum corpus compactum et connexum augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate.* Clarius idem loquitur (I Cor. XV, 24 seqq.) ubi affirmat tunc futurum finem cum Christus evacuaverit *omnem principatum et potestatem, et posuerit omnes inimicos sub pedibus suis.* Insuper idipsum tradit (Rom. XI, 25) *Nolo enim vos ignorare fratres mysterium ... quia caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret*; nimirum non esse convertendos Iudaeos nisi prius gentilibus omnibus aditus evangelii sit patefactus. Scimus autem Iudaeos non esse ad fidem adducendos nisi in mundi exitu: unde ad eam usque aetatem gentilium conversio perget peragi. Postremo attendenda est in re huiuscemodi oeconomia praedestinationis ad fidem a Deo electa, iuxta quam non omnes efficaciter aut proxime vocari debeant. Unde non mirum si nunquam interim nationes desint quibus evangelii lumen nondum affulserit, seu quibus vocatio proxima non sit concessa. Quo etiam

Deus assequitur ut homines conspecto praesenti idololatriae statu pluris suam fidem aestiment, et vehementius caveant ne ea orbentur. Ecclesiae etiam activitas operosior conservatur in infidelium conversione procuranda etc. Ob haec igitur aliaque huius generis non est de ratione catholicitatis, ut Ecclesia ita occupet simultanee totum orbem, ut nullus successivo incremento sit locus: neque mirandum si plures paucioresque videre sit regiones infideles, quibus Christi fides nondum sit annuntiata.

Tertia modificatio respicit possibilem defectionem a fide aliquot aut plurium provinciarum. Videndum nimirum an posteaquam semel Ecclesia, ut sub Apostolis contigit, pleramque orbis partem occupaverit, possit plus minusve per populorum defectionem a vera fide, coarctari. Circa haec animadverte imprimis ex characteribus essentialibus rei cuiusque quosdam esse indivisibiles, alios vero divisibiles, et qui gradus admittant. Ita in Ecclesia apostolicitas, unitas, ac sanctitas sunt indivisibiles, nec dantur, ut quisque perspicit, in eisdem gradus. Non ita porro catholicitas ex parte diffusionis, quae potest extendi et coarctari, in eodem tamen genere catholicitatis. Ratio est quia tres priores proprietates attingunt partem formalem Ecclesiae, intrinsecam eius formam, organissationem et constitutionem. Contra diffusio, sarta tectaque manente interna Ecclesiae perfectione, respicit materialem eius extensionem; quae certe extensio non est huiusmodi, ut si tanta parte mulctetur, iam intrinsece vitietur Ecclesiae conceptus. Secunda ratio inde manat, quod diffusio isthaec sit nimium connexa cum voluntate hominum: nam ex eorum cooperatione pendet, ut nolint ab errore abduci et deficere. Quid proinde opus esset, ut catholicitas diffusione etiam maneret immutabilis? Profecto ut omnes donum perseverantiae in fide haberent; ut ecclesiae etiam particulares non possent in haeresim aut schisma incidere; quod certe nemo non videt absonum esse. Est etiam

connexa illa diffusio cum omnibus politicis vicibus terrarum orbis, quas constat valde influere in statum religionis, et quae alioquin vitari nequeunt, quin immutari fingatur ille ordo providentiae, qnem a Deo novimus in rebus esse constitutum. Denique diffusio illa implicita est et cohaeret cum dispositione morali et politica hostium fidei, qui plus minusve possunt ac solent technas in Ecclesiae incolumitatem moliri.

Fateor haec omnia potuisse arceri per Dei omnipotentiam. Sed imprimis promissiones non sunt huiusmodi, ut restrictiones ex ipsa rei natura pullulantes non capiant; neque tales ut tot ac tanta miracula supponi debeant, et ordinis providentiae ingens adeo conversio. Id patet quia complexus testimoniorum quae possunt adduci, veritatem sententiae moraliter retinere comperiuntur etiam admissis illis modificationibus. Secundo promissiones illae eliduntur quoad sui omnimodam intensitatem aliis Scripturarum sententiis, quae praenuntiant schismata complura in Ecclesia et defectiones futuras. Re enim vera Apostolus (I Cor. XI, 19) universim pronunciat: *Oportet et haereses esse, ut et et qui probati sunt manifesti fiant in vobis.* Quod respondet sententiae Christi (Matth. XVIII, 7) *Necesse est enim ut veniant scandala.* Speciatim vero (II Tim. IV, 3) Apostolus idem vaticinatur inquiens: *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Haec sive admonitio sive querimonia reperitur centies apud Paulum et alios Apostolos, qui etiam plurium haeresum suo tempore grassantium mentionem faciunt. Christus quoque inobedientes publicanis accensendos declarat. Itaque quod universim dari possint defectiones, adeoque Ecclesiae in ipsius extensione diminutiones, dubitari nequit.

At enim dices: nondum in specie liquet quousque pro-

gredi possit eiusmodi quae adstructa est possibilis defectio, qua enimvero in re cardo difficultatis consistit. Bellarminus, uti paulo ante adnotavimus (loc. cit.) existimat: *quod si sola una provincia retineret veram fidem, adhuc vere et proprie diceretur Ecclesia catholica, dummodo clare ostenderetur eam esse unam et eandem cum illa, quae fuit aliquo tempore, vel diversis in toto mundo, quemadmodum nunc quaelibet dioecesis dicitur catholica, quia est continuata cum aliis quae faciunt unam Ecclesiam catholicam.* At enim quo plenius de re huiusmodi iudicemus, arbitramur distinguenda esse tempora. Si agatur de mundi fine, certum videtur futuram esse tunc maximam coarctationem catholicitatis, seu extensionis Ecclesiae. Etenim (Luc. XVIII, 3) Christus arrepta occasione ex oratione, cuius necessitatem inculcabat, addit in mundi exitu vix futuros qui orent, quippe pauci reperientur fideles: *Cum venerit filius hominis, putasne inveniet fidem in terra?* Idem ait (Matth. XXIV, 24 — Marci XIII, 21) tantam fore tribulationem dierum illorum, totque praestigias editurum esse Antichristum, ut breviandi sint dies illi propter electos, et ut in errorem inducendi sint, si fieri possit, etiam electi. Qui autem ita loquitur, profecto innuit nonnisi paucos falsis Antichristi prodigiis restituros esse, quibus utique continebitur Ecclesia Christi. Paulus etiam (II Thessal. II, 3) loquitur de ingenti quadam antonomastice sic dicta discessione (ἀποστασία) sub Antichristo eventura: *Nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati* etc. De hoc ergo tempore non videtur dubia assertio. Quoad antecedentes aetates autumamus nunquam neque in materiali diffusione permissurum Deum, ut ulla secta praevaleat Ecclesiae Christi. Etenim quod futurum est tempore Antichristi praedictum est saepius a Christo et ab Apostolis, ut possent homines sibimet ab errore cavere. Si ergo de aliis aetatibus non fuerit tale quidpiam praenun-

tiatum, id indicio est quod non sit unquam futurum. Deinde probatur experientia. Ut enim in applicatione notarum ostendemus, nunquam Ecclesia catholica, quam veram esse demonstrabimus, non habuit praevalentiam diffusionis supra sectas omnes nedum seorsum, sed simul sumptas.

Ut hactenus disputata in summam redigamus, constat 1. Ecclesiam in suo ortu non potuisse potiri omni externa evolutione. 2. Eandem successive fuisse atque esse Ecclesiae obtinendam; habita nimirum ratione decreti Dei, et adiunctorum omnium iuxta quae debeat attemperari. 3. In hoc ipso aetatum fluxu ac proprio respondente incremento, esse Ecclesiae diffusionem vicibus obnoxiam propter defectiones; ita tamen ut ipsa in se maneat semper catholica, nec ullatenus haec ipsius proprietas intrisece laedatur. 4. In ipsa huiusmodi externa sui corporis coarctatione, excepto casu Antichristi, semper Ecclesiam retenturam esse praevalentiam supra caeteras sectas, saltem seorsim sumptas. 5. Caeterum praecisione etiam facta ab hac materiali praevalentia, Ecclesia semper distingui poterit a quavis secta, semperque praeseferet indolem catholicitatis. Nam semper in omnibus sectis potest ostendi mutua doctrinae dissensio, quae tollit diffusionem materialem, et dissensio ab Ecclesia Christi semel diffusa in toto orbe, quo catholicitas formalis excluditur. Contra in vera Ecclesia potest ostendi mutua membrorum consensio in eadem docrina, et item consensio cum Ecclesia universali, ita ut religio isthaec appareat religio omnium temporum et populorum, et quae fuerit propria Apostolorum etc. Nec quidquam aliud sequetur ex defectione etiam plurimorum, nisi quod haec Ecclesia Christi passa sit vicem aliquam in externa diffusione, quin intrinseca ipsius catholicitas ullatenus vitiaretur.

Post prolixam adeo conceptus catholicitatis explanationem, vix non supervacaneum existimes argumentis huius-

modi proprietatem Ecclesiae vindicare. Verum ne pars ulla lucis in his commentariis desideretur, ita ex veteri ac novo Testamento argumentamur. I. Ecclesia est subiectum benedictionum Abrahae. Sed hoc subiectum in vaticiniis prophetarum dicuntur esse omnes gentes. Ergo Ecclesia debet coalescere ex omnibus gentibus. Maior patet: nam benedictiones Abrahae sunt bona per Christum parta: sed haec Christus in ipsius emolumentum deposuit in manu Ecclesiae. Ergo ipsa est subiectum benedictionum Abrahae. Minor probatur ex (Gen. XII, 3—XXII, 18) *In semine tuo benedicentur omnes gentes; omnes tribus terrae* etc.

II. Ecclesia est Christi haereditas. Sed Christi haereditas complectitur omnes populos, iuxta illud (Ps. II, 8) *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Ergo.

III. Ecclesia est regnum, sive dominium Christi. Sed Christi dominium est universale, prout dicitur (Ps. VII, 8) *Dominabitur a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum... Coram illo procident Æthiopes, et inimici eius terram lingent.* Item (Ps. LXXI, 9) *Regnum eius regnum omnium saeculorum.* Ergo.

IV. Ecclesia est congregatio illorum qui ad Christi praedicationem Deo adhaeserint etc. Sed tales dicuntur fore omnes gentes (Ps. XXI, 28) *Reminiscentur. et convertentur ad Dominum universi fines terrae. Et adorabunt in conspectu eius universae familiae gentium.* Igitur etc.

V. (Malach. 1. 11 seqq.) praedicitur offerendum sacrificium inter gentes ab ortu solis usque ad occasum. Sed tale sacrificium non potest habere locum nisi in vera Ecclesia. Ergo.

Ex novo foedere I. Ecclesia gerit ex alias dictis ipsam Christi missionem: sed missio Christi erat catholica; er-

go et Ecclesiae. Et quia ex demonstratis superius sit oportet efficax, debet etiam consequi realem diffusionem seu catholicitatem.

II. Verba Christi (Matth. XXVIII, 30) ad Apostolos : *Euntes in mundum universum* etc. aeque pertinent ad successores Apostolorum, sive ad Ecclesiam regentem in quacumque aetate. Sed eadem verba exprimunt missionem catholicam, quae, uti diximus, efficax est supponenda. Ergo Ecclesia quoque habet hanc missionem, adeoque sit oportet universalis.

IV. Vi unitatis. Nam nisi Ecclesia sit catholica, vel non prospiciet toti orbi, vel non poterit esse una. Sed et debet omnibus consulere, et nonnisi una Ecclesia potest consistere. Ergo una eademque Ecclesia debet ubique reperiri.

V. Christus (Marc. XIV, 15) praedicit evangelium suum praedicatum iri *in universo mundo*, quod et repetit (Luc. XXIV, 45—Act. I, 8). Iam inde vero a Christi aetate Marcus (XVI; 20) exhibet Apostolos praedicantes *ubique*. Et s. Paulus (Rom. XI, 8) *Et quidem*, ait, *in omnem terram exivit sonus eorum*, *et in fines orbis terrae verba eorum*. In epistola vero ad Coloss. (1. 6) loquens de evangelio testatur, quod *in universo mundo est, et fructificat et crescit sicut et in vobis*. Igitur etc.

Patrum sententia in eandem rem est explorata, ex quibus Iustinus (in dial. cum Tryph.) contendit ad Christum eiusque Ecclesiam pertinere prophetarum oracula, quibus gentium ubique terrarum ad Deum conversio praedicitur, et reipsa in Christi Ecclesia nacta esse suum effectum. Irenaeus (lib. I adv. haer cap. X. n. 1) scribit: *Etenim Ecclesia tametsi per universum orbem usque ad extremos terrae fines dispersa, fidem eam ab Apostolis eorumque discipulis acceptam, quae est in unum Deum* etc. Tertullianus (lib. V contr. Marc. cap. XXI) in medium allato Apostoli testimonio de e-

vangelio: *quod pervenit usque ad vos, sicut et in totum mundum*; pergit: *Nam si iam tunc traditio evangelica ubique manavit, magis quam omnis haeretica, nedum Antoniani Marcionis, nostra erit apostolica . . . Eam enim et sic constabit esse quae prior mundum replevit, illius scilicet Dei evangelio, qui et haec cecinit de praedicationibus eius; in omnem terram exivit sonus eorum, et in terminos orbis verba eorum.* Similiter disserunt Cyprianus (lib. de unit. Eccl.) Hieronymus (contr. Lucifer.) Pacianus (epist. I ad Sympron.) Cyrillus Hierosol. (catech. XVIII) etc. Sed nefas est praeterire Augustinum qui ex professo hoc argumentum passim versat contra Donatistas (lib. de unit. Eccl. a cap. VII, n. 12) *Tenenda est nobis*, inquit, *christiana religio, et eius ecclesiae communicatio quae catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque haeretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.* Idem (tract. III. in ep. Ioan.) *Tenemus*, ait, *haereditatem Christi; isti* (haeretici) *eam non tenent: non communicant universitati redemptae sanguine Christi.* Quibus accinens Optatus Milev. (lib. II. c. Parmenian.) *Si apud vos*, inquit, *tantummodo Ecclesiam esse vultis; apud nos non erit, nec in Hispania, in Italia, in Gallia, in Graecia, nec per tot innumerabiles insulas, et caeteras provincias, ubi vos non estis. Ubi ergo proprietas catholici nominis, cum inde Ecclesia dicta sit catholica, quod ubique diffusa?*

LECTIO XI

Ecclesiam essentialiter sanctam *esse*, *et quidem multiplici sanctitatis specie*, *demonstr..tur.*

Innumera prope sunt quae ostendunt ab Ecclesia Christi nullatenus removeri posse proprietatem universim sanctitatis. Ac I. quidem Ecclesia teste Apostolo (Eph. I, 23) est corpus Christi; et proinde tamquam capiti adhaerens, ex ipsoque percipiens iugem sanctitatis influxum. Sed corpns Christi nequit non esse sanctum, et tanto dignum capite. Ergo Ecclesia necessario pollere debet proprietate sanctitatis. II. Ecclesia, ex pridem dictis, Christi in terris vices agit, eius personam gerit, et Apostolorum continuat missionem. Sed nequiret gerere Christi personam, et Apostolorum fungi missione, nisi foret sancta. Igitur. III. Ecclesiae finis est, ex demonstratis, ad salutem veramque sanctitatem universas gentes adducere. Iam vero nequit huic ipsa fini satisfacere, nisi intrinsecus sit sancta. Qui enim sanctitatem communicet, nisi eandem habeat? Ergo. IV. Ecclesia, ex dictis, debet identificari cum Ecclesia apostolica: sed nemo dubitare potest quominus Ecclesia apostolica esset sancta. Ergo. V. Vi unitatis quae competit Ecclesiae, habetur mutua actio animae in corpus, et corporis in animam de qua superius est dictum. Sed ex hac mutua actione resultat, uti vidimus, vita Ecclesiae tum interna tum externa, tum sancta in se, tum sanctitatis caussa. Ergo.

Praeterea diserte Paulus(Eph.V,26)inquit: *Christus dilexit Ecclesiam et tradidit semetipsum pro ea, ut illam sanctificaret... et exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi.* Quis porro dicat irritam potuisse concidere hanc Christi tanto pretio comparatam intentionem? Item Paulus Eph.I,4) ait: *Elegit nos ut essemus sancti et immaculati.*

Et (Tit. II, 14) *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.* Quibus patet scopum immediatum passionis Christi hunc fuisse, ut posset sibi constituere talem Ecclesiam et talem populum. Si proinde Ecclesia non sit sancta, nihil Christus erit sua passione consecutus. Denique huc pertinent quae leguntur (Cant. IV, 7-12) *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Hortus conclusus, soror mea sponsa, fons signatus... puteus aquarum viventium*; et alia passim. Ob haec igitur aliaque huiusmodi quae possent congeri, impossibile est concipere Ecclesiam Christi, quae sanctitatis proprietate non instruatur. Idque adeo evidens est, ut nulla sit secta quae non profiteatur Ecclesiam Christi sanctam esse. (1) Et certe absurdissimum forct id inficiari: nam qni contenderet Ecclesiam non debere esse sanctam, contentum se exhiberet Ecclesia intrinsece improba; et nihilominus per eandcm affirmaret quaeri posse salutem, immo esse quaerendam.

Haec cum ita sint, superest ut inquiramus cuiusmodi in specie sit haec sanctitas quam Ecclesiae adscripsimus. Dicimus imprimis competere Ecclesiae sanctitatem existentiae, scu originis et institutionis. Nam ex dictis, debet Ecclesia esse illa eadem quam Christus instituit, seu habere debet institutionem Christi, et originem seu fundationem Apostolorum. Iam vero institutio Christi et Apostolorum fundatio nequit non esse sancta. Ergo competit Ecclesiae sanctitas existentiae seu institutionis; quae quidem redditur in Ecclesia agnoscibilis per hoc ipsum quod ei vindicatur apostolicitas originis.

(1) Id enim enunciant confess. Helvet. poster. cap. XVII; prior. art. 14; Belgica art. 28; Basileens. art. 5; Bohemica art. 8; Augustan. art. 7; Saxonica art. 12; Catech. gall. *Dom.* 5; Catech. Heidelberg. q. 25; Ursinus *Dom.* 21. q. 54 §. 4. etc.

Secundo debetur Ecclesiae sanctitas essentiae, ut sit nimirum sancta in ipsa substantia suae essentiae entitative spectata. Etenim Ecclesia quoad essentiam debet semper esse illud morale compositum quod Christus instituit. Sed hoc compositum, cum sit opus Christi, eiusque ideae archetypae partus, necessario sanctum sit oportet. Ergo. Hanc sanctitatis speciem illa eadem produnt, quae ostendunt Ecclesiam habere in se eam constitutionem quam Christus invexit. Scilicet si ostendatur talem Ecclesiam esse non materialiter modo, sed formaliter apostolicam; evincitur intentum.

Tertio competit Ecclesiae sanctitas fidei, communionis et regiminis, seu hierarchiae. Siquidem denegari illi nequit apostolicitas fidei, communionis, et successionis. At fides identica fidei Apostolorum; itemque communio et successio apostolica nequeunt non esse sancta. Igitur. Hinc innotescit satis esse ostendere triplicem illam apostolicitatem, ut demonstretur sanctitas doctrinae, communionis et hierarchiae. Quamobrem, ad doctrinam speciatim quod attinet, non est necesse examen internum instituere, ut de eius sanctitate iudicetur; neque comparatio ulla, quae caeteroquin aequivoca semper foret, erit ineunda, sed unice quaerendum num sit apostolica. Item ad probandam eorum qui praesint Ecclesiae hierarchicam sanctitatem, de eorum moribus non opus est esse sollicitos; sed satis est vestigare num formalem retineant successionem apostolicam. Si enim hoc habent, successione sancti sunt, et sanctam constituunt Ecclesiam regentem; sicut etiam sancti sunt fide et communione. Et hoc habent inquantum Ecclesiae hierarchae, quod sufficit. Si vero ipsi sint forte mali, hoc individuis uti talibus est adscribendum.

Quarto adiudicari debet Ecclesiae sanctitas finis. Quippe ipsius finis idem est ex dictis ac quem sibi Christus praestituit, et cui Apostoli adlaborarunt; hic vero fuit san-

ctissimus ; ergo. Cum itaque tantundem sit habere finem apostolicum, ac missionem apostolicam; evidens est hunc sanctitatis modum cognosci in ipsa apostolicitate successionis et missionis.

Quinto tribuenda est Ecclesiae sanctitas mediorum, quae praesertim sunt praedicatio et administratio sacramentorum. Si enim est propria Ecclesiae apostolicitas successionis et missionis, est etiam propria Ecclesiae copia ipsa mediorum quibus erant instructi Apostoli. Sed haec sancta fuerunt, et praecipue sita erant in praedicatione sancta, et sacramentorum administratione. Ergo. Item si debetur Ecclesiae sanctitas finis, negari ei nequit sanctitas mediorum. Interim ex his discis ad huius sanctitatis cognitionem pervenire per ipsam apostolicitatem missionis: nec propterea sunt in quaestionem directe adducenda sive praedicatio, sive numerus et natura sacramentorum.

Sexto adscribi debet Ecclesiae sanctitas vitae internae, itemque externae, sive activitatis, et quidem operosae, foecundae, atque thaumaturgae. Primum est evidens, nam Ecclesia nequit privari sua anima, fide nempe, spe et charitate. Porro ea posita, iam habetur vita interna. Item nequit orbari unitate, ex qua, uti vidimus, idem habetur effectus. Alterum evincitur 1. ex eo quod si Ecclesia habeat sanctitatem vitae internae, necessario resultare debeat sanctitas vitae externae quae est illius sequela, et ex dictis alias in tribus illis est posita. Item cum Ecclesia gerat missionem Apostolorum, competit ei habere activitatem Apostolorum. Sed activitas Apostolorum erat sancta in sensu triplicis illius proprietatis. Ergo. Proinde vides etiam haec tria patere posse ex ipsa apostolicitate successionis, cui sunt ita adnexa, ut vel neutra, vel utraque debeant locum habere.

Interim advertesis accuratius vim positae illationis. Si ideo Christus successionem instituit Apostolorum, ut obtinere pergeret illos fructus quos per Apostolos conseque-

batur; non potest activitas Ecclesiae ab illa Apostolorum substantialiter differre in operositate et foecunditate, sine qua fructus commemorati non colliguntur. Porro si par esse debet in foecunditate, media habeat illa oportet quibus ad foecunditatem instructi erant Apostoli. Age vero inter haec eminebant prodigia: ergo neque haec ab Ecclesiae ministerio abesse possunt. Atque ut plenius prodigiorum necessitas intelligatur; ea in Apostolis valebant 1. ad conversionem hominum; itemque 2. contestabantur vitam spiritalem internam qua fruebantur Apostoli: 3. commendabant apud ipsos fideles eorum missionem et auctoritatem. Ita igitur Ecclesia eget prodigiis ut fideles ad fidem adducat, et ut iuge divinitatis suae existentiae testimonium apud ipsos suos filios habeat. Si enim utraque res fuit necessaria Apostolis, est etiam necessaria Ecclesiae quae iisdem officiis fungitur. Nihilominus recolendum est quod copia prodigiorum non servet quavis aetate parem proportionem. Cum enim haec habeant rationem medii in ordine ad gentium conversionem et ad testificandam divinitatem Ecclesiae; sequitur ea aetate debuisse esse frequentiora, qua plura exigebantur ad utrumque finem expressum. At nunc vera fides manifestior facta est per triumphum fere ubique de idolatria relatum; per Ecclesiae Christi mirabilem propagationem et conservationem; iusuper per tot prodigia quae in sinu ipsius iampridem sunt gesta. Mirum igitur esse non debet si prodigia haec sint nostris temporibus prae aevo Apostolorum infrequentiora.

Ut quisque perspicit, recensitae hactenus species sanctitatis sunt plane independentes ab actibus individuorum; et praeterea inseparabiles ab Ecclesia, quamdiu illa perseveret. Immo etiam nequeunt ullatenus minui aut remitti, quin ipsa integritas essentiae Ecclesiae, quacum sunt arctissime connexa, vitietur. Restat tantummodo inquirendum, an praeter huiusmodi sanctitatis species, quas vocare licet essentiales, necessaria quoque sit sanctitas personalis indi-

viduorum. Ad quam dubitationem 1. dicimus non posse concipi Ecclesiam Christi quae non habeat plura membra in individuo sancta. 2. Horum numerum nec determinatum esse posse, nec invariabilem. 3. Eorum sanctitatem ex communibus Ecclesiae notis et proprietatibus esse diiudicandam. Quod ad 1. attinet, patet assertio 1. Nam Ecclesia non debet esse efficax tantum quoad convertendos infideles, sed etiam quoad suos filios sanctificandos, utpote quoad utramque partem succedit Apostolis. Si autem nulli vel fere nulli extent filii sancti, iam deprehendetur quoad hanc partem inefficax. Secundo finis Ecclesiae est ut homines sanctificet. Si ergo nulli vel fere nulli de facto sanctificarentur, frustraneus esset ille finis, nec Christus quidquam, saltem tali aetate, ex facta Ecclesiae institutione assequeretur. Tertio irritus omnino concideret influxus descendens a Christo capite iugiter in Ecclesiam. Quarto omnia Ecclesiae membra essent mortua, proinde totum corpus esset mortuum: caritas quae praecipue pertinet ad animam Ecclesiae, omnino exularet etc.

Secundum quod non omnes, neque tantus determinate numerus debeat adesse iustorum, patet 1. quia id neque in Ecclesia apostolica est habitum, in qua promiscue et indeterminate vivebant peccatores, quos Apostoli reprehendunt, iusti, et egregie sancti. Insuper ipse Christus descripsit toties Ecclesiam suam uti indeterminate coalescentem ex ovibus et hoedis, ex paleis et frugibus, ex bonis et malis piscibus: atque insuper docet venturos angelos in die iudicii ut colligant de regno eius omnia scandala. Huc etiam faciunt quaecumque dicta in secunda sectione sunt de peccatoribus ad Ecclesiam pertinentibus. Et in his omnibus non invenitur ulla determinata proportio malorum et bonorum; neque aliunde ex divinis pollicitationibus aut Ecclesiae instituto potest repeti. Hoc unum fas est legitime inferre, non ita paucos eiusmodi esse posse, ut contemni numerus relative queat. Porro hunc numerum diximus esse variabilem. Patet ex

praecedentibus : si enim non est determinatus , nil refert si amplificetur , aut usque ad certos limites imminuatur. Caeterum hac quoque in re attendenda sunt temporis et aliorum generum adiuncta : cum his enim relationem habent hominum voluntates ; neque Deus ostendit velle se efficaciter gliscentium scandalorum semper influxum cohibere. Alioquin vero contra pravos mores quorumcumque ex suis filiis semper praescribit Ecclesiae doctrina apostolica , si vere illa Ecclesia Christi est. Unde qui mali sunt, eatenus tales extant , quatenus non se illi conformant ; et si ei se subiicerent contrarium contingeret. Ipsi igitur mali sunt , et Ecclesia sancta perseverat.

Quoad tertium, distinguendum est in sanctitate individuorum factum a iure. Factum sub oculos cadit, vel ex historiis desumi potest. Ius vero non est diiudicandum ex intrinsecis rationibus, sed ex praesentia, siqua sint, miraculorum; praesertim vero ex doctrina ac sensu verae Ecclesiae. Si nimirum incurrat dubium num hoc atque illud ad sanctitatem spectet vel impietatem, videndum est apud quam Ecclesiam stet apostolicitas doctrinae , et inde lis dirimetur.

LECTIO XII

Ex Ecclesiae proprietatibus ad eiusdem notas inferendas fit gradus : ac primum nonnulla de notis generatim adnotantur.

Iam alias monuimus notas Ecclesiae non esse nisi ipsas eiusdem proprietates, prout externe innotescunt : quam ob rem non immerito ex proprietatum expositione notarum tractationem heic inferimus. Atque ut universim de ipsarum natura et existentia nonnulla adnotemus , imprimis dari notas verae Ecclesiae perspicuum est. Etenim si extat aliqua vera Christi Ecclesia , non potest non se externe manifestare. Si enim extat, visibilis illa est , et habet in-

trinsece quidquid suae Ecclesiae Christus habendum destinavit. His autem positis, nequit non deprehendi eius veritas, quia nequit non extrinsecus patefieri quidquid in ea delitescit. Secundo si existit vera Ecclesia, ea in bonum hominum debet existere; quoniam ex dictis ad hunc finem fuit a Christo condita. Igitur debet esse omnibus hominibus agnoscibilis; quando omnibus ipsa est unicum salutis medium constituta. Nequit autem esse omnibus agnoscibilis, nisi habeat indicia externa sufficientia: ergo. Tertio id vero eo magis proditur necessarium, quo nulla est secta quae sibi non arroget nomen et possessionem verae Ecclesiae Christi: unde nisi certa sint indicia ad veritatem dignoscendam, perpetua ambiguitas universos occupabit. (1) Postremo Christus Ecclesiam suam

---

(1) Apposite pius et doctus card. Hosius, *de confessione fidei catholicae cap. XX: Quoniam*, inquit, *fieri videmus, quod sicut Scripturas et eorum verum intellectum sibi falso arrogant haeretici, ita et Ecclesiae nomen, cuius auctoritate se premi videant, sibi temere et impudenter usurpant;... illud nobis dicendum restat, quibus notis Ecclesia, quae domus est Dei vivi, ab ea quam odivit Deus, ecclesia malignantium, discerni recte possit.* Et deinde sapienter addit: *Neque vero novum hoc est, quod qui hostes Ecclesiae sunt, ipsi dici et videri volunt Ecclesia: et Irenaei et Tertulliani temporibus factitatum hoc legimus. Sic enim de sui temporis haereticis scribit Tertullianus*: Faciunt favos et vespae, faciunt ecclesias et Marcionitae (*lib. cont. Valent.*) *Lactantius quoque scribit quod singuli quique coetus haereticorum se potissimum christianos, et suam esse catholicam ecclesiam putant (lib. IV, cap. III div. instit.) Et ante eum Cyprianus de Novatiano memoriae prodidit, quod more simiarum, quae cum homines non sint, homines imitantur, cum ipse in ecclesia non esset, imo adhuc insuper contra ecclesiam rebellis extitisset, hoc sibi vindicabat, ut apud se ecclesiam esse diceret, ac nos haereticos faceret (in lib. ad Iubaian.); et, qui secutus utrumque videtur, Hilarius narrat de Antichristi synagoga, quod se Christi ecclesiam mentiabatur (lib. ad Constant.) Idem faciebant Augustini temporibus Donatistae* (*De unit. Eccl.*) *Suo*

parem dixit esse civitati in excelso positae; lucernae super candelabrum sitae etc: Sed huiusmodi non foret, nisi per externas notas tuto posset cognosci: Igitur.

Hinc est quod neque Protestantes unquam inficiati fuerint necessitatem, sive notarum existentiam; sed tantum litem moverint de earum numero et qualitate. (1) Cum igitur id ita habeat, congruum est, ut supposita necessitate notarum, ad earum naturam constituendam gradum faciamus, quo tuto quaenam pro notis Ecclesiae habenda sint decernatur. Natura igitur notarum pendet ab earum fine. Si notis ideo indigemus ut per eas possit agnosci vera Ecclesia; profecto tale aliquid debent esse notae, quod praestet indicium certum verae Ecclesiae. Ad hoc autem requiritur 1. Ut eiusmodi indicium sit externum seu sensibile, secus non reddit Ecclesiam externe agnoscibilem. 2. Opus est ut sit proprium et non commune; hoc est ut neque ex se, neque opinione aliorum ulli alii societati competere possit quam soli verae Ecclesiae. Ut sit notius ea re cui indicio esse debeat. 4. Ut tale sit respectu omnium; quandoquidem diximus notas omnium usui esse debere. 5. Ut sit permanens et ab Ecclesia in-

---

quoque saeculo fuisse scribit Bernardus quosdam, qui se vocabant apostolicos, *qui se ecclesiam esse dicebant, sed contradicebant ei qui dixit*: non potest abscondi civitas supra montem posita. *Quorum temeritatem imitati sunt proximis superioribus saeculis pauperes de Lugduno, sive Picardi., Wicleffitae, et alii id genus haeretici: qui et ipsi sibi sicut sanam doctrinam, ita ecclesiae auctoritatem arrogant.*

(1) Specimini sit Apolog. confession. August. art. 4. § 144. in qua legimus: *Ecclesia non est tantum societas externarum rerum, sicut aliae politiae, sed principaliter est societas fidei, spei et Spiritus Sancti in cordibus, quae tamen habet* externas notas, *ut cognosci possit.* etc. Colovius autem *in synops. controv. disp.* XXXIII *thes. XIV* scribit: *quaestio de notis ecclesiae, et quaenam sit vera ecclesia, non est inutilis, sed maxime necessaria, atque utilissima.*

separabile, quamdiu ipsa perduret: nam quamdiu eadem perdurat, debet esse agnoscibilis. (1)

Quae cum ita habeant, sequitur notas ita definiri posse ut sint: *Externi et permanentes characteres, per quos ab omnibus indubie vera Ecclesia cognosci possit.* Hac autem posita notarum definitione, quae deprompta est ex ipsa rei natura, quaeque simul notarum conditiones essentiales exprimit, iam fas est decernere quaenam notae reiiciendae sint ex albo verarum notarum, quaenam vero sint adstruendae. Protestantes a nulla re magis abhorruerunt, quam ut in notarum numero ponerent *unitatem*, *apostolicitatem*, *catholicitatem*, *sanctitatem*; tametsi has suggerat articulus symboli Constantinopolitani: *Credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam*; ac caeteroquin easdem, ut sunt Ecclesiae proprietates, adversarii ultro ipsimet adscribant. Ratio cur ita se gerant heterodoxi est in promptu, utpote probe sentiunt non posse se in propriis communionibus existentiam illarum notarum demonstrare. Ipsis igitur reiectis, Lutherus (in lib. de concil. et Eccl.) septem notas recenset: 1. veram et incorruptam praedicationem evangelii. 2. Legitimam administrationem baptismi. 3. Legitimum usum Eucharistiae. 4. Legitimum usum clavium. 5. Legitimam electionem ministrorum, qui doceant, et sacramenta ministrent. 6. Orationem pubblicam et psalmodiam et catechismum, sed lingua quae intelligatur ab omnibus. 7. Mysterium crucis, idest, tribulationes intus et extra, ita ut intus sit moestitia, pusillanimitas, terrores; foris paupertas, contemptus, et ut habeantur ab hominibus haeretici, cacodaemones, catharmata. Caeteri Protestantes consueverunt duas tantum notas proponere, quae complectuntur primas quinque Lutheri, idest praedicationem sin-

(1) Cf. Bellarminum *de Eccl. mil. lib. IV, cap. II.*

ceram verbi Dei, et sincerum usum sacramentorum; et ex his duabus quaelibet secta nititur probare apud se esse veram Ecclesiam. Ita docet confessio August. art. 6. et apolog. eiusdem; item Brentius in Confess. Wirtembergensi (cap. de Eccl.); et Ioannes Calvinus (Institution. lib. IV, cap. I §§ 9-11). Magdeburgenses (centur. I. cap. IV, et alibi passim) praedictis duabus addunt alias notas, quae possunt revocari ad quintam et septimam Lutheri, idest constantiam in confessione fidei, sive perseverantiam; et obedientiam erga ministros verbi, quatenus verbum ipsum administrant.

Omnes eiusmodi notae quam futiles sint, et scopo inopportunae, nullius momenti est demonstrare. Etenim imprimis nulla ex his notis declarat certo et evidenter quinam sint electi vel iusti. Ergo, iuxta principia Protestantium, nulla ex illis notis ostendit quaenam sit vera Ecclesia. Consequentia patet: siquidem per adversarios vera Ecclesia constituitur ex solis electis, aut ad summum ex solis iustis. Cum igitur illi characteres non demonstrent electos aut iustos, nec demostrant Ecclesiam.

Deinde quoad praedicationem, huc redeunt quae nuper advertebamus cum sermo esset de extraordinaria Protestantium missione. Siquidem notae propriae sint oportet et non communes. Sed praedicatio est communissima omnibus sectis, saltem opinione ipsarum. Quae enim secta unquam fuit quae non diceret se habere sinceram praedicationem veritatis, et ideo reliquas communiones proscriberet, quod eas affirmaret a recto veritatis tramite aberrasse? Certe s. Augustinus (contr. epist. fundam. cap. IV) dicit catholicam quidem Ecclesiam multis facile cognosci; sed haereticos nihil habere nisi veritatis pollicitationem, idest quod apud se sit vera et sincera praedicatio.

Praeterea notae debent esse notiores ea re cuius sunt notae. Iam vero adversarii non volunt solum externam prae-

dicationem verbi esse notam Ecclesiae, sed praedicationem et receptionem. Ibi enim dicunt esse veram Ecclesiam ubi praedicatur, auditur, et creditur verbum. At quis nosse potest ubi vere credatur verbum? Praeterea etiam de externa praedicatione procul dubio notius est quae sit vera Ecclesia, quam quae sit vera praedicatio verbi; nam id ab Ecclesia discimus, ut Irenaeus, Tertullianus, Augustinus, et caeteri Patres docent. Sane Irenaeus (lib.III adv.haer.cap.IV) *Quid enim,* inquit, *et si de aliqua modica quaestione disceptatio orta fuisset; nonne oporteret in antiquissimas recurrere ecclesias, et ab eis sumere de praesenti quaestione quod certum et re liquidum est?* Tertullianus (lib. de praescript.) *Quid,* ait, *praedicaverint Apostoli, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt: si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis ecclesiis apostolicis, et matricibus, et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, reliquam vero omnem de mendacio praeiudicandam.* Id etiam ratione ostenditur. Nam vera praedicatio, est praedicatio et interpretatio verae Scripturae divinae: quae sit autem vera Scriptnra, et qnis eius verus sensus, non possumus scire, nisi ex testimonio verae Ecclesiae, ut Augustinus docet (contr. epist. fundam. cap. V, et lib. de utilit. credend. cap. XIV) ac nos inferius ex professo ostendemus. Ergo.

Denique potest aliqua Ecclesia particularis in errores incidere et deficere a recta praedicatione, quin desinat esse pars verae Ecclesiae universalis, modo bona fide errorem admiserit, et parata sit discere, et obtemperare iudicio Ecclesiae universalis. Contra haberi potest pura doctrina et omnis erroris expers in ecclesia falsa; nam schismatici puri, ut olim Luciferiani et Donatistae; initio integram habent doctrinam, et tamen sunt extra Ecclesiam. Igitur

in utramque partem constat sinceram praedicationem non esse characterem verae Ecclesiae.

Iisdem argumentis, ut superius etiam innuimus, refutatur secunda nota posita in administratione sacramentorum. Primo enim sibi eam omnes arrogant. Nam, ut omittam catholicos, calvinistae ideo separati sunt a Lutheranis, quod utrique putarent se solos habere verum sacramentum Eucharistiae: Anabaptisae autem separati sunt ab utrisque, quia se solos putabant habere verum usum baptismi. Praeterea Pelagiani habebant omnia sacramenta, et similiter omnes schismatici. Secundo legitimus usus sacramentorum minus notus est, quam sit Ecclesia. Nam ille est legitimus sacramentorum usus, qui est conformis Scripturae, ut adversarii docent: Scripturae autem pendent ab Ecclesia, non contra, ut saepe diximus: ergo. Reliquae notae scilicet oratio publica, psalmodia, et catechismus lingua vulgari nec egent refutatione, cum per se constet quam seipsis aequivocae admodum sint, arbitrariae, et communissimae. Item lutheranum illud crucis mysterium non potest admitti, nisi velimus hoc ipso dicere quod quaevis latronum et pessimorum hominum faex et colluvies Ecclesia Christi sit existimanda. Obedientia quae praestetur verbi ministris per se nihil decernit, nisi aliunde antecedenter constet num qui sibi munus praedicandi sumpserint, veri evangelii ministri et legitimi Apostolorom successores extent. Denique nil caeteris praestat constantia in verae fidei confessione usque ad mortem. Primo enim non magis nota est confessio verae fidei, quam vera Scripturae praedicatio, et legitimus sacramentorum usus. Deinde hanc notam videre est in omnibus sectis. Sic Montanistae valde gloriabantur de suis martyribus, ut patet tum ex Eusebio (lib. V H. E. cap. XVIII) tum ex Tertulliano (in lib. de fug. in persecut.) quem scripsit iam montanista factus, obiciiens catholicis quod male agerent fugiendo. Item Massaliani apud Epiphanium (haer.

LXXX) ideo dicti sunt etiam martyriani, quia gloriabantur valde de numero suorum martyrum. Idem de Donatistis constat, de quibus s. Augustinus (epist. LXVIII) *Vivebant*, inquit, *ut latrones, honorabantur ut martyres*. Ac denique reliqui quos recenset Bellarminus (lib. IV de not. Eccl. cap. II).

At enim pro prima et altera ex repudiatis notis nonnulla congerunt adversarii, quae ad haec maxime revocantur. Inquiunt itaque (Ioan. X, 27) legimus: *Oves meae vocem meam audiunt*. Ergo ibi est Ecclesia, ubi auditur verbum Dei. Item (Eph. V, 27) *Mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*. Ergo si Ecclesia mundatur verbo, ubicumque est verbum mundans, ibi est Ecclesia. Atque idem innui aiunt (Ioan. X, 35) *Illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est*. Et (ib. XV, 3) *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*. Quoad sacramenta, inquiunt, legitimum eorum usum, praesertim baptismi proponi, a Christo uti notam verae Ecclesiae, patet ex illis verbis: *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit*. Negari autem non potest ad veram Christi Ecclesiam eos pertinere qui salvantur. Igitur etc.

Resp. Universim haec loca non suppeditare notas quibus vera Ecclesia cognosci possit, sed tantum docere quid competat etiam invisibiliter verae Ecclesiae, atque iis qui ad eandem pertineant. Sic primum testimonium non docet ubi sit Ecclesia, sed quinam sint electi, nimirum qui corde perseveranter audiunt, et retinent verbum. Cum autem non possit sciri, quinam corde audiant, non potest haec esse visibilis nota Ecclesiae, sed est nota unicuique, ut saltem coniecturaliter cognoscat suam electionem.

Secundus locus nihil probat: nam illa mundatio est invisibilis, nec Paulus ibi vult docere quae sit vel ubi sit Ecclesia, sed quid boni Deus contulerit Ecclesiae.

Tertius minus etiam ad rem facit. Primo quia ibi dicun-

tur dii soli principes quibus Deus aliquid commisit ; id enim est fieri ad aliquem verbum Dei. Secundo quia verbum Dei non facit deos , si tantum praedicetur , sed si recipiatur et credatur. At hoc invisibile est , ut patet.

Quartus locus est similis secundo , atque exprimit Ecclesiam fieri mundam per verbum coram Deo, non autem eo effici nobis manifestam.

Non aliter respondendum de sacramentis. Siquidem illa Christi verba ; *qui crediderit* etc. exprimunt quidem ad salutem requiri veram fidem et legitimum baptismum, sed quae sit vera fides , ac quinam legitimus baptismus non docent , sed aliunde supponunt dignoscendum.

Instant : saltem sententia Patrum catholicis adversatur. Nam 1. Chrysostomus (Hom. XLIX in Matth.) scribit : *Qui ergo vult cognoscere quae sit vera Ecclesia Christi , unde cognoscet nisi tantumodo per Scripturas ?* 2. Cui consonans s. Augustinus dicit (epist. CV. al. CLXVI, n. 14) *In Scripturis discimus Christum, in Scripturis discimus Ecclesiam.* Et clarius(lib. de unit. Eccl. cap. II) *Quaestio,* ait, *inter nos versatur, ubi sit Ecclesia: quid ergo facturi sumus ? In verbis nostris eam quaesituri, an in verbis capitis sui D. N. I. C ? Puto quod in illius verbis eam quaerere debemus , qui veritas est , et optime novit corpus suum.* 3. Accedit ratio; utpote Scriptura seu verbum Dei notius certe est Ecclesia, quae per Scripturam probatur.

Resp. Ad 1. nego. Adducta enim verba non sunt s. Ioannis Chrysostomi, sed incerti auctoris, ac referuntur ad tempora Antichristi. Siquidem ibi pseudochrysostomus nititur ostendere in tanta rerum perturbatione quantam facient falsa prodigia Antichristi , nullam aliam viam superfuturam ad agnoscendam veram Ecclesiam , quam sacram Scripturam , cum in ea tunc defuturum dicat donum miraculorum, et haeretici cuncta quae verae Ecclesiae sunt, sint

sibi vindicaturi. (1) Ad duas Augustini sententias distinguimus earum sensum. Censet s. doctor ex Scripturis cognosci posse Ecclesiam mediate; *Conc.* immediate; *Neg.* Non ea est mens Augustini ex Scriptura probari ubi sit Ecclesia, quasi ex nota verae Ecclesiae, seu quasi ipsum verbum Dei in Scripturis contentum et eius praedicatio possint esse nota Ecclesiae; sed quatenus Scriptura docet quaenam sint notae, dum docet qualis illa sit, ubi coeperit, quomodo et per quos creverit, etc.

Ad 3. cum Bellarmino (loc. cit.) simpliciter respondeo Ecclesiam esse priorem et notiorem, quam sit Scriptura. Nam Ecclesia fuit ante Scripturam, et ipsi data est Scriptura a Deo, et ipsa eam aliis tradit et explicat. Nihilominus si Scripturae novi Testamenti sumantur mere uti sunt historica monumenta; possunt nobis, prout nuper ex s. Augustino animadvertimus, indicare notas ex quibus deinde fas sit discernere veram Ecclesiam. Item aliquando ex hypothesi notior est Scriptura quam Ecclesia, quando scilicet Scriptura est recepta, et clare loquitur, et oritur quaestio de ipsa Ecclesia. Sicut interdum e contrario Ecclesia est recepta et nota, et quaestio oritur de Scriptura; et sic unum probatur ex altero: verbi gratia quando disputabatur de baptismo haereticorum, quia Scriptura obscure loquitur, et Ecclesia nota erat, Augustinus probabat secundum Scripturas baptismum haereticorum ratum esse, quia Ecclesia illum habet pro rato. Contra cum disputabatur de Ecclesia, an esset in sola Africa, quia Scripturae receptae erant apud Donatistas, et clare loquebantur; inde Augustinus adversarios refellebat. Et haec sit satis innuisse, cum de iisdem non ita post sit recursurus sermo. Concludimus disputationem testimonio ipsius Guillelmi Palmerii

(1) Cf obiectum locum in edit. opp. s. Chrysostomi Parisiensi Sebast. Nivelli an. 1581 tom. 2. col. 992.

qui (in op. alias cit. de Eccl. Chr. part. I cap. II) respuit recensitas superius Protestantium notas, et eam praesertim quae collocatur in *veritate doctrinae*, cum maxima hominum pars idonea non sit ad examen istud instituendum, et alioquin quaelibet secta contendat se tenere orthodoxam Christi doctrinam.

LECTIO XIII

Ostenditur unitatem, apostolicitatem, catholicitatem, sanctitatem veras esse Ecclesiae notas.

Reiectis heterodoxorum notis, plures pauciores que numerare consueverunt catholici. S. Augustinus (contr. epist. fundam. cap. IV) sex notas posuit. S. Hieronymus (contr. Lucifer. in fin.) duas. Vincentius Lirinensis (in suo commonit.) tres. Ex recentioribus alii sex, alii decem aut duodecim. Bellarminus vero (loc. cit. cap. III) quindecim adstruit. Sed iam plerique quatuor statuunt, quae continentur in articulo symboli Constantinopolitani, quem diximus: *credo unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam*. Et merito quidem cum caeterae omnes commode possint ad quatuor huiusmodi, nimirum *unitatem, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem* revocari. Priusquam tamen has esse veras Ecclesiae notas ostendere aggrediamur, tria veluti fundamenta praestruenda videntur. Primum est proprietates Ecclesiae essentiales praeter statum internum in genere proprietatum, habere etiam necessario statum phoenomenicum externum, quo forinsecus manifestantur. Sane proprietas unitatis sita est in unitate fidei, communionis et hierarchiae. Iam vero haec necessario debent externe innotescere. Nam si omnes unam intrinsece fidem tenent, una etiam omnium necessario erit externa confessio. Si omnes iisdem obtemperant pastoribus, eandemque habent participationem sacramen-

torum, haec occulta esse non possunt, cum actibus externis contineantur. Hierarchia etiam est aliquid externum; unde nequit possideri eius unitas, quin externe id patescat. Idem dic de apostolicitate. Hanc enim vidimus constringi ad legitimam ex Apostolis successionem: haec porro etiam est aliquid externum: ergo. Catholicitas importat ut Ecclesia visibilis occupet visibiliter omnem locum per omne tempus, quare si vere Ecclesia est ubique diffusa, celari nequit eiusmodi proprietas. Denique sanctitas ex dictis inter caetera involvit sanctitatem activitatis externae, operosae, foecundae, et thaumaturgae. Sed in his externa manifestatio continetur: igitur. Patet itaque quod assumpsimus, internas Ecclesiae proprietates forinsecus necessario emicare; ita ut siqua Ecclesia illas habeat, necessario earum externas manifestationes habere debeat.

Secundo observandum est quod cum proponimus loco notarum *unitatem*, *apostolicitatem* etc. loquimur praecise de Apostolicitate, unitate etc. quae sint illa ipsa expressio internarum proprietatum, quam nuperrime necessario fieri vidimus. Non igitur intendimus loqui de qualicumque apostolicitate aut unitate etc. sed de ea quae identificetur cum proprietate respondente, sive quae sit ipsa proprietas, ut externe se manifestat. Quod si forte quaeras quomodo in praxi verificatur hoc ipsum, ut habeantur notae identicae cum proprietatibus; dico id contingere si inveniantur in notis illa ipsa quae continentur respective in proprietatibus, adeoque illa omnia externe sub oculos nota constituat, quae ipsa proprietas in semetipsa complectitur. Si enim tantundem exhibet nota sensibiliter, quantum proprietate continetur, profecto ipsa nota nequit aliud esse, quam internae proprietatis naturalis expressio.

Hoc igitur posito principio, iam tertii fundamenti loco possumus determinare conceptum singularum notarum, quemadmodum eas spectamus, ut nempe sint totidem internarum proprietatum expressiones. Itaque proprietatem uni-

tatis complecti diximus unitatem fidei communionis et hierarchiae: tria ipsa haec debes sensibiliter in nota deprehendere, ut illa nota unitatis habeatur, de qua nos loquimur, et quae vere nota dici potest. In secunda recensuimus apostolicitatem originis, fidei, communionis, et missionis. Totidem debent in nota apostolicitatis elucescere. Tertia constabat diffusione materiali per omnem locum et omni tempore; tum etiam identitate formali in eadem diffusione: idem dic de nota. Postremae adindicavimus sanctitatem existentiae, essentiae, finis, mediorum, vitae internae et externae. Eadem in nota opus est perspicere.

Hisce igitur praeiactis, pro veracitate nostrarum notarum hoc primum esto argumentum. Unitas, apostolicitas, etc. ut nos ex dictis accipimus, non sunt nisi proprietates Ecclesiae externe innotescentes. Ergo sunt verissimae Ecclesiae notae. Probatur consequentia: unumquodque enim nulla re melius manifestatur et distinguitur, quam per essentiales proprietates externe patescentes. Ergo si illae quatuor sunt proprietates essentiales forinsecus proditae, optime Ecclesiam manifestant. Sed si hoc, sunt optimae notae: ergo. Altera demonstratio sic habet. Unitas, apostolicitas, etc. implent amussim omnes notarum conditiones, quotquot ex rei natura derivavimus: ergo sunt verae notae. Sane notarum conditiones posuimus ut sint characteres *externi* seu *sensibiles*, *permanentes*, *proprii*, *notiores ea re cuius sunt notae*, *et omnibus agnoscibiles*. Iam per partes haec nostris notis vindicamus. Sunt characteres *externi* seu sensibiles. Nam ex dictis sunt ipsaemet proprietates externe patefactae. Sunt *permanentes*; ex eodem capite; quia nimirum identificantur cum proprietatibus, quae utpote essentiales, quamdiu Ecclesia durat, deficere non possunt. Sunt *proprii* et non communes, sicuti ipsae proprietates communes non sunt, sed propriae, et ideo dicuntur *proprietates*. *Sunt notiores re per eas manifestanda*; siquidem earum notitia praece-

dit cognitionem societatis quae sit vera Ecclesia. Praeterea posita illa identificatione notarum cum proprietatibus, tantundem est apprehendere notas in aliqua societate, ac praesentiam tenere in eadem proprietatum essentialium Ecclesiae. Sed posita hac praesentia, impossibile est ut non sit praesens ipsa vera Ecclesia; quandoquidem proprietates essentiales Ecclesiae non possunt ab ea avelli, nec extra eam reperiri. Ergo. Denique ostendendum quod sint omnibus dilucide *agnoscibiles*. Id ut pateat, imprimis distinguendum est ius notarum a facto earundem. Ius notarum importat ut sciatur quod illae et non aliae sint verae Ecclesiae notae, et quod talis ac non alius sit ipsarum conceptus. Factum vero attingit ipsam realem praesentiam talis notae in aliqua societate, et omnium conditionum quae ad eandem requiruntur. Utraque cognitio est necessaria ut veritas Ecclesiae inferatur. His praeiactis, quaeritur quomodo tale ius atque factum in omnium etiam rudium oculos possint incurrere. Respondemus imprimis supponendam esse Dei gratiam, et activitatem in dies magis se evolventem habitus fidei in baptismo accepti. Haec enim adminicula, ut hominem in vera Ecclesia existentem confirmant; ita eum qui extra sit, in dubium positivum et agnitionem falsitatis propriae sectae urgent: utrique enim magis minusve explicitam notarum apprehensionem et cognitionem suppeditant. Secundo quivis etiam rusticus potest perspicue, saltem negative, cognoscere quod in propria secta non sit unitas, neque apostolicitas etc. De unitate patet, quia videt in propria secta tot esse sententias quot capita; quia cernit dari optionem cuilibet explicandi Scripturam pro arbitrio; quia perspicit nullum dari auctoritativum et dogmaticum unitatis principium, quo illa conservetur etc. Quoad apostolicitatem, audit ab ipsis asseclis propriae aut aliarum sectarum assignari constanter epocham, locum, personas etc. per quas eiusmodi secta incoeperit. Nec videt esse solidum effugium ad Apo-

stolorum doctrinam. Tum quod absit, ut dictum est, unitas; tum quia nullo indicio suaderi perspicit illam revera esse Apostolorum doctrinam. Si autem videt abesse apostolicitatem, nec potest supponere catholicitatem, hoc ipso quod sua religio non complectatur omnia tempora; itemque novit certis limitibus eam definiri. Si non agnoscit suam religionem unam, apostolicam, et catholicam esse, nequit in animum inducere quod sit sancta; cum naturali iudicio cernat extra ecclesiam apostolicam veram sanctitatem non posse reperiri. Igitur de facto notarum, sive earum defectu in aliqua ecclesia, quisque potest fieri certior. Quod si quispiam sit adeo omnium rerum ignarus, ut nec ista apprehendat; non deerit Deus, si faciat ille quod est in se, eius ignorantiae prospicere.

Tertio ulterius dicimus posse unumquemque sufficienter apprehendere ius talium notarum. Quis enim non sentiat Christum non potuisse contradictoria docere; adeoque illam Ecclesiam quae contradictoria doceat non posse censeri Ecclesiam Christi? Item quis non cogitet veram Ecclesiam illam esse debere quam Christus instituit, nec posse eam esse quam Christus instituit, nisi sit apostolica; quando non aliam Christus fundavit Ecclesiam nisi apostolicam? Et ita dicendum de reliquis notis. Ergo ius ipsum, suffragantibus Dei gratia et aliis adiunctis, est omnibus sufficienter pervium.

Quarto saltem eiusmodi spontaneae animadversiones inducunt dubium, et imponunt obligationem investigandi ac quaerendi. Huic qui satisfaciat, et sincero animo rem scrutetur, certissime a Deo accipiet, ut vel per se ope gratiae, vel per idoneum explanatorem plene edoceatur.

LECTIO XIV

Nonnulla adnotantur , quae ex nuperrime instituta demonstratione inferuntur.

Ex disputatis de veracitate nostrarum notarum nonnulla eruuntur corollaria, quae ipsarum naturam ac vim magis magisque illustrant. Ac 1 quidem infertur futilem esse distinctionem a quibusdam theologis invectam in nota unitatis, quasi ea *positiva* non sit, sed *negativa*; talis nempe, ut si in aliqua societate desit, ostendat absentiam in eadem verae Ecclesiae; sed si adsit, non possit inferri illam pro vera Ecclesia habendam esse. Ratio est quia haec distinctio supponit quod unitas vera Ecclesiae possit inveniri in aliqua etiam societate, quae vera Ecclesia non sit; adeoque sit ambigua. Sed si rite concipiatur unitatis nota, et identificari cogitetur cum proprietate unitatis, nequit in eiusmodi societate reperiri nota unitatis, quin simul adsit vera Ecclesia; sicuti non potest aliqua proprietas ibidem reperiri, quin reperiatur Ecclesia.

Secundo apparet quinam ordo sit constituendus inter notas. Nimirum si notae non sunt nisi proprietates in statu externae manifestationis, sicuti proprietates reliquae profluunt ab unitate, ita et notae caeterae a nota unitatis proficiscuntur. Insuper sicuti proprietates invicem reciprocantur, atque una rite cogitata, cogitantur et aliae, idem contingit in notis, eo quod notae cum proprietatibus identificentur.

Tertio facile potest deprehendi quomodo se habeant notae ad Ecclesiam. Si enim notae sunt ipsae proprietates, sicuti proprietates consequenter se habent ad Ecclesiam in se seu abstracte inspectam, ita et notae. Et sicuti proprietates se habent antecedenter ad Ecclesiam spectatam in concreto (nam ex proprietatum cognitione arguitur subiecti existentis essentia); ita dicendum de notis. Cum vero

cognitio Ecclesiae abstracte spectatae repetatur ex Scripturis, ut sunt quaedam historica monumenta acceptis; si notae se habent consequenter ad Ecclesiam illo modo consideratam, a fortiori sic se habent ad Scripturas. Rursus quia se habent antecedenter ad Ecclesiam spectatam in concreto; pariter se habent antecedenter ad Scripturas inspectas uti libros divinitus inspiratos; quandoquidem hunc characterem illa Ecclesia vindicare ipsis debet, quae in concreto cognoscatur esse vera Ecclesia.

Quarto eruitur ex dictis qua in re liceat determinate contueri factum sive praesentiam notarum. Agimus heic non de iure nostrarum notarum, quod deductum iam fuit ex ipsarum definitione; sed loquimur de facto, quomodo nimirum possit quis agnoscere quod in tali societate vigeat vera unitas fidei, communionis et hierarchiae etc. Sentimus itaque factum notarum in quodam quasi speculo cerni a quovis adaequate posse in Ecclesiae hierarchia, dummodo ipsa esse deprehendatur qualem Christus instituit.

Probatur primo ratione generica: nam hierarchia, si est qualem Christus instituit, est ipsa continuata successio Apostolorum. Quo posito dicimus: praesentia hierarchiae in aliqua societate revelat praesentiam successionis apostolicae. Sed praesentia successionis apostolicae revelat praesentiam omnium proprietatum. Ergo. Sed in hac ipsa praesentia innotescente proprietatum habentur notae, quae sunt ipsae proprietates manifestatae. Igitur. etc.

Maior patet, quia assumpsimus veram hierarchiam esse ipsam successionem Apostolorum. Minor ostenditur: nam alias est probatum quod vigente successione, vigeant omnes proprietates; ea possessa omnes possideantur. Unde hac etiam patefacta, omnes patefiunt. Probatur secundo inductione singulari quoad omnes notas. Et quidem dupliciter, illatione et intuitione. Sane, quoad unitatem, si vigeat in aliqua societate hierarchia vere apostolica, in ipsa apprehenditur medium quod Christus instituit ad con-

tinendam et ostendendam fidei et communionis unitatem. Sed praesente hoc medio a Christo instituto, nequit non supponi unitas effectiva; secus Christi consilium inane concidisset. Ergo. Praeterea stante illa hierarchia, cernere est in tali societate omnem Ecclesiam fide et communione adhaerere suo particulari pastori, et hunc coniungi fide item et communione cum centro communi. Sed in hoc habetur unitas Ecclesiae. Ergo. Itaque intuitive etiam unitas agnoscitur in ordine ad hierarchiam. Et merito, cum haec sit forma et modulus unitatis.

Secundo consequitur nota apostolicitatis. Nam visa hierarchia apostolica, videtur ipsa Apostolorum successio vigens et praesens in tali societate. Sed ex dictis supra in successione Apostolorum perstringuntur et continentur omnia quae spectant ad apostolicitatem. Ergo tantundem est apprehendere hierarchiam, ac apprehendere in aliqua societate existentem totam apostolicitatem. Praeterea si habes successionem ex Apostolis; spectas in ea originem Ecclesiae apostolicam. Vidimus enim quod haec ita constituitur et ostenditur. Habes transfusionem fidei apostolicae; nam vidimus successionem esse medium quo habetur transfusio fidei et communionis apostolicae; etc.

Tertio clucet societatis cuiuspiam catholicitas. Nam visa hierarchia, proindeque apostolica successione, videtur coetus illorum qui haereditaverint missionem Apostolorum. Sed missio Apostolorum erat efficaciter catholica. Ergo etiam missio illorum qui tali praesunt societati, extabit huiusmodi. Sed non sic haberet, si Ecclesia cui praesunt non se extenderet ad omnem locum, et non sibi adnecteret omne tempus. Ergo. Praeterea diffusio in hoc videtur, quod ubique reperiantur per omne tempus greges coadunati pastoribus qui sint instituti ab uno centro unitatis. Identitas vero spectatur item in adhaesione gregum pastoribus etc.

Quarto innotescit sanctitas. Etenim visa hierarchia, proindeque apostolica successione, cernitur organum a Christo in-

terne et externe sanctificatum, ut valeret ad orbem terrarum sanctificandum: praesente autem hoc organo, non potest abesse ipsa sanctitas: ergo. Item si est successio apostolica; adest ille finis, illa copia mediorum, et illa activitas quae fuit propria Apostolorum. Sed finis media et activitas Apostolorum fuere sancta, illis sanctitatis modis quos supra expressimus. Ergo.

Ex his resultat quod in applicatione notarum hoc unum sufficeret, explorare praesentiam vel absentiam apostolicae hierarchiae. Hoc autem habetur si 1. constet de non interrupta successione materiali ex Apostolis, illis conditionibus quae antea sunt recensitae. 2. Si constet quod singuli successores perpetuo adhaeserint legitimo unitatis centro, nimirum successoribus Petri in fide et communione. Si haec duo habeantur, non est formidandum de adulterata fide, aut alio huiusmodi defectu, et agnosci illa potest pro vera successione apostolica. Nam si duo illa habeantur, habetur successio in ea forma quam Christus instituit, cui promisit suam assistentiam, quam reddidit organum indefectibile doctrinae et salutis. Hoc autem posito, non licet de ea dubitare. Cernis ergo successionem apostolicam; in hac caetera perspicis: universa igitur licet deducere.

Potest ulterius provehi haec nostra doctrina ut dicamus in sola successione pontificia haberi conspectum omnium notarum. Nam, ut antea diximus, successio centri unitatis involvit totam successionem apostolicam, quae est ab illa inseparabilis. Adeoque conspecto hoc centro in sui successione, conspicitur tota successio apostolica. Sed, ex dictis, per hanc omnes notae conspici possunt. Ergo et per successionem centri unitatis.

Postremo praestat advertere quod in uno tantum individuo quod constet pertinere ad veram successionem Petri, specimen haberi possit omnium notarum Ecclesiae. Nam in tali individuo, quod sciatur esse verus Petri successor, elucet necessario tota pontificia successio. Neque enim est

possibile, ut verus actu successor Petri reperiatur divulsus a tota eius ordinis successione; sicut impossibile est ut vera centri unitatis successio ulla vera sui actuali parte mulctari possit. Iam vero, ex nuper dictis in successione tota centri unitatis elucent omnes Ecclesiae notae. Ergo.

Quae cum ita sint, patet tantundem esse intueri regnantem PIUM IX, ac totam apostolicam hierarchiam contemplari; omnes notas et proprietates veluti quodam compendio in una persona constrictas persentiscere, et consequenter ipsam totam in sua existentia et essentia Ecclesiam speculari. Atque hoc etiam deprehenditur summum Pontificem vere Christi in terris personam gerere, quandoquidem certe in Christi ipsius persona, si mansisset hic adspectabilis, in quantum esset caput Ecclesiae, cernere fuisset notas, proprietates, existentiam, atque essentiam Ecclesiae.

Quinto, quoad genus demonstrationis quam notae suppeditant circa veritatem Ecclesiae, animadvertit Bellarminus (lib. IV de not. Eccl. cap. III) notarum munus non esse ut efficiant evidenter verum talem et non aliam societatem esse veram Dei Ecclesiam; sed tamen efficere id evidenter credibile. Etenim, inquit, evidenter verum dicitur quod vel in se, vel in suis principiis videtur; evidenter credibile illud dicitur quod non videtur nec in se, neque in suis principiis, habet tamen tot et tam gravia testimonia, ut quilibet vir sapiens merito id credere debeat; ut si iudex videat hominem a latrone occidi, vel vulnerari lethaliter, et postea mori; habet evidentiam veritatis quod ille latro sit homicida: si autem eadem fieri non videat, sed habeat viginti testes, viros gravissimos, qui dicant se vidisse, habet evidentiam credibilitatis. Dicimus ergo notas Ecclesiae, quibus utimur, non facere evidentiam veritatis simpliciter, quia alioquin nulli invenirentur, qui id negarent, sicut nemo invenitur, qui neget sententias quas mathematici demonstrant; sed tamen efficiunt evi-

dentiam credibilitatis, iuxta illud (Psalm. XCII, 5) *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Apud eos autem, qui admittunt Scripturas divinas et historias, ac Patrum veterum scripta, faciunt etiam evidentiam veritatis. Tametsi enim articulorum fidei veritas non possit nobis esse evidens absolute, tamen potest esse evidens ex hypothesi, idest supposita veritate Scripturarum. Quod enim a Scriptura evidenter deducitur, est evidenter verum, suppositis Scripturis.

Hactenus Bellarminus, cuius doctrinae, ut par est, subscribimus, modo in eum sensum sumatur, ut haec in rem praesentem rata habeantur. 1. quod per se notae non dent veritatis Ecclesiae evidentiam metaphysicam aut mathematicam, utpote sub earum influxu veritas Ecclesiae non patescit neque in se, neque in suis principiis aut caussis; sive neque cernitur Ecclesiae veritas per intuitionem ipsius essentiae, neque per inspectionem immediatam caussarum, unde eiusdem veritas resultet. 2. Quod nihilominus ex notis habeatur evidentia moralis etiam summa, quae nullam relinquat prudentem formidinem oppositi. 3. Quod notae per se sint independentes a Scripturis, saltem inspectis ut sunt libri divinitus inspirati, cum possit de eisdem constare nulla habita relatione ad ss. litteras eo gradu acceptas. 4. Quod tamen apud eos, qui Scripturarum divinam auctoritatem reverentur, ac sensum Patrum traditionalem suscipiunt, talis utriusque fontis divina contestatio fungetur respectu Ecclesiae vice principii, ut eius veritas teneatur; nec tantum sit evidenter credibile talem societatem esse veram Ecclesiam, sed etiam veluti ex suis caussis eiusmodi veritas demonstretur.

SECTIO IV

IN QUA NOTARUM APPLICATIO INSTITUITUR, ET EARUM OPE VERA ECCLESIA DETEGITUR, ATQUE A FALSIS HETERODOXORUM OMNIUM SECTIS DISCERNITUR.

Hactenus parti huius tractatus theoreticae adlaboravimus in abstracto de Ecclesiae institutione, natura, proprietatibus eius ac notis disputantes. Nunc vero partem practicam aggredimur; et ad fructum veluti tantarum vestigationum colligendum accedimus. Siquidem eorum ope quae disseruimus, duo illa assequi debemus ad quae totus praesens tractatus collineat, ut nempe sectae omnes a censu verae Ecclesiae Christi excludantur, et ut quae sit vera Christi Ecclesia constituatur. Atque ut perspicuitati consulamus, deinceps nomine acatholicorum intelligemus omnes societates ab Ecclesia romana separatas. (1) Huius vero nomine non intelligimus particularem ecclesiam quam rom. Pontifex immediate per se administrat, sed ecclesias universas quae cum romana communicant. Huc igitur tota quaestio adstringitur, num ulli familiae acatholicorum, num romanae Ecclesiae competant verae Ecclesiae notae; adeoque num romana communio, aut ulla communio acatholicorum censenda sit vera Ecclesia. Ac primo quidem acatholicorum coetus perlustremus; de quibus esto

---

(1) Quam merito sectas ab Ecclesia romana separatas hoc nomine distinguamus, non ita post innotescet. Non tamen dissimulamus adversariis id iam in more esse, ut suos coetus *ecclesiam catholicam* appellent. Ita passim se vocat ecclesia anglicana; multo vero magis ecclesia russica, aliaeque non paucae.

LECTIO I

Evincitur in nulla ex sectis acatholicorum notam unitatis locum habere.

Iuxta vindicata superius principia possemus totam caussam acatholicorum de possessione aut defectu notarum, uno hoc aut altero syllogismo expedire. Omnes notae, ex nuper demonstratis, ibi sunt, ubi adest apostolica hierarchia: sed in nulla secta acatholicorum viget apostolica hierarchia: ergo in nulla earum sectarum habentur notae. Item fas esset dicere: ibi notae vigere possunt, ubi viget pontificia Petri successio: sed haec nullatenus inter acatholicos reperitur: ergo.

Nihilominus directe et singillatim rem primo ostendimus de unitate. Sane in omnibus coetibus acatholicis desideratur unitas materialis et formalis fidei; et primo quidem unitas *antecedens*. Etenim, ex superius adnotatis, unitas fidei importat ut fides Ecclesiae esse debeat fides omnis antecedentis aetatis usque ad Apostolos et Christum; secus unitas non erit talis, ut sit catholica et apostolica. Iam vero sectae omnes acatholicae probare nequeunt suam doctrinam exhibere fidem omnium priorum saeculorum, hoc ipso quod data epocha talis communio, et illa credendi ratio dicatur invecta: ergo.

Praeterea solemne est sectis omnibus acatholicis reprobare et impugnare quidquid pro catholica veritate tuebantur veteres, et exosculari ac defendere quidquid olim habebatur pro haeresi manifesta: sed si hoc, nequit profecto eorum fides cum fide omnis anteactae aetatis conspirare: igitur etc. Et requidem vera Calvinus cum Ecclesiae romanae doctrinam impetit, passim fatetur se repugnare toti antiquitati. Sic(inst. lib.II,cap.II, § 4) *Semper*, ait, *apud latinos nomen liberi arbitrii extitit*; *apud graecos vero* αὐτεξουσίας, *vocabulum multo arrogantius*. Ibidem dicit omnes, excepto Augu-

stino, plus aequo extulisse humanas vires; se nullum veterum, Augustino dempto, sequuturum. Sed mox etiam Augustinum deserit inquiens (lib. III, cap. IX § 15): *Ac ne Augustini quidem sententia per omnia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert, qua in vitae novitatem regeneramur per spiritum.* Et (eod. lib. III cap. IV § 38) *Omnes fere veteres*, ait, *quorum libri existunt, aut hac in parte lapsi sunt, ubi de satisfactione agitur; aut nimis aspere et dure locuti sunt.* Et (ibid. cap. V § 10) *Ante mille et trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis. Sed veteres omnes, fateor, in errorem abrepti sunt.* Possemus ad singula dogmata aliquid tale exscribere, nisi debitae brevitatis fines prohiberent. (1) Nec minus impudenter Lutherus, cum e. g. de missae sacrificio ageret (lib. de abrog. miss. sub init.) scribit: *Profiteor imprimis adversus eos qui clamaturi sunt, quod contra ritum Ecclesiae, contra statuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum.* Item (lib. contr. reg. Angl.) *Ultimo*, inquit, *dicta patrum inducit rex pro missario sacrificio, et ridet meam stultitiam, quod solus velim sapere prae omnibus. Hoc est quod dixi, thomisticos asinos habere nihil quod producant, nisi multitudinem hominum et usum antiquum.* Quid plura? (lib. de miss. priv.) *Hic*, ait, *non moramur, si clamitent papistae Ecclesia, Ecclesia, Patres, Patres: quia ut dixi, hominum dicta aut facta, nihil in tam magnis caussis curamus. Scimus enim ipsos prophetas lapsos esse, adeoque apostolos: verbo Christi iudicamus Ecclesiam, Apostolos, adeoque ipsos Angelos.* Verecundiores non fuere Magdeburgenses centuriatores, ac reliqui asseclae lutherani et calvinia-

(1) Cf. omnia ap. Bellarminum (De not. Eccl. lib. IV, cap. IX)

ni; quamobrem ex ipso sectariorum iudicio constat eosdem ex parte antiquitatis doctrinae carere unitate fidei.

Quod ad errores spectat, praemonendum est in Ecclesia veteri illos errores habitos esse communiter pro exploratis et damnatis haeresibus, qui ponuntur in catalogo haeresum ab Irenaeo, Hieronymo, Epiphanio, Philastrio, Augustino, Theodoreto, Damasceno, aliisque probatis auctoribus. Nam illi cum essent viri sancti et docti, nunquam fuissent ausi simpliciter in catalogum haereseon referre ea dogmata, de quibus in Ecclesia dubitari scivissent. Et praeterea neminem legimus, qui unquam contradixerit his Patribus, perinde ac non iuste aliquem notassent haereseos. Iam vero iidem errores omnino congruunt cum singulis dogmatibus quae profitentur acatholici. Ergo fides acatholicorum est fides eorum qui quavis aetate a vera Ecclesia separati fuere; adeoque unitas fidei antecedens apud ipsos extare non potest.

Et sane, ut rei enunciatae specimen aliquod heic exhibeamus; testatur Augustinus (lib. de fid. et operib. cap. XIV) haeresim de sola fide sufficiente ad salutem sine operibus, ortam esse tempore Apostolorum ex prave intellectis sententiis Pauli; ac propterea contra hanc haeresim stylum praecipue acuisse alios Apostolos in suis epistolis, idest Petrum, Ioannem, Iacobum et Iudam. At ipsa haec doctrina est capitalissimum dogma Novatorum. Ergo. Florini haeresis fuit Deum esse caussam peccatorum, quam Irenaeus (ap. Euseb. H. E. lib. V, cap. XX) dicebat esse plus quam haeresim. Sed idem absque ullo pudore docet Calvinus (institut. lib. I cap. XVIII § 2): *Non solum permissu, sed etiam voluntate Dei homines peccant, ita ut nihil ipsi deliberando agitent, nisi quod Deus apud se decreverit, et arcana directione constituit.* Idem aperte docuit Lutherus (lib. de serv. arbitr.) ubi dicit: illud velle, quo Iudas voluit Christum prodere, fuisse opus Dei, nec extitisse in manu Iudae, aut ullius creaturae mutare illam

voluntatem. Proclus haereticus apud Epiphanium (haer. LXIV) docebat peccatum in renatis semper vivere; concupiscentiam nempe vere esse peccatum, nec tolli per baptismum, sed sopiri per fidem: quod idem postea docuerunt Messaliani haeretici apud Theodoretum (lib. IV haeret. fabul.). Sed haec est ipsissima doctrina Lutheri (art. II et XXXI ex damnatis a Leone X, et in assertionibus eorundem articulorum: itemque Calvini (instit. lib. IV, cap. XV, § 10) etc. Igitur.

Ut reliqua omittamus, *Manichaeorum*, inquit Hieronymus (in praef. dialog. adv. Pelag.) *est*, *hominum damnare naturam, et liberum auferre arbitrium*. Et Augustinus (de haeresib. cap. XLVI) *Peccatorum originem*, ait, *non tribuunt Manichaei libero arbitrio*. Iam vero idem aperte tradunt omnes sectarii. Lutherus (art. ex citat. XXXVI) dicit liberum arbitrium esse rem de solo titulo; et in assertionibus addit esse titulum sine re, et omnia ex absoluta necessitate evenire. Calvinus etiam (instit. lib. II capp. II — IV) ne nomen quidem liberi arbitrii adhiberi patitur. Patet ergo, quin singula persequamur, assumptum. (1)

Verum secundo carent omnes communiones acatholicae unitate fidei *actuali*. Qua in re praenotari iuvat illud Lutheri (lib. de votis monast.) *Mendacia certius dignoscere non potes, nisi quando sibimetipsis contraria sunt. A Deo enim ita ordinatum est, ut impii semper seipsos confundant, et quod mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testentur*. Iam imprimis Lutherum mire passim dissidentem a semetipso produnt innumerae ipsius contradictiones, quas collegit Cochlaeus (in septicipit.) ubi ad calcem adiecit 36 varias senten-

(1) Videsis integram errorum collationem quam instituit Bellarminus (De not. Eccl. lib. IV cap. IX)

tias Lutheri de uno articulo, idest, de communione sub utraque specie. Deinde constat ex Friderico Staphylo (de concord. discipulor. Luth.) lutheranos vixdum natos, dividi coepisse in anabaptistas, confessionistas, et sacramentarios; et rursum singulas hasce sectas in alias atque alias usque ad 34. Aetate Bellarmini iam, eodem teste, fere 100 diversissimae sectae ab uno Luthero prognatae numerabantur. Quid porro dicendum de aetate sequiori, in qua aliae atque aliae innumerae priorum sectarum fractiones pullularunt, quales sunt v. g. quakeri, fratres bohemi, pietistae, herrnhutani, swendeborgiani, arminiani, sociniani, methodistae seu weslaiani, whitafieldistae, Kilhamitae, iumperi, irvingitae, ut de rationalistis biblicis interim taceam, qui plures alias classes inter se non diversas modo, sed plane oppositas constituunt. Denique tota historia *variationum* a cl. Bossueto iam olim adornata, perillustre est argumentum, nunquam habuisse protestantes ubi pedem figerent, nec in quo aut secum ipsis, aut cum aliis aliquando consentirent. Multo vero minus habere potuerunt post aetatem Bossueti, aut nostra aetate; cum libido innovandi deinceps maxime excreverit, ac multo quam antea liberius principium privati examinis adhibitum fuerit, et ad omnimodam sui evolutionem deductum. Unde hac nostra aetate nedum flere est apud protestantes omnimodam perturbationem et scissionem in negotio religionis; sed huius tantam cladem, ut nomen dumtaxat religionis revelatae apud eos superfuerit.

Et ne haec sine tabulis, ut aiunt, ac testibus dici videantur, constat non ita pridem in tot factiones ac veluti frustula divisum fuisse protestantismum, ut demum sectarii debuerint serio secum decernere de foedere aliquo ineundo praesertim inter duas praecipuas sectas lutheranam et calvinianam. Proinde plures prodiere libelli ad pacem eiusmodi conciliandam, sed irrito plane conatu. Frustra etiam sunt saepius instituta religiosa colloquia, praecipue Lipsiae an-

no 1631, et Maulbruni anno 1654. Sub saeculi XVIII initium, adnitente maxime Borussiae rege, qui Berolini templum pro utraque confessione extruxerat, iterum tentata pax est; sed obsistentibus lutheranis, res infecta cessit. Novi exarati sunt libri ad eundem scopum obtinendum, ac nova lata edicta praesertim a Borussiae rege Gulielmo I anno 1636. quibus iubebat calvinistas recedere a suo dogmate de praedestinatione, et lutheranos abstinere a consuetudinibus quae communes essent catholicis; donec Fridericus II sectis omnibus plenam libertatem restituit. Ipsius successor Gulielmus III edicto lato novam proposuit liturgiam, qua ambae confessiones uterentur; sed neque hoc remedio quidquam solidi est consecutus. Cum autem anno 1817 iubilaeum reformationis celebraretur, plura ad unionem stabiliendam praescripta sunt; indictae synodi, Berolini aliisque in locis lutherani et calvinistae in eodem templo sacram coenam celebrarunt, ea lege ut quisque circa realem Christi praesentiam crederet quidquid verius iudicaret, sive panem scilicet sumi in eucharistia, sive corpus Christi. Anno 1818 habitis synodis nova ecclesiae, quae evangelica vocari coepit, constitutio proposita fuit, et anno 1820 edita est nova liturgia, quae rursum anno 1834 fuit omnibus praescripta. Attamen eodem anno contra eandem scripsit D. I. G. Scheibel. (1)

Porro quanto fidei emolumento haec omnia peracta fuerint, rei exitus ostendit. Etenim ex quo, agentibus potissimum gallis et anglis naturalistis, et latitudinariis, nec non Friderico II Borussiae rege, religioni revelatae acerrimum bellum est indictum, eo denique apud Protestantes deventum est, ut omnis, excepto nomine, revelata religio a regionibus acatholicorum pene exulaverit. Distinctione

(1) Actenmaessige Geschichte etc. seu, *Historia authentica tentaminis reformatam et lutheranam ecclesiam uniendi per quamdam agendam communem*, etc. Lipsiae 1834.

a Kantio invecta inter fidem *ecclesiasticam*, cuius obiectum sint veritates positivae revelationis; et fidem *religiosam*, cuius sit obiecta fidei ecclesiasticae defoecare ab omni consortio vulgarium opinionum, et ad purae rationis apicem exigere ; statutus est canon ad exponendas Scripturas , non aliud in illis esse quaerendum quam solam religionem rationis; reliqua vero non esse nisi involucra, vel accommodatitium quid ad vulgi opinionem, quae tunc vigebat , cum Scripturae editae sunt , vel ad privatam biblici scriptoris sentiendi rationem. Iuxta Iacobum, eiusque asseclas religio , perinde ac quaevis alia scientia philosophica , in naturali et immediata fide, in perceptione veri et supernaturalis absque probatione, idest in scientia intuitiva consistit: alia praeter hanc interna revelatio, nec ulla forma externa religionis existit. (1) Quocum convenit, saltem ex parte , *philosophia identitatis* invecta a Schelling eiusque discipulo Daub, nec non doctrina de *absoluto* , quod in historia tantum sui conscium (id est personale) sit , et de reditu , qui aliquando fiet omnis separati ad identitatem, adeoque de annihilatione omnis personalitatis. Hinc nova prodivit exegesis sacrorum librorum , iuxta quam sublata sunt miracula et vaticinia omnia, introducti mythi, invectum systema , uti vocant accommodationis , opera praesertim Hetzelii , Eichornii , utriusque Rosenmulleri, Koppii, Heinrichsii et Kuinoelii. Semler oppugnavit inspirationem Scripturarum, plures libros expunxit ex canone ; vetus Testamentum ludibrio vertit ; opposuit religioni exteriori et publicae fidei ecclesiasticae religionem interiorem et moralem privatam. Gruner asseruit christianismum iam sub finem saeculi I in suis praecipuis doctrinis per doctrinam platonicam fuisse corruptum. Eckerman contendit doctrinam Iesu nihil amplius esse

(1) In lib. *de reb. divinis*.

quam popularem instructionem ad moralem et rationabilem cultum Dei; insuper evangelia esse corrupta, et apostolicas epistolas falsas continere interpretationes, et errores.

Henke querebatur de nimis adhuc dilatata christolatria, utpote de impedimento veri progressus religiosi. Wegscheider revelationem minime necessariam, immo impossibilem declaravit; uti etiam Roehr, Boehme, Schultess, Schott, Bretschneider et de Wette, qui non aliud videt in dogmatibus christianis praeter expressionem symbolicam religiosarum idearum. Quid quod aliqui eo devenerunt ut dicerent Ioannem Bapt. et Christum mutuo conspirasse, ut alter praecursoris, alter Messiae personam simularet; (1) alii vero apologiam scripserint Iudae Iscariotae? etc. (2)

Quo potissimom tempore protestantismus sibi ecclesiae evangeliae titulum adscivit, ut observat Reinhard, scripturae et evangelii auctoritatem plerique ex protestantibus reiecerunt. Inter libros V. T. maxime Pentateucho historica abiudicata est auctoritas; cum Davidis aut Salomonis aetate confectum asseruerunt Vater atque Gesenius: tamquam epos traducitur a de Wette. Alii, ut Fulda et Nechtigal, universum V. T. serius ortum aperte pronunciant. Idem contigit libris N. T. Eichhorn omnia evangelia tardiorem habuisse originem contendit. Vogel, Horst, Ballenstedt, Bretschneider evangelium Ioannis genuinum esse inficiati sunt; immo opus cuiusdam gnostici esse autumarunt. Scheleiermacher primam epistolam ad Timotheum Apostolo eripit: Eichhorn utramque reiicit, ac illam praeterea quam Paulus ad Titum scripsit. Iuxta eun-

(1) Ita Beker — *Histor. universal. ad usum iuventutis vol. III.*

(2) Edita est a predicatore evangelico, qui nititur Christum accusare quod sibi socium adsciverit Iudam; hunc vero contendit ab omni macula purgare suae proditionis. Cons. *Correctiones pro amicis et inimicis catholicismi* a Ioan. B. Pfeilschifter, edit. Offenbachii ad Moenum 1831. pag. 166 et seqq.

dem auctorem Apocalypsis non est nisi dramma, quo iudaismi atque ethnicismi excidium exprimitur. Semler prius eandem reiecerat veluti furentis auctoris librum. Tria priora evangelia, Matthaei nempe, Marci, et Lucae a communi quodam fonte syrocaldaico, quem *Urevangelium* vocant, hausta fuisse docuerunt Lessing, Semler, etc. ac praesertim Kuinoel. Quod vero accidit integris libris, a fortiori singulis librorum sacrorum partibus evenit, quarum vix ulla est, quae non traducatur ab uno vel altero tamquam supposititia, vel interpolata.

Atque haec maxime spectant ad rationalismum, qui caeteroquin integras ferme protestantium communiones longe lateque occupavit. Perpauci illi qui veteris protestantismi normis adhuc inhaerentes Scripturarum auctoritatem pergunt revereri, nesciunt tamen ubi pedem figant. Quo factum est ut, quemadmodum superius innuimus, anglicani Oxonienses, ut labentem protestantismum quoquomodo sustentarent, debuerint in catholicis principiis circa Patrum traditionem et Ecclesiae auctoritatem utcumque receptas, perfugium quaerere. Et nihilominus ipse Palmerius (op. cit. p. 1 cap. XII) aperte fatetur lutheranismum et calvinismum vix non evanuisse, ita ut sint potius argumentum historiae, quam revera extent. Ipsa ecclesia anglicana *dissidentes* innumeros habet, quos etiam vocant *separatistas* aut *non conformistas*, qui scilicet discrepant ab ecclesia legali et dominante, cuiusmodi sunt *methodistae*, *baptistae*, *iumperi*, *unitariani*, *universalistae*, seu *oscenitae*, quorum sententia est omnibus cupiditatibus praefracte esse indulgendum. Ipsi doctores Oxonienses in rebus quibusque capitalibus inter se maxime dissident, ita ut nec conveniant in methodistis aliisque similibus sectis recipiendis, aut repellendis a propria ecclesia. etc.

Sed enim advertendum denique est, omnes eiusmodi phases non privatorum dumtaxat deliramentis tribuendas esse,

quasi protestantismus sit ab eisdem extraneus, et per accidens talia absurditatum monstra in eius sinu progenerentur. Immo vero ex ipsius essentia est, ut tales fructus producat; adeoque unitatis in fide defectus est sectis omnibus acatholicis nedum proprius, sed etiam essentialis. Siquidem de essentia protestantismi est libertas examinis et professionis, independentia a quacumque auctoritate, et spiritus privatus: sed ex his necessario oriuntur dissensiones et aberrationes omnigenae. Ergo. (1) Unde fit ut si acatholici in eiusmodi errores incidant, nemo ius habeat eos reprehendendi, utpote utuntur regula et facultate quae ab ipsa basi propriae religionis enascitur.

Atque ex his exsurgit tertio, quod omnes communiones acatholicae necessario carere debeant unitate fidei etiam *consequente*. Etenim vel debent recedere a principio privati examinis, et sic eaedem protestantismo eo ipso valedi-

---

(1) Sane Protéstantismus in recognitione protestantica in edicto senatus genevensis lato adversus eos quos vulgo nominant Momierss in memor. catholiq. Févr. 1824, definitur: *Actus independentiae rationis humanae in negotio religionis.* Iuxta anglicanum Vatson *est actus, quo quis credit quidquid vult, et profitetur quidquid credit.* In catechismo anglicano recentius vulgato dicitur: *est detestatio papismi, et exclusio papistarum ab omni officio ecclesiastico et civili;* ita ut licet omnia respuantur fidei dogmata, et omnia subvertantur moralitatis principia, dummodo reiiciatur ecclesia catholica, quisque poterit esse protestans, adeoque et iudaeus et islamita. etc. Paschoud minister genevensis in opusc. *Qu' est ce un Protestant?* inculcat protestantismum consistere: *dans la liberté d' examen, dans la liberté de croyance, et dans la liberté de culte pour tous et pour chacun.* Demum pastor ac professor genevensis Chenevière in op. de l' autorité dans l' eglise réformé p. 38. 66. seqq. scribit: *La loi de l' examen est constituée dans la réforme .... Tous les membres de l' église ont le droit, et font bien d'examiner d'après leur raison et l' évangile, si les doctrines qu' on leur propose sont conformes à la parole de Dieu, sans que personne au monde soit fondé à les inquiéter, à les blâmer, a les punir.* etc.

cent: vel si illi adhaerent, carebunt semper principio dogmatico auctoritativo quod unitatem pariat; et iuxta placita privata in absurdiores usque sententias prolabentur. Ac quemadmodum iampridem viri doctissimi, puta Bossuetus et Leibnitius, praedixerant cladem quae per protestantismum religioni revelatae immineret; atque id iam videmus magna ex parte perfectum; ita praedicere possumus non ita post plenum atheismum omnium plane protestantium animis potiturum fore.

Et haec dicta sint de defectu unitatis materialis apud acatholicos. Sed dato quod haec omnia nulla forent, ac plena unitas materialis fidei apud eosdem vigeret, nihil tamen pro vindicanda sibi nota unitatis consequerentur. Vidimus enim notam eiusmodi non constare, nisi unitas fidei sit instructa principio formali a Christo instituto, quo ipsamet unitas contineri atque exhiberi debeat; istud vero positum esse ostendimus in apostolica successione, in ecclesiastica hierarchia, et maxime in centro unitatis s. Petri successore. At tali principio carent sectae omnes a rom. ecclesia dissidentes, uti per se quidem liquet, et paulo post uberius declarabitur. Constat ergo heterodoxos carere omni fidei unitate, tum scilicet materiali tum formali.

Sed idipsum omnimodam evidentiam assequitur, si postremo perpendas nulla re posse acatholicos in propriis sectis supplere defectum commemorati principii unitatis. Etenim si eorundem coetus nondum integre sunt dissoluti; debent id legibus civilibus, aliisque politicis adiunctis, quae tamen externam dumtaxat et apparentem qualemcumque fidei concordiam procreare possunt. Praeter haec nihil apud acatholicos est, unde veram unitatem fidei mutuari queant. Siquidem quodcumque substituant medium, nunquam illud erit quod Christus instituit, cui adnexuit ostensionem suae Ecclesiae, et suam assistentiam, qua sola posita fas est de integritate fidei cuiusquam ecclesiae iudicare.

Deinde qualiacumque fingantur principii unitatis supplementa, sunt semper seipsis insufficientia. Eiusmodi sunt imprimis Scripturae, quibus adversarii maximopere praefidunt. Etenim, uti saepius animadversum est, de Scripturarum caussa, inspiratione atque sententia, privatorum iudicio constare non potest. Ac mirum profecto est adversarios post tot saeculorum experimentum adhuc ss. litteras urgere veluti supremum iudicem controversiarum, cum potius constet easdem, ob privatorum interpretationem, omnium discordiarum et haereseon ab Ecclesiae incunabulis scatebram fuisse. Adde quod nemo sibi aut aliis probare possit omnia ad salutem necessaria in Scripturis contineri: immo superius contrarium ostendimus.

Secundo non suffragatur hypothesis articulorum essentialium. Etenim apposite (sect. III, lect. III) et quidem multiplici ex capite, eiusmodi commentum explosimus; et ex nuper commemoratis circa dissensiones protestantium, patet nullum esse capitale admodum dogma in quo reapse inter se non dissentiant. Insuper quis ignorat articulos essentiales esse relativos? Alii enim sunt praecipui lutheranis, alii zuwinglianis, alii calvinianis, alii, ut caeteros mittam, genevensibus, quibus articuli de Trinitate, de divinitate Christi, de propagatione peccati originalis, aliique huiusmodi non sunt essentiales, sed sunt erronei. Denique etiamsi in quibusdam articulis revera convenirent, tamen hi essent arbitrario conficti ac positi in ordine essentialium; adeoque nec possent acatholici in tali fidei professione conquiescere.

Tertio niti nequeunt symbolis, pnta Apostolico, Nicaeno, Cpno, ac Athanasiano. Etenim notum est plerosque protestantes omnem *symbolismum* plane reiicere, quem per contemptum vocant *fidem formulariam*: immo etiam plures ad christianismi essentiam omnem fidei necessitatem respuunt, cum iuxta ipsos christianismi essentia consistat in cordis affectu sentimentali, in caritate: caetera vero

afficiant solum illam quam dicunt formam extrinsecam supervenientem. Secundo etiamsi heterodoxi symbola admitterent, tamen ea non possent ad rem sufficere; cum plures in iisdem articuli implicite contineantur, alii vero plane absint. Denique qui iuris sui existimant Scripturam privato iudicio admittere vel respuere, hoc aut alio sensu interpretari; quid in symbolis reperient, cur non simili libertate circa eadem utantur, cum iisdem effectibus?

Quarto multo magis idem dicendum est de libris symbolicis sive confessionibus, de agendis, consistoriis, comitiis generalibus, aliisque huiusmodi, ad quorum subsidium consueverunt protestantes confugere. Siquidem positis illorum principiis, nullo ex capite potest talibus praesidiis conciliari auctoritas dogmatica intrinseca, et quae vim habeat cogendi ad internum fidei assensum. Et certe ipsi adversarii, ut nuper presbyteriani, confitentur eiusmodi comitia aliaque similia non pollere infallibilitate, ac posse errare, nec proinde tribuere iisdem fas esse iudiciariam potestatem. Denique haec apertam praeseferunt contradictionem. Si enim totum fidei negotium ex fundamentali protestantismi principio nulla alia re quam privato examine est transigendum; et ideo reiicienda fuit auctoritas universalis Ecclesiae; quo iure talium auctoritatum arbitrariarum pondere premuntur intellectus? Si spernenda est Ecclesiae auctoritas; quanti facienda sunt eiusmodi humana conventicula; praesertim cum eadem mutuo oppositis definitionibus et a seipsis passim, et ab aliis dissideant?

Quinto speciatim non suffragatur ecclesiis britannicis species illa quam retinent ecclesiasticae hierarchiae, et successionis apostolicae quam sibi tribuunt. Primo enim paulo post ostendetur eiuscemodi hierarchiam umbratilem plane esse, et nihil commune habere cum hierarchia et successione apostolica. Tum vero quid potest ad fidei unitatem conferre hierarchia, quae nulla dote infallibilita-

tis gaudere comperitur, cuius propterea iudicium sit semper reformabile, quae et ipsa profitetur et docet principium privati examinis, et apud eos viget, qui nil in sua religione fixum praeterquam huius principii professionem habent?

Sexto non melior est in ecclesia graeco-russa conditio synodi permanentis petropolitanae. Imprimis enim doceant ubinam Christus Ecclesiae suae praefecerit talem synodum cuius omnia membra instituuntur ab imperatore; in quo episcopi nihil decernunt, nisi ex praescripto imperatoris, et cui denique ipse tamquam caput et centrum praesit imperator? Certe, quod ad originem huius synodi spectat, Petrus 1. imperator proprio lubito eam substituit patriarchae moschovitico; qui schisma dudum fecerat a patriarcha constantinopolitano, qui similiter a principio ab auctoritate rom. Pontificis se subduxerat. Quam igitur auctoritatem potest eadem in causis fidei et morum apud ullum nancisci? Quo iure apud homines quibus ius fasque fuerit contemnere auctoritatem Ecclesiae a Christo institutam, poterit urgeri tribunal laici hominis arbitratu invectum? Adde ecclesiam graecam tanto odio prosecutam fuisse synodum hanc permanentem, ut cum die 27 Iulii 1833. ageretur de instituenda apud graecos simili synodo, restiterint omnes archiepiscopi et episcopi graeci: immo synodus graeca tanta animi aversione acta fuit contra ecclesiam russicam, ut plures episcopi pileum russicum in signum detestationis cum graeco commutaverint.

Septimo denique non suffragatur ecclesiae graecae centrum unitatis quod reponit in suo patriarcha oecumenico, nempe constantinopolitano. Siquidem hoc centrum fictitium est; et ab eo quod ipsamet ecclesia graeca per X saecula est unanimiter venerata in rom. Pontificibus, plane diversum. Deinde eiusmodi centrum intrinseco laborat omnis qualiscumque auctoritatis defectu. Cum enim patriarcha constantinopolitanus proprio arbitratu se subduxerit ab auctoritate rom. Pontificis, ut se centrum, et patriarcham

oecumenicum constitueret, non est cur eodem iure non possint se ab eo separare episcopi singuli, et se autocephalos constituere. Ac reapse paucis abhinc annis ita, saltem ex parte, factum esse docet historia. Nam in synodo graeca anni 1834 ecclesia graeca se subduxit a iurisdictione patriarchae constantinopolitani, sicut annis anteactis ecclesia russica se pariter subduxit ab eodem patriarcha constinopolitano: atque hinc factum est ut diversae ecclesiae evaserint nationales. (1)

Haec cum ita habeant, quaecumque fingi velit integritas fidei in ecclesia sive graeca, sive ruthena, semper ad summum erit unitas fidei materialis tantum non autem formalis, cum formali principio careant a Christo instituto ad unitatem Ecclesiae sive continendam sive exhibendam, et eo ex adverso afficiantur, quod suapte vi ad dissolutionem ducat. Caeterum non est cur de ipsa materiali fidei integritate sive graeca ecclesia sive russica glorietur. Nam graeci tribus saltem haeresibus se coinquinarunt, scilicet negatione processionis Spiritus Sancti etiam a Filio, existentiae purgatorii, et primatus iure divino rom. Pontificis, qui articuli solemniter definiti fuere in oecumenicis conciliis Lugdunensi II et Florentino, ipsis graecis, immo et russicis episcopis subscribentibus. Dixi *saltem*: exploratum enim est longe lateque errores Gregorii Palamae ac thaboritarum in ecclesia graeca diffusos esse (2); quod vero ad errores attinct ecclesiae russicae, satis est prae oculis habere quae scripsit p. Possevinus (3); ut omittam

---

(1) Cf. *Considerationes historicas* etc. germanice editas a H. I. Smith.

(2) Vide quae de Gregorio Palama scripsit Nectarius in *op. Confutatio imperii Papae.*

(3) In op. cui titulus: *Moscovia*, typis Birckmanicis 1587. in scripto: *Capita, quibus Graeci et Rutheni a Latinis in rebus fidei dissenserunt.* Item: *Errores alii Ruthenorum qui orientale schisma sequuti sunt, postquam Graeci ab Ecclesia sese praeciderunt.*

principium, ut ita dicam, dissolvens protestantismi plura iam illius sic dictae ecclesiae membra infecisse.

De unitate igitur fidei apud omnes sectas acatholicas res est conclamata. Sed si hoc, neque unitas communionis potest apud eas locum habere: haec enim iuxta ipsos adversarios priorem supponit. Praeterea unaquaeque secta in propria regione ubi reperitur habet suum consistorium, uti vocant, suum praesidem, suos ministros, qui nulla ratione consistorio, praesidi, aut ministris alterius regionis subiiciuntur. Denique tametsi omnes iisdem pastoribus obtemperarent, atque eidem ecclesiasticae potestati subessent; non tamen illis parerent quos Christus instituit, scilicet successoribus Apostolorum, nec apostolicae hierarchiae suo instructae centro unitatis, quod necessarium vidimus ad veram unitatem communionis. Atque hinc liquet etiam defectus tertii elementi unitatis, nempe hierarchiae, ac proinde tota unitas ecclesiastica sectis acatholicis est deneganda; atque ipsae non sunt morale illud individuum quod esse voluit Christus suam Ecclesiam: et idcirco ecclesia Christi appellari non possunt.

LECTIO II

Societates omnes acatholicas nota apostolicitatis carere ostenditur.

Apostolicitatem, ceu ex totidem elementis, conflari diximus ex apostolicitate originis, fidei, communionis, successionis, vocationis et missionis. Ut igitur et harum partium, et conseqenter totius apostolicitatis defectum in sectis acatholicis luculenter evincamus, a successione initium ducimus. Itaque 1. (sect. praec. lect. VIII) ostensum fuit non posse dari apostolicam successionem, ubi non adsit centrum legitimum unitatis, Petri successor. Sed perspicuum est sectas omnes acatholicas eodem carere;

cum ii nomine acatholicorum veniant, qui divulsi sint a romana ecclesia, cui praest Petri successor: ergo. Praeterea protestantium aliorumque novatorum societates non habent successionem pastorum continua serie pervenientem usque ad Apostolos. Nam Lutherus, Calvinus, Zuwinglius etc. primi societatum illarum fundatores nulli apostolico episcopo successerunt, sed ipsi semetipsos pastores suarum societatum instituerunt; sibique ecclesiasticum ministerium usurparunt. Ergo. Tertio cuiusque sectae auctores non potuerunt certe institui immediate ab Apostolis, cum duobus tribus aut longe pluribus post obitum Apostolorum saeculis propriam sectam excitaverint: siqui vero haeretici aetate Apostolorum extitere; ab iisdem proscripti sunt et ab Ecclesia rescissi, ac eorum conventicula quam citissime evanuerunt. Sed neque sectarum auctores potuerunt habere institutionem mediatam ex Apostolis; siquidem a nullo unquam sunt instituti qui posset in semetipso ostendere veros characteres successionis apostolicae. Denique sectae omnes acatholicae si numerent pastorum suorum successionem, ubi ad primum sectae auctorem pervenerint, e. g. Nestorium, Eutychetem, Lutherum etc. ulterius progredi non possunt. Ubi ergo erat ecclesia calviniana, lutherana, nestoriana, eutychiana etc. ante Lutherum, Calvinum, Nestorium etc.? Nuspiam profecto: nam si alicubi fuisset, illi ecclesiae se adiunxissent. Sed ipsi nulli ecclesiae se adiunxerunt, sed instituere intenderunt novam. Ergo eorum societas non est apostolica.

Neque vero fas est adversariis confugere *ad extraordinariam missionem*. Siquidem iam superius ostendimus non posse eos ullis indiciis fidem conciliare eiusmodi suae missioni: ac praeterea hoc effugium falsa niti suppositione, quod possit in Ecclesia Christi saltem formaliter deficere missio ordinaria; et sic extraordinariae dari locum.

Atque omnia haec quae hactenus disputavimus, valent etiam de ecclesiis graeca et ruthena. Fatemur enim eas

non destitui quadam specie successionis; sed tamen ea est materialis tantum, non autem formalis, utpote caret adhaesione servanda capiti in unitate fidei et regiminis. Ut ergo materialis successio non favet nestorianis atque eutychianis, quamvis antiquior sit, ita non favet ecclesiae graecae aut ruthenae. (1) Idem a fortiori dicendum est de successione ecclesiae anglicanae. Primum enim laborat eodem vitio, ut si qua est, sit mere materialis, utpote a centro unitatis schismatica. Deinde vero ordinationum anglicanarum valor dubio saltem obnoxius est, tum ex parte iuris, tum ex parte facti. Etenim notum est ex scriptoribus coaevis, Matthaeum Parkerum, a quo reliqui episcopi anglicani haeretici originem ducunt, inauguratum fuisse Londini in diversorio a Io. Scoraeo episcopo Roffensi una cum tribus aliis absque legitima materia ac forma. Siquidem Scoraeus super illorum caput impositis sacris bibliis haec verba tantum adiecit: *Accipite potestatem praedicandi verbum Dei in sua puritate*. Per annos plurimos factum pro certo habitum est, quin ullus reclamaverit. Postea tamen protestantes eidem opposuerunt acta lambethana eruta, ut affirmabant, ex archivio palatii archiepiscopalis lambethensis, quae exhibent Parkeri aliorumque ordinationem solemniter factam esse in sacello eiusdem palatii a Guil. Barlowio electo episcopo Cestriensi die 17. Dec. 1559. Prodierunt autem primo huiusmodi acta post medium saeculum, nempe annò 1613. Hinc tamquam sup-

(1) Hinc nequit probari illorum catholicorum responsio qui in re qua de agimus, obiicientibus ecclesias orientales non carere successione apostolica, reponunt successionem esse huiusmodi, ut probet non esse ecclesiam ubi ipsa desit, sed non demonstret adesse ecclesiam ubi ipsa adsit. Verum id falsissimum esse et maxime iniuriosum notae apostolicitatis, ex disputatis circa eandem innotescit. Diximus enim absque centro unitatis a Christo instituto, nullam *formalem* successionem apostolicam haberi posse. Quo posito principio, distinctio ab illis theologis invecta plane subvertitur.

posititia, aut saltem suspecta catholici scriptores ea non immerito traduxerunt. Et sane ipsum Elisabethae gubernium usque ab initio necessarium duxit confugere ad omnipotentiam reginae ad eam ordinationem ab omni defectu sanandam. Haec porro decretum edidit, quo *ex plenitudine regiae suae auctoritatis supplebat cuilibet defectui in qualitate aut modo procedendi commissariorum* (idest episcoporum qui consecrarunt Parkerum) *ita id exigente tempore et necessitate*. Similiter sex insequentibus annis ad unamquamque consecrationem et confirmationem novi episcopi inseri consuevit in *commissione* metropolitani eadem clausula sanatoria his verbis concepta: *Supplentes ex auctoritate suprema regia nobis delegata quidquid in hac electione fuerit defectum* etc. Tandem anno 1566. actu *Parlamenti* definitum est, quod cum regina in possessione sit totius iurisdictionis, omnium privilegiorum, superioritatum ac praeeminentiarum spiritualium . . . . cumque *suprema potestate* et auctoritate sua dispensaverit ab omnibus caussis ac dubiis cuiusvis imperfectionis aut incapacitatis in confirmatione et consecratione episcoporum per suas litteras patentes; ideo omnes actus et gesta in eiusmodi occasionibus essent atque haberi ac iudicari deberent bona, et perfecta (firma et rata) sub omni respectu et fine, non obstantibus quibuscumque in contrarium. (*Statuta Regni* IV, 485.) Denique episcopi consecrati iuxta formam ritualis Odoardi VI, sub regno Mariae depositi sunt ob *nullitatem consecrationis*. Sed eâdem consecratus fuisset Parker in hypothesi quod vera essent acta lambethana. Ergo.

Haec cum ita sint de successione, eo ipso patet orbari acatholicos apostolicitate vocationis et missionis, quae diximus suo loco successioni apostolicae esse intime et necessario adnexa. Porro cum itidem ostenderimus apostolicitatem successionis et apostolicam hierarchiam esse organum a Christo institutum omnium reliquarum partium apostoli-

citatis, scilicet originis, fidei et communionis, atque has ab illa pendere; pronum est inferre communiones acatholicas omni prorsus apostolicitate destitui. Etenim quod ad originis apostolicitatem attinet, eam diximus esse immediatam ex Apostolis, aut mediatam. Sed non possunt acatholici habere immediatam, cum sectae omnes sint longe serius ortae, ac possent singularum commemorari nativitatis epocha, locus, auctor, et reliqua huiusmodi. Igitur unice confugere deberent ad mediatam: sed hanc vidimus in ipso suo conceptu involvere successionem apostolicam, ex eaque pendere. Ergo. Praeterea origo apostolica ex dictis exigit subiectionem et aggregationem ad centrum unitatis, quod ipsam successionem apostolicam continet, cumulatque. At vero omnes sectae acatholicae eo ipso quod huiusmodi sint, a centro unitatis longissime distant. Ergo.

Hinc neque communio apostolica apud acatholicos adesse potest: cum desit organum communicationis ipsos inter et Apostolos, quod vidimus esse apostolicam hierarchiam; nec possint obedire pastoribus apostolicis, nec per eorum manus illa communia bona participare, quae Christus legavit suae Ecclesiae, nec centro apostolico unitatis adhaerere.

Denique orbantur acatholici apostolicitate fidei. Nam exclusa successione, deest medium a Christo institutum ad habendam transfusionem fidei apostolicae. Sed absente hoc medio, nequit haberi ipsa transfusio, proindeque nec fides apostolica, quae in illa suum esse habet. Neque vero possunt confugere ad professionem doctrinae qualem docuerunt Apostoli. Nam si ostensum est ex mente Christi doctrinam Apostolorum fluere unice per organum successionis, atque huic fuisse adnexam; impossibile certe est inveniri hanc ipsam doctrinam extra eiusmodi organum, cui est a Christo inserta doctrina apostolica. Secundo: in casu esset ostendenda fidei apostolicitas per immediatum examen Scripturarum. At id iam supra ostendimus nec

legitimum esse medium, nec idoneum controversiae dirimendae. Tertio in eadem hypothesi assumeretur ad notam talis ecclesiae ipsa in se verbi divini praedicatio. At vero dudum evicimus praedicationem non posse per se notam Ecclesiae constituere. Ergo.

LECTIO III

Notas catholicitatis et sanctitatis nullo pacto sectis acatholicis competere demonstratur.

Catholicitatem duplici constare elemento haud pridem monuimus, materiali nempe atque formali; ut nimirum habeatur Ecclesiae universalis diffusio in omni loco et quovis tempore; et insuper verificetur identitas Ecclesiae quoad fidem, communionem atque hierarchiam in omni pariter loco et quavis aetate. Iam vero utroque elemento sectas omnes destitui non arduum est ostendere. Imprimis enim quantacumque sit aut esse possit ipsarum diffusio, ea semper erit materialis tantum et non formalis. Siquidem vidimus orbari acatholicos unitate fidei tum antecedenti, tum comitante ac consequente: adeoque fidei identitas apud eos esse non potest. Ac certe nunquam potuerunt ipsi nec possunt fidei professionem edere quae sit omnibus communis; sed in eo solum consentiunt, ut romanam ecclesiam odio acerrimo prosequantur. Si carent identitate fidei, hoc ipso incapaces sunt identitatis communionis; cum haec priorem supponat, eaque nitatur. Praeterea cum centro careant unitatis cui omnes communiter adhaereant, cumque ex defectu apostolicae hierarchiae legitimis pastoribus destituantur, quibus ex aequo obtemperent, et per quos legitime sacramenta participent; nequit identitas communionis apud ipsos subsistere. Denique, quod nuper meminimus facto constat unamquamque sectam in propria regione ubi reperitur, suum *consistorium*, uti vocant,

suum praesidem, suos ministros habere, qui nulla ratione consistorio, praesidi, aut ministris alterius regionis subiiciantur. Quamobrem nulla penes sectarios universalis ecclesia reperitur, ac nulla eiusdem universalis diffusio; sed totidem coetus nationales aut provinciales recenseri possunt, quot sunt diversa regimina cui subsunt: adeoque sectae singulae per se sumptae nonnisi angustum terrae angulum occupant. Sectae igitur acatholicae vel spectantur seorsim singulae, vel simul omnes. Si singulae, modicum spatium occupant: si omnes, cum non polleant fidei et communionis identitate, iam non efformant unum corpus, quod dici possit ecclesia catholica. Itaque praeclare Bellarminus (de not. Eccl. lib. IV cap. VII) animadvertit ecclesiam esse ubique, et haeresim ubique. Sed ecclesiam esse unam et eandem ubique, haereses autem non easdem sed diversissimas, quae se invicem non noverunt, et proinde nullam earum esse catholicam. Quocirca recte eas comparat sarmentis praecisis, quae ubi cadunt, cum praeciduntur, ibi manent: cum interim Ecclesia tamquam vitis viva ubique palmites suos extendat. Hinc passim s. Augustinus hoc argumento utitur, ut (lib. contr. epist. fund. cap. IV, et de utilit. credendi capp. XIV, et XVII, ac alibi). Adde his quod, prouti animadvertimus, nulla extet secta quae non sit orta determinata epocha, quaeque dici possit quavis aetate extitisse, aut, ex quo extare coepit, omnem terram aliquando occupasse. Siquam habuerunt quoquo modo diffusionem, ea non ex intrinseca ordinatione profecta est ad eandem ineundam, et ex vi interna; sed ex politicis adiunctis, quorum mutatione sectarum ipsarum vices immutantur. Sane Lutherani vix nati arescere coeperunt: coepit regnum Lutheri anno 1517; sed is vix septem annis pacifice regnavit. Nam anno 1525 surrexit Zuwinglius, et post duos alios surrexerunt anabaptistae, qui maiorem partem lutheranorum a Luthero separatam ad se traxerunt. Qui vero manserunt Lutherani ita

immutarunt Lutheri doctrinam, ut vix ulli invenirentur puri Lutherani. Sed nec diu regnavit Zuwinglius. Nam anno 1538 surrexit Calvinus, qui ita brevi invaluit, ut vix pauca quaedam oppida Helvetiorum zuwinglianis reliquerit. Ipsi quoque calvinistae per libertinos in Gallia, per trinitarios in Polonia, et samosatenos in Transylvania quotidie magis imminuti sunt. Et haec de prima sectarum aetate dici possunt: quid vero contigerit per socinianos, ac successu temporis per novatores reliquos usque ad rationalistas, non ita pridem, cum ageremus de defectu unitatis, exposuimus. Itaque hoc etiam adnotandum est discrimen inter veram Ecclesiam et societates quae sese falso Ecclesiam Dei denominant; ut illa successu temporis magis magisque in omnem terram diffundatur, suamque internam catholicitatem evolvat; istae vero, uti arbores spuriae, in dies magis magisque depereant.

Hinc autem pronum est colligere quod non modo sectae omnes careant catholicitate; verum etiam sperare non possint se aliquando fore totum orbem occupaturas. Si enim tanto temporis spatio, quin incrementa caperent, sunt in dies imminutae; unde habent ut aliquando toto orbe potiri possint? Si intrinseco defectu unitatis laborant, immo etiam, uti diximus, principium divisionis et dissolutionis ex propriae essentiae necessitate includunt; tam impossibile est, ut aliquando catholicitatem assequantur, quam est impossibile ut instruantur unitate; siquidem catholicitas absque identitate seu unitate fidei et communionis haberi non potest.

Denique confirmantur haec omnia ex ipsa acatholicorum agendi ratione. Cum enim probe perspicerent non posse se propriis societatibus notam catholicitatis vindicare, conati sunt catholicitatis conceptum depravare, statuentes ecclesiam catholicam conflari ex omnibus societatibus quae Christi fidem profiteantur; aut saltem, quod anglicani docent, ex omnibus communionibus quae regi-

men hierarchicum utcumque conservent : ipsam vero catholicitatem a censu notarum exclusam unanimes voluere.

Quod ad sanctitatem attinet, carent sectae acatholicae sanctitate institutionis sive originis, cum destituantur apostolicitate originis, in qua diximus illam consistere. Contra debetur sectis omnibus ex historia, origo turpis et inhonesta tum ex parte personarum quae fuerunt semper homines ambitiosi, invidi, avari, in omnem libidinem effusi; tum ex parte caussae sive occasionis cur innovationem invexerint; tum ex parte finis qui fuit semper ut liberius agerent, ut dominationem sibi usurparent, ut aliorum bonis potirentur, ut acceptas ulciscerentur iniurias etc. Sane quis nesciat primum initium omnium haereseon saeculi XVI fuisse invidentiam et ambitionem Lutheri aegre ferentis munus promulgandarum indulgentiarum a sui ordinis monachis ad fratres ordinis Praedicatorum translatum fuisse? Ipsum vero Lutherum ea superbia tumuisse, ut (lib. contr. reg. Angl.) affirmare non eruberit reges, principes, pontifices non esse dignos qui solvant suorum corrigiam calceamentorum; se non magni facere mille Augustinos etc. Nec vero dubitat (in libro de abrog. miss. priv.) asserere se a diabolo doctum fuisse quod missa esset res mala atque abolenda. De Henrico VIII quis nesciat totam schismatis caussam fuisse impudicos amores Annae Bolenae in cuius oculis rex novum evangelium legit? De graecis vero quem lateat Photium primum schismatis auctorem classicum rebellionis cecinisse eo quod non potuerit assequi titulum cui inhiabat *patriarchae oecumenici*: et sic de reliquis est dicendum.

Carent secundo acatholicorum societates sanctitate essentiae. Cum enim ex dictis non habeant originem apostolicam, profecto non sunt in se illud aedificium quod Christus fundavit, et excitarunt Apostoli. Sed in hoc ipso diximus sitam esse sanctitatem essentiae, ut nempe Ecclesia fruatur ipsa illa interna constitutione, quam impertiti sunt ei Christus et Apostoli. Ergo.

Carent tertio societates acatholicae sanctitate finis et mediorum. Etenim vidimus fuisse haec a Christo intime adnexa successioni et missioni apostolicae, qua quidem illae communiones ex dictis destituuntur. Et re sane vera, ut haec in facto ipso deprehendamus, doctrina acatholicorum nulla sanctitate pollere potest. Etenim imprimis, quod lectione praecedente demonstravimus, eadem renovat errores veterum haereticorum iampridem ab Ecclesia damnatos, et oppugnat dogmata semper ab Ecclesia agnita pro vera Christi doctrina et praedicatione Apostolorum. Deinde vero ea complectitur quae iuxta ipsum naturalis rationis dictamen a vera sanctitate, immo et probitate ac pietate longissime abhorrent. Sio. v. gr. Deum plures condidisse homines in eum dumtaxat finem ut aeternum damnarentur; in omnibus Adae posteris extinctum esse liberum arbitrium, adeoque ferrea illos necessitate sive ad bona sive ad prava opera impelli. Ita enim inter caetera Lutherus (lib. de serv. arbitr.) *Sic humana voluntas in medio posita est, ceu iumentum: si insiderit Deus, vult et vadit quo vult Deus; Si insiderit Satan, vult et vadit quo vult Satan; nec est in eius arbitrio ad utrum sessorem currere, aut eum quaerere: sed ipsi sessores certant ad ipsam obtinendam et possidendam.* Docent praeterea inutilia esse bona opera ad salutem; immo prava opera ad sanctitatem conferre. Lutherus enim haec adstruxit principia (lib. de captiv. babyl. de bapt.): *Vides quam dives est homo christianus, sive baptizatus, qui etiam volens non potest perdere salutem quantiscumque peccatis, nisi nolit credere. Nulla peccata eum damnare possunt, nisi sola incredulitas.* Et in serm. *de piscatura Petri*: *Erga Deum*, inquit, *non operibus, sed nuda fide indigemus. Debemus enim cum solo Isaac venire, hoc est, cum fide: servos et asinas, hoc est opera, deorsum demittere oportet.* Quanto sceleratior es, *tanto citius Deus suam gratiam in-*

fundit. Ex quibus rite intulerunt Antimoniani (in confess. masfeldens.) *Lex non est digna ut vocetur verbum Dei : si meretrix es ; si scortator , si adulter , vel quicumque alius ; tantum crede, et es in via salutis ; cum in medio peccati haeres. Decalogus ad curiam pertinet, non ad suggestum: quibuscumque cum Mose res est , recta via tendunt ad Diabolum, immo ad malam rem cum Mose. Dictum Petri*: certam facite vocationem vestram per bona opera, *est inutile. Quandocumque tibi talis incedit cogitatio, hoc vel illo modo in Ecclesia rem geri debere , ut sint homines boni, honesti , sancti , et casti ; iam aberrasti ab evangelio.* Omitto caetera : interim evidenter liquet talia principia, quae caeteroquin basim protestantismi constituunt, non modo impia seipsis esse , sed eiusmodi , ut si logice sit ipsis insistendum, omnis pietatis eversio sequi debeat , et omnis impietatis ipsamet scatebra extent. Si enim omnia fato quodam divino contingunt ferream necessitatem imponente humanis voluntatibus ; si sola fides est necessaria ad salutem ; si peccata quin praepediant iter ad coelum, quo plura et atrociora sunt, magis illud explanant ; quid ego mihi advigilem frustra ; quid operum bonorum sim solicitus ; quid potius , quod obscoenitae ac plures sectae in Anglia docent , non in omnem legis contemptum, et in omnimodam libidinem effundar ?

Ex quo liquet doctrinam heterodoxorum per se pravam esse et nequitiae caussam : adeo ut non possint acatholici aliter probi et honesti esse quam practice recedendo ab illis principiis quae theoretice ut basim suae religionis profitentur. Hinc etiam explicatur illud quod oculis nostris quotidie fieri videmus , ut nempe nemo ex castris catholicorum ad acatholicos transfugiat ut evadat melior , sed ut liberius vivat , et possit indulgere , pallio religionis protectus illis cupiditatibus , quibus se acriter sollicitari sentit : quo fit ut communiones acatholicae veluti sentina ac colluvies

omnium vitiosorum censeri possint. Contra siqui sunt inter sectaries qui caeteroquin bonis moribus fulgeant, et pietati sincere studeant, ii plus minusve ad catholicismum inclinant; immo serius ocyus eidem aggregantur.

Atque his satis liquet quid sentiendum sit de moribus acatholicorum. Ut enim modo animadvertebamus, vel iidem propriae sectae principiis se conformant, ac necessario impie debent ac perverse agere: vel si pie recteque vivunt; hoc ipso damnant propriam religionem, abhorrentes a vitiis quae ex sui natura fovet illa atque commendat.

Haec cum ita sint de defectu sanctitatis originis in acatholicorum coetibus, essentiae, finis, ac mediorum; mirum non est si dono miraculorum caeterorumque charismatum suffragio constanter careant. Sane non habent hac in re universi omnes quo glorientur. Tentarunt quidem non semel Lutherus itemque Calvinus nonnulla prodigia edere, vel potius simulare; sed infelici plane exitu. (1) Unde Erasmus (in diatribe de lib. arbitr.) potuit de lutheranis affirmare: *Nullus illorum adhuc extitit qui vel equum claudum sanare potuerit*; cui Lutherus (in lib. de serv. arbitr.) respondebat: *a nobis qui negamus liberum arbitrium miracula exigi non debent*. Et Calvinus (praef. instit.) *improbe faciunt*, ait, *quod miracula a nobis poscunt*. Quid plura? haec miraculorum edendorum desperatio effecit ut acerrime miraculis catholicorum inviderent, illorumque veritatem et vim ad demonstrandam Ecclesiam niterentur evertere.

Ex hoc prodigiorum defectu aliisque quae in sectis acatholicis expendimus, oritur postremo ut vacuae ipsae et sanctitatis expertes non possint in aliis procreare sanctitatem; proindeque sint steriles. Hoc vero esse attributum

(1) Cf. Bellarminum (lib. IV de not Eccl. cap. XIV)

constans communionum ab ecclesia romana separatarum, demonstratione vix eget. Siquidem notum est haereticos in eo solum studium suum impendere consuevisse, et successum aliquem obtinuisse, ut fideles seu catholicos perverterent; *Cum hoc sit negotium illis* (haereticis), ut iam scripsit suo tempore Tertullianus, *non ethnicos convertendi, sed nostros evertendi, hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus elevationem operentur; quoniam et ipsum opus eorum non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, ut sua aedificent.* Ut olim veteres quique haeretici, ita a suo ortu se gesserunt protestantes. Sane quamvis nonnullae ipsorum respublicae classibus instructae essent, et maritimo imperio potirentur, diu tamen ne cogitarunt quidem de gentilibus ad Deum convertendis, sed potius, uti Batavi in Iaponia et Indiis orientalibus, illis mediis abusi sunt ad catholicas missiones evertendas. Tum vero ut defectum zeli tegerent in evangelii praedicatione, principium proclamarunt quo adstruerent nefas esse paganos in sua fide turbare. At vero sub finem saeculi XVII perculsi protestantes gloriosis catholicorum successibus, coeperunt serio cogitare de missionibus apud infideles obeundis. Ex Anglia, statibus foederatis Americae, Gallia, Germania, Hollandia, Helvetia, ac regionibus septentrionalibus vigintitres principales societates institutae sunt ad distribuenda biblia, tractatus religiosos, libros precum et homilias ecclesiae anglicanae. Unaquaeque vero ex his societatibus innumeras habet, quas vocant, sodalitates auxiliares, quae in Gallia 200 recensentur, in Anglia vix numerari possunt. Societas biblica innumera s. Scripturae exemplaria in omnia fere idiomata, omnesque dialectos conversa quotannis distribuit. Missionariorum multa millia quaque versus excurrunt. Abundant vero ii favore legum ac magistratuum; concurrunt apparatus moderatorum ac omnis gra-

dus magistratuum, publicarum ephemeridum doctorum virorum etc. opes quibus missionarii affluunt, conditio regionum in quibus ut plurimum commorantur, quae ad Britanniam pertinent. etc. Quod si ad barbaros ac sylvestres penetrare interdum tentant, semper armatis provinciae praesidiis utuntur, praemia distribuunt solemni pompa in scholis gratuitis quas ubique instituunt, et in quibus saepe alumnos aere proprio sustentant.

Age ergo in tanta mediorum copia quem tandem fructum in fidelium conversione percipiunt? Vix ipsimet protestantes recensere possunt nonnulla individua quae commodioris vitae illecebris, vel quia depulsa a propriis contribulibus, inducta sunt ad religionem christianam profitendam. Nihil suis relationibus inserere possunt, nisi melioris spei in futurum auguria. Denique auctor historiae missionum protestantium non dubitat his verbis narrationi exitum imponere: *Sub finem huius libri; cuius erat scopus enarrare propagationem christianae religionis, animos omnino desponderemus, si nostrae religionis propagatio penderet a successu operum, quae hactenus suscepimus, quaeque in his voluminibus descripsimus.* At vere animos iamdiu desponderunt: quamobrem gubernium anglicanum, cui cordi est ad fines politicos, conversio coloniarum suarum, omni spe destitutum successus missionariorum protestantium, promovet saltem indirecte catholicorum missiones, quas tantum expertum est esse efficaces. Sunt igitur acatholicae societates plane steriles; proinde non sunt illa Ecclesia cui Christus dixit: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae*; nec habent internam sanctitatem; nec vitam, aut media a Christo instituta, sive vera Christi Ecclesia dici non possunt.

LECTIO IV

Ostensioni notarum in Ecclesia romana vigentium fundamentum praestruitur.

Si, ut paulo superius animadversum est, notae omnes proxime eminent et elucent in praesentia apostolicae hierarchiae, abs re non videbimur facturi, si quaestionem de romanae Ecclesiae veracitate, ab evincenda in ipsamet hierarchiae existentia, sive germana et adaequata successione apostolica initium ducamus. Itaque revocandum in mentem est veram hierarchiam, veramque successionem tria postulare, ut dici possit extare in aliqua societate. Imprimis necesse est ut vigeat in eadem vera successio centri unitatis, sive series legitima successorum s. Petri. Secundo ut vigeat in episcopis vera successio Apostolorum. Denique ut hi ipsi successores reperiantur in perpetua adhaesione ad ipsum centrum unitatis. Totidem igitur debemus accurate vindicare Ecclesiae romanae, cuius nomine, uti monuimus, intelligimus omnes christianas societates, quae cum romana Ecclesia communicant.

Ac primo quidem quod ad succesionem centri unitatis attinet, huius verificatio involvit *ius* et *factum*: ius ut sciatur quinam putari possint veri Petri successores: factum ut constet hos vere in romana Ecclesia perpetuo floruisse. Quoad primum, non est cur hoc loco in eo adlaboremus, ut innotescat romanos Pontifices Petri in episcopatu romano successores in eius quoque primatum succedere iure divino. Id enim ex professo agetur in tractatu de romano Pontifice, unde hoc quasi lemma licet nobis in rem praesentem transferre. Ac certe nisi romano episcopo competeret successio in primatum Petri, nequit explicari quomodo absque ulla dissensione usque ab Ecclesiae primordiis Patres omnes tum latini tum graeci primatum rom. Pontificis unanimes agnoverint; quomodo nullo repugnante

episcopus episcoporum et iudex perpetuo sit habitus; quomodo in nullius unquam mentem venerit, ne patriarchae quidem Antiocheni, ut ius sibi ullum ad primatus dignitatem praetenderet; quomodo demum nec a rom. Pontifice dissidentes episcopi, nec haeretici, si recentiores excipias, fuerint ausi husmodi rem vel in dubium revocare. Praeterea constat ex ecclesiasticis documentis sedem romanam semper uti cathedram s. Petri fuisse habitam, semperque primatum supra caeteras totius orbis ecclesias obtinuisse; romanos episcopos semper fidei controversias diremisse uti supremos iudices; primatum exercuisse in episcopos Africae, Asiae caeterarumque provinciarum; sua auctoritate concilia oecumenica semper convocasse et rata fecisse; ius appellationum habuisse perpetuo et exercuisse etc. Sed omnia haec absque primatu in ipsis et quidem divino iure existente, tanta universalitate, animorum concordia et perpetuitate, locum habere non potuissent. Ergo.

Sed haec obiter dicta sint de ipso iure primatus romanorum Pontificum. Quod ad factum attinet, num scilicet unquam defuerit in Ecclesia romana series successorum s. Petri in eius gerendo primatu; ipsum a priori patet atque a posteriori. Etenim, si ex iis quae delibavimus Ecclesiae romanae semel adiudicata censeri debet transfusio primatus; nullo alio opus est, ut tribuatur ei plena et nunquam interrupta illiusmodi successionis possessio. Siquidem ista successio non sic habet ut ecclesiarum particularium successiones, quae sunt divisibiles et defectibiles: sed ex mente Christi indivisibilis ipsa est et indefectibilis, sicuti talis est unitas Ecclesiae propter quam fuit huiusmodi successio instituta. Proinde illa Ecclesia quae possidet successionis initium, et primam trasmissionem; nequit eam habere interruptam; cum eidem legatum sit aliquid quod nec intercidere nec deficere unquam potest.

A posteriori res innotescit ex historiis ecclesiasticis, in quibus designantur variorum romanorum Pontificum sibi

non interrupte succedentium nomina , genus, patria , aetas , legitima electio , gesta etc. 2. Ex reliquis monumentis ecclesiasticis , sacris dypticis , catalogis, operibus musivis , pictis iconibus vel antiquissimis , sepulchris etiam ipsorum Pontificum ad d. Petri existentibus. 3. Ex testimonio sacrorum scriptorum : sic Tertullianus (de praescr. cap. XXXII) et Irenaeus (lib. III adv. haer. cap. III) tum Eusebius (in hist. et chron.) Epiphanius (haer. LXX) Optatus Milev. (lib. II contr. Parmenian.) Augustinus (epist. CLXV) successionem romanorum episcoporum ad sua usque respective tempora diligentissime adnotant. Reliqui Pontifices a sequioribus Patribus similiter recensentur. 4. Patet assumptum ex ipsis illis quae paulo ante innuimus cum de iure primatus ageretur. Si enim nulla est aetas in historia in qua non ubique occurrat realis *quaedam praesentia* romani Pontificis , ut eam appellat cl. Maistrius , sive cum romani Praesules errores haeresesque damnarunt ; sive cum exortas controversias ubique gentium diremerunt, sive cum episcopos longe dissitos tum in Oriente , tum in Occidente minis aut depositione coercuerunt ; sive cum per se aut suos legatos , usque ad concilium Tridentinum, synodis oecumenicis praefuerunt; profecto nunquam defuit in romana Ecclesia qui Petri primatu frueretur. Igitur de perpetua et nunquam interrupta successione rom. Pontificum nonnisi amens dubitare potest. Ex alia parte nemo unquam de eorum legitima institutione et ordinatione ausus est ambigere ; sed tota Ecclesia uti legitimos s. Petri successores agnovit, atque ipsis plenam obedientiam perpetuo praestitit. Ergo. Denique tota eiusmodi res ita est explorata, ut vix ab ullo adversariorum in dubium revocetur, sive quoad partem materialem successionis , sive quoad formalem. Immo vero mirari iidem solent talem successionem , qua fit , ut apostolica sedes novemdecim prope saeculis inter tot vicissitudines religiosas atque politicas stare pergat , atque in pleno vigore consistat.

Si haec ita habent de summi pontificatus successione in Ecclesia romana, ex principiis superius adstructis sequitur in eadem similiter florere totam successionem apostolicam. Siquidem diximus hanc esse inseparabilem a successione centri unitatis, a quo in suo esse formali constituitur. Unde vel nulla uspiam existit successio episcoporum, quod est absurdum; vel in ea Ecclesia reperiri debet, in qua centri successio reperitur. Praeterea, si factum ipsum consulamus; nulla est ecclesia particularis ex illis quae communicent cum Ecclesia romana, quae non possit exhibere suam seriem episcoporum qui ordine non interrupto deducantur usque ab Apostolis; vel saltem quorum successio non fuerit suppleta aut reparata per adhaesionem ad centrum unitatis. Haec vero sufficere diximus ad habendam veram apostolicam successionem. Ergo. Deinde ex his ipsis liquet haberi in Ecclesia romana adhaesionem ad centrum unitatis: atque insuper perspicuum est, ex eo in romana Ecclesia iudicari quinam ad ipsam pertineant, quod adhaereant rom. Pontifici centro unitatis. Denique certum est rom. Ecclesiam nunquam tolerasse, vel uti suos considerasse eos episcopos qui fide et communione romano Pontifici non adhaererent. Igitur. etc.

Haec quidem ita perspicua sunt ut supremum quemdam evidentiae gradum praeseferant. Nihilominus inquiunt 1. adversarii: romanorum Pontificum successio ab ipso sui exordio nodos inextricabiles exhibet. Siquidem dissentiunt veteres quis primus extiterit Petri successor, num Linus, ut habet Irenaeus (lib. III. adv. haeres. c. III) num Clemens, uti docet Tertullianus (de praescript. c. XXXII). Idem dic de Cleto et Anacleto, quos alii distinguunt; alii vero identificant. *Variae sunt*, ait ipse Schelestrate (antiquit. eccles. diss. II cap. I) *circa Clementem et alios tres primos Pontifices, qui Petro successerunt, veterum sententiae. Alii enim Clementem statuunt ordine secundum*; *alii autem tertium ponunt cum antiquiore*

catalogo; *alii quartum a s. Petro collocant cum s. Hieronymo. Aeque magna est veterum dissensio de aliis tribus Pontificibus, qui post Petrum sederunt. Optatus enim Milevitanus* (*lib. II*) *successionem quatuor primorum romanorum pontificum recensens, primo ponit Petrum* cui, *inquit*, successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus *etc. Idem plane habet s. Augustinus (epist. CLXV)* Petro enim successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus. *Aliter s. Irenaeus (lib. III cap. III) nam hoc modo ordinem recenset*: Petrus; Linus, Anacletus, Evaristus. Ergo.

Resp. Nego assumpt. Ad probat. *dist. antec.* Successio romanorum Pontificum apud veteres praesefert nodos qui attingant ipsam in se perpetuam eorum successionem; *Nego*; qui attingant nonnulla eius individua, et adiuncta; *Conc.* Veteres licet aliquantum dissentire videantur circa ordinem aut personam quorundam individuorum, tamen plane unanimes contestantur romano episcopatui primatum suum inseruisse s. Petrum, et romanos episcopos habuisse successores. Secundo in eo consentiunt quod inde usque a Petri obitu ad sua tempora nunquam interrupta fuisset series romanorum Pontificum. Et certe, uti superius vidimus, ex ea tamquam ex cathedrae principalis successione argumentum ducebant ad evincendam veritatem Ecclesiae. Eam obiiciebant cuiusvis generis haereticis, hosque similiter provocabant ad suorum episcoporum ordines edendos. Utrumque igitur, et quod Petrus successores sibi fecerit romanos episcopos, et quod iidem non interrupte successerint, debebat esse factum notorium, pubblicum, et ab omnibus in confesso habitum. Secus haeretici potuissent reclamare, et sibi impactam accusationem in adversarios retorquere; cuius quidem rei in historiis nullum vestigium extat.

Quae cum ita sint, quis possit de alterutro, aut de utro-

que facto dubitare? Ipsum proinde in se incluctabile est, ac tantum criticis relinquitur labor, ut iudicent qui possint veteres invicem conciliari; vel quibus ex caussis potuerit discrepantia incidere; ac denique quaenam omnium series probatissima haberi possit.

Iam vero ne idipsum omnino taciti praetereamus, imprimis optime conciliari possunt Tertullianus qui secundum a Petro facit Clementem, et Irenaeus qui hunc ipsum ponit ordine quartum, si dicamus Irenaeum locutum fuisse de Lino et Anacleto veluti de immediatis Petri successoribus; Tertullianum vero de Clemente tamquam de successore s. Petri mediato. Quod ad Cletum attinet et Anacletum, vel dicendum est quod unus idemque esset, sed duplici donatus nomine affini, quorum unum esset apocope alterius, ut saepe occurrit in antiquitate, et inter nos etiam fieri consuevit. In quo casu qui distinxerunt falsi sunt ignoratione huius adiuncti, et quod modo Cletum, modo Anacletum nominari audivissent, duas personas ex una fecerunt, quod certe non immutat obiectivam seriem successionis. Vel contra, quod videtur probabilius, affirmandum est Cletum et Anacletum duo fuisse individua nomine vix diverso insignita. Atque hoc in casu nonnulli arbitrati sunt fuisse illa nomina eiusdem personae, ac duos Petri successores in unum qui duratione utrique aequipolleret, ex errore conflarunt.

Denique quod Clementem alii ponant ordine tertium, alii quartum; Bellarminus (lib. II. de rom. Pont. cap. X) censet duos fuisse Anacletos: unum antecessorem Clementis, quique sit identicus Cleto; alterum successorem qui tantum Anacletus audiverit. Sed non est necesse his niti divinationibus. Dicemus simplicius Patres unos aut alios ex memoria seriem recitasse, eiusque lapsu unum alteri, veluti si nos idem opus exequeremur, postposuisse. Idque eo facilius potuit contingere, quod viderent hoc esse adiaphorum, ac probe nossent de non interrupta romanorum Pontificum successione nullum cuiquam dubium potuisse obrepere.

Obiic. II. In serie subsequenti romanorum Pontificum occurrunt Papae dubii, intrusi, simoniaci etc. Ergo nihil certi de illius iugi integritate affirmari potest.

Resp. Vel in obiectione supponitur legitimam fuisse talium Pontificum institutionem, vel non. Si primum, non refert quod deinceps prave seipsos gesserint, omnia per simoniam administraverint, etc. Ut enim superius adnotavimus, sanctitas successionis non pendet ex gestis individuorum, et ut inquit s. Leo (serm. III. de Nat. ips. III cap. IV) *Petri dignitas in indigno haerede non deficit.* Si vero sermo sit de iis quorum ob intrusionis vitium aut simoniae, aliamve ob caussam vel dubia vel nulla extiterit institutio, tempus illud considerandum est uti tempus sedis adhuc vacantis et nondum provisae. Ita tamen ut simul ac turbae et expostulationes conquieverint, et undequaque consensum sit in eo Pontifice admittendo aut tolerando, iam omne vulnus intelligatur sanatum per ipsum consensum Ecclesiae.

Obiic. III. Atqui non modo occurrunt in serie pontifices dubii, sed frequentes eiusdem seriei interruptiones propter diutinam sedem vacantem. Ergo.

Resp. dist. antec. Occurrunt frequentes interruptiones quae veram rationem interruptionis seriei habeant; *Nego*; quae simplex fuerint romanae sedis brevior aut prolixior vacatio; *Conc.* Non sic Christus spopondit perpetuitatem successionis, ut inspectis omnibus, ostenderet velle se arcere efficaciter illa omnia quae possent non quidem vere interrumpere seriem successionis, sed retardare dumtaxat institutionem successoris. Igitur ex vacatione sedis utut diuturna, nihil concludi per se potest, donec probetur illam vacationem habuisse characteres verae interruptionis. Age vero in omni politica societate series regum vel praesidum non putatur interrumpi quamdiu ob sola impedimenta extrinseca nequit ad aliquod tempus rex aut praeses eligi; et interim ipsa societas est in statu eligen-

di, et satagit ut eligat, ac agnoscit sine rege vel praeside se mancam et informem esse. A pari ergo, si Ecclesia aliquando exivisset e statu Pontificem eligendi, huiusque rei curam abiecisset, noxiam sibi aut inutilem reputasset, neque interim nisa fuisset Pontificem eligere; haberemus characteres verae interruptionis. At enim contigit semper contrarium. Interim ergo pontificia potestas erat in dispositione caussarum, sive in potestate electorum, ut posset per individui determinationem eligendo conferri.

Ex his apparet quod multo minus ad rem facit epocha magni schismatis occidentalis, ad quam maxime adversarii videntur alludere. Primum enim si Urbanus VI vere non fuit romanus Pontifex, et eius irrita fuit electio; tunc procul dubio valida fuit inauguratio Clementis VII, qui creatus est omnium, uno excepto, Cardinalium suffragio, quique ideo tantum non est ab omnibus uti Pontifex habitus, quod ambigeretur de valida electione Urbani VI. Deinde nunc temporis iam pene apud omnes in confesso est Urbanum VI fuisse legitimum Petri successorem. Denique etsi nullus ea aetate Pontifex extitisset, recensendus iste esset inter casus sedis ex extrinseco impedimento per accidens vacantis.

LECTIO IV

Unitas Ecclesiae romanae in perspicuo ponitur.

Supposita ex modo disputatis in Ecclesia romana hierarchia, potest sole clarius in ea spectari ipsius unitas. Etenim si Ecclesia romana possidet apostolicam hierarchiam in tota ipsius plenitudine et integritate; possidet adaequate medium a Christo institutum ad continendam Ecclesiae unitatem. Sed si possidet tale medium, nequit in ea desiderari ulla pars eiusdem unitatis: secus medium a Christo electum inefficax iaceret. Ergo. Praeterea sup-

posita hicrarchia , habes in Ecclesia romana complexum fidelium , quorum singuli in singulis particularibus ecclesiis pendent in fide et communione a propriis apostolicis pastoribus, qui item omnes omnimode coadunantur in uno centro unitatis romano antistite. Porro hic Ecclesiae conspectus respondet amussim typo unitatis Ecclesiae, quam iuxta exigentiam institutionis Christi, dudum adumbravimus. Igitur.

Verum , si libet , istiusmodi conspectus partes paulo accuratius contemplemur. Itaque certum est constitutionem Ecclesiae romanae eam esse ut habeat pro primo suique praecipuo fundamento principium auctoritatis, et quidem infallibilis in docendo ; itemque supremae in regendo potestatis. Hinc omnes tenentur se subiicere non solum corde, sed et mente solemnibus eius definitionibus , nisi velint ab Ecclesia extorres fieri; et ita cum capite eius visibili romano Pontifice, et secum invicem communicare , ac propriis pastoribus sub romano Pontifice obtemperare, ut tamquam ethnici et publicani habeantur quicumque sub quovis praetextu superioribus suis respectivis , romano praesertim Pontifici eiusmodi subiectionem detrectent. Hinc Ecclesia romana ex ipsa sui essentiali constitutione est una.

Neque vero dubitare licet num unquam a legibus huius essentialis suae constitutionis deflexerit. Ecquando enim romana Ecclesia discordiam in fide inter suos filios toleravit ? Quandonam errores , siqui forte in aliqua ecclesia particulari exorti sint , ex negligentia aut oscitantia succrescere et in vulgus spargi sit passa ? Nonne hanc ob rem ab ipsis adversariis intollerantiae passim accusatur ? Denique quem in toto ambitu Ecclesiae romanae reperias, qui in fidei articulis non plane cum caeteris omnibus consentiat? Si vulgus ipsum et rudiores homines consulis , nonne omnes unius labii et hic in nostra regione, et terrarum ubivis reperias ? Quod si eorum aliqui aut ignorare nonnullos fidei articulos, aut falsam de ipsis opinionem habere deprehenduntur ; iidem tamen se univer-

sim iis assentiri profitentur quae doceat sancta mater Ecclesia. Unde ipsi ignorantia laborant, aut errore materiali dumtaxat, non autem formali.

Haec eadem fidei concordia spectari potest ubivis locorum in praxibus dogmaticis, sive quae cum aliquo fidei articulo cognationem habeant. Quamobrem quocumque in romana Ecclesia oculos circumvolvis, omnia tibi praedicant eiusdem in fide unitatem. Ubivis enim tot numero ministrari sacramenta reperies; ubivis piaculare missae sacrificium celebrari; ubivis cultum ss. imaginum et reliquiarum vigere; ubivis preces et suffragia pro defunctis offerri, et alia sexcenta. Ita ut ex sola inspectione talium praxium, iam possis decernere ad quam ecclesiam singulae communitates pertineant. Itemque ex eadem possit veluti integrari tota fidei professio quae propria sit omnium et singularum partium romanae Ecclesiae. Denique si propositam regulam ob oculos tibi denuo ponas, et ea duce totam in toto orbe contemplaris romanae Ecclesiae antiquitatem; enimvero deprehendes in fidelium professione fidei, in Ecclesiae praedicatione, in pontificum constitutionibus, in conciliorum, licet dissitissimis aetatibus et locis habitorum, canonibus, in pontificalibus, sacramentariis, euchologiis, etc. nihil plane reperiri, quod aut mutuo, aut cum fide praesentis aetatis ullatenus pugnet. Et confirmatur experimento haereticorum, qui utut diligentissime rem fuerint rimati, nunquam aliquam in fide Ecclesiae romanae discrepantiam ostendere potuerunt. Hoc vero citra miraculum haberi nullo modo potuit. Unde id per se, praescindendo etiam a nota unitatis, character est divinitatis huius doctrinae, et Ecclesiae, quae eandem profitetur. Praesertim cum innumera adiuncta propellerent ad contrahendam consulto aut temere, aliquam alicubi in fide repugnantiam aut varietatem.

Quae cum ita sint, de fidei unitate in Ecclesia romana dubitari non potest. Quod vero attinet ad unitatem

communionis, ea in Ecclesia romana simili fulget evidentia. Quando enim unquam tolerati sunt in Ecclesia romana et pro ipsius membris habiti, qui sive propriis pastoribns, sive romano Pontifici debitam obedientiam denegarent? Nonne tota antiquitas et ecclesiastica historia contrariam consuetudinem revelat? Nonne eandem nostris oculis perpetuo usurpamus? Nonne inde etiam ab adversariis passim intollerantiae accusamur? Idem dicatur de participatione sacramentorum, et bonorum quaecumque in manu pastorum Ecclesiae Christus reliquit. Quis enim haec in romana Ecclesia nisi ab eiusdem praesulibus expectet? Si vero una est in Ecclesia romana fides, una quoque eorundem bonorum spes sit oportet. Sed viget etiam in ea communio caritatis. Nullum enim est Ecclesiae romanae membrum quod paratum sit habere pro suo socio religionis et fidei illum qui romanae Ecclesiae non sit alumnus. Unde etiam ex hoc capite intollerantiae nos insimulant. Item nemo ex ipsis est qui membra Ecclesiae romanae non agnoscat uti sibi socia, et uti talia diligat, sentiatque sibi cum ipsis esse communicationem omnium bonorum Ecclesiae.

De hierarchia nihil est addendum, cum perfecta in Ecclesia romana visa sit existere. Tantum si haec vel obiter inspiciatur, apparet a summo Pontifice descendere in omnes episcopos, atque ex his in inferiores dignitates usque ad infimum individuum Ecclesiae, omnem influxum sive potestatis et dignitatis, sive quorumcumque bonorum spiritualium. Itaque ex his omnibus Ecclesia romana deprehenditur eum sui conspectum exhibere, ut vere sit una domus, una familia, unum regnum, unum ovile etc. Cernitur item ea esse unum corpus connexum et compactum per omnem iuncturam subministrationis secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, etc. Iam vero talem Scripturae decernunt esse debere veram Christi Ecclesiam. Ergo Ecclesia romana est vera Ecclesia Christi.

At enim dices I. Tradita a catholicis regula ex qua ostensa fuit in Ecclesia romana unitas, fidei non veram sed fucatam parit fidei unitatem. Etenim vi traditae regulae permittitur discordia in his quae non sint ab Ecclesia definita. Sed ea quae non sunt definita saepe in seipsis spectata, sunt de fide, utpote in divina revelatione per se continentur. Ergo habetur discordia in fide, cum qua nulla unitas componi possit.

Resp. Nego assumpt. Ad prob. conc. mai. dist. min. Ea quae non sunt definita saepe sunt de fide, ita tamen ut hoc ipso quod non sint definita, non contineantur in obiecto unitatis fidei; *Conc.* Secus; *Nego.* Si Christus non privatum uniuscuiusque iudicium, sed Ecclesiam constituit, ut paulo post ostendemus, iudicem controversiarum fidei; hoc ipso sanxit eiusdem fidei unitatem non ex alio capite expendendam ac diiudicandam esse, quam ex solemnibus Ecclesiae sanctionibus, quibus omnes eiusdem filii unanimes obtemperare debeant, quidquid denique sit de obiectiva existentia plurium articulorum qui continentur per se in divina revelatione, et definitionis materia esse aliquando possunt. Ex eo igitur quod permittatur discordia in iis quae nondum fuerint definita, non sequitur infringi illam unitatem quam sibi Christus in Ecclesia praestituit, quaeque nota esse debet unitatis Ecclesiae. Adde quod in eo ipso dum in articulis adhuc adiaphoris catholici inter se dissentiunt, semper tamen animo et voluntate id sentire et profiteri intendunt quod forte sentiat aut sensura sit aliquando Ecclesia: quo quidem patet illum dissensum esse tantum materialem, non autem formalem.

Dices II. Dato quod tradita regula sit per se sufficiens ad gignendam conservandamque fidei unitatem; nihil tamen pontificii lucrantur. Siquidem reapse talis regula apud ipsos locum non habet, nec habere potest. Sane imprimis apud eos non constat utrum definitio articulorum fidei re-

peti queat ex solo romano Pontifice quidpiam ex cathedra, ut aiunt, definiente, an ex conciliis, seu Ecclesia. Secundo sive ad hanc regulam assumatur Pontifex, sive Ecclesia, nequit vitari petitio principii. Nam ut unus aut altera sit fidei regula, debet de fide esse quod unus aut altera sit infallibilis. Sed nequit id de fide esse, nisi unus aut altera assumatur uti fidei regula, ac testetur se esse absolute infallibilem. Ergo.

Resp. Nego assumpt. Ad 1. prob. dist. antec. Non constat utrum articulorum fidei definitio repeti debeat a solo Pontifice romano, vel ab ecclesia, etc. in sensu copulativo; *Conc.* In sensu mere disiunctivo; *Nego.* Sensus hac in re mere disiunctivus est ut dubitetur num quidpiam competat uni vel alteri, et ita de neutro certitudo habeatur; ut si dicam nescio: an praesidis munus consecuturus sit Caius vel Titius. Copulativus vero est, ut cum de uno constet subiecto, ambigatur an quod ei competit, possit communicari etiam alteri; ut si dicam: nescio an ex potestate regis sit hanc facultatem facere, an eius ministri: de rege non dubito, sed de ministro tantum. Age ergo quod ad rem praesentem attinet, nemo plane inter catholicos est qui non sentiat, romanum Pontificem cum Ecclesia seu corpore pastorum, sive in concilio sive extra concilium esse prorsus infallibilem. Disceptatur vero dumtaxat, num ut est infallibilis romanus Pontifex una cum Ecclesia, ita etiam sit se solo infallibilis, cum in rebus fidei et morum quidquam ex cathedra definiat. Si quidem res ita habet, sequitur ad summum non posse nos uti tamquam regula fidei tum auctoritate Pontificis se solo definientis, tum auctoritate eiusdem definientis cum Ecclesia; sed non sequitur nulla posse uti regula, cum ex dictis illa omnium consensione praesto sit norma, recensendum esse in articulis fidei quidquid Pontificis et Ecclesiae, seu Ecclesiae suo capite visibili instructae suffragium habeat.

Ad secundum *nego pariter assumpt. Ad probat. conc. mai. neg. min.* Ut fide constet Ecclesiam una cum suo visibili capite esse infallibilem fidei regulam, non est necesse ut id ab ipsa Ecclesia nos docente et eandem rem contestante comperiamus. Sed in re huiusmodi talem dicimus dari processum. Ex tota de Ecclesia theoria, promissionibus Christi etc. naturali demonstratione et persuasione nobis innotescit, quod nisi caput ipsum Ecclesiae per se sumptum, saltem idem cum Ecclesia coniunctum, debeat pollere commemorata infallibilitate. Quippe deprehendimus quod si verba et intentiones Christi eludi quadamtenus possint quoad caput Ecclesiae se solo acceptum, saltem, ne sensus ac frugis dicantur vacua, debent verificari in capite simul et Ecclesia, sive in Ecclesia suo visibili capite instructa. Hoc stante fundamento, tamquam ex naturali demonstratione cogimur confiteri Ecclesiae, sensu dicto sumptae, infallibilitatem. At enim ope gratiae idem naturale iudicium convertitur in assensum fidei, quo et credimus fide divina infallibilitatem Ecclesiae, et parati sumus fide profiteri quidquid ipsa nobis credendum proposuerit. Nulla itaque incurritur principii petitio. Nam credimus quidquid Ecclesia credendum suggerat, eo quod ipsam infallibilem credamus in rebus fidei et morum. Credimus autem infallibilem in rebus fidei ac morum, non quia Ecclesia infallibilis nos id doceat, sed quia naturali demonstratione praedispositi potuimus per auxilium gratiae naturalem persuasionem in assensum supernaturalem fidei circa tale obiectum convertere. Caeterum nil vetat quominus si assensum fidei retineamus circa infallibilitatem Ecclesiae, et ipsa nos doceat inter caeteros articulos suimetipsius infallibilitatem, possimus ut caetera, hanc quoque profiteri, tamquam quod docet illa Ecclesia quam alioquin infallibilem confitemur.

Dices III. Tametsi possit haberi regula fidei inter catholicos, et ea theoretice extet; practice tamen ibidem non

viget, nec suos edit fructus. Etenim primo saepe dubitatum est in romana Ecclesia et adhuc dubitatur quaenam in conciliorum oecumenicorum albo recenseri debeant. Sane Gallis oecumenica concilia sunt Constantiense et Basileense; Italis vero Lateranense V et Tridentinum etc. Praeterea in ea societate innumeri versantur Iansenistae, qui haeretici sunt, et tamen eiusdem communioni adhaerent. Insuper magna ex parte referta est hominibus indifferentistis, incredulis, atheis, ipsius Ecclesiae perniciem molientibus. Denique siqua nihilominus unitas apud pontificios florere videtur, eadem debetur adiunctis extrinsecis, puta cleri dominationi, ignorantiae, et defectui progressus; tribunalibus inquisitionis, et episcoporum tyrannidi; ipsi etiam internae eius constitutioni, et omnimodae intollerantiae, ac principio auctoritatis quam plurimum posset provecto. Ergo.

Resp. Nego assumpt. Ad 1 probat. iam diximus alias inter Gallos et Italos nullam unquam dissensionem extitisse circa ea quae in conciliis Basileensi et Constantiensi contra haereticos definita sunt, et a romanis Pontificibus confirmata; sed tantum in iis quae approbata non fuerunt a romanis Pontificibus, nec fuere conciliariter acta, vel in decretis disciplinaribus. Concilium Lateranense V a nonnullis in dubium revocatum fuit ob exiguum numerum episcoporum; sed iam ab omnibus, non exceptis Gallis, uti oecumenicum recipitur. Multo vero minus ulla unquam dubitatio extitit de oecumenicitate Tridentini in decretis fidei, et patet ex fidei professione quae iussu Pii IV ab omnibus elicitur in universa Ecclesia.

Ad secundum: Ianseniani eiusmodi vel occulti sunt, vel manifesti. Si primum, mirum non est si adhuc quadamtenus adhaereant corpori Ecclesiae, cum suo loco diximus externam communionem nonnisi aperto schismate, aut haeresi manifesta amitti. Si vero sint publici, nequaquam concedimus ipsos Ecclesiae romanae societate adhuc gaudere. Si enim, ut apud protestantes, omne fidei

negotium ex privato iudicio transigeretur; ex privato cuiusque errore, uti vidimus, quantumvis manifesto, non excluderetur ullus a societate Ecclesiae. Sed cum talis sit Ecclesiae romanae constitutio, ut qui diversam a fide ipsius doctrinam profiteantur, eo ipso ad eandem pertinere non possint; Ianseniani publici suo se indicio dudum condemnarunt, nempe a communione exciderunt; licet Ecclesia romana ob prudentem oeconomiam eos nominatim a suo sinu expellendos non censuerit. Itaque illi sunt materialiter in Ecclesia; sed non sunt de anima vel corpore Ecclesiae. Interim nisi resipiscant, Ecclesiae sacramentis in mortis articulo privantur et ecclesiastica sepultura. Denique non secus eiusmodi Ianseniani spectandi sunt, ac olim Manichaei et Pelagiani, qui nunquam videri voluerunt ab Ecclesia separati. Atque eadem plane responsio accommodanda est indifferentistis, et aliis quibuscumque ab Ecclesiae doctrina et instituto pubblice aut occulte desciscentibus.

Ad tertium negamus. Nam certe clerus primis Ecclesiae saeculis nullam dominationem habere potuit, et tamen conservata est semper Ecclesiae unitas. Nunc etiam temporis, praesertim in regionibus acatholicis, clerus non dominatur, sed servit, sarta tectaque fidei concordia. Adde quod clerus eatenus dominari posset, quatenus antecedenter consentiant fideles in agnoscenda eius divina institutione, seu legitima successione ab Apostolis; proindeque semper esset supponenda veritas romanae Ecclesiae.

Eadem porro non impedit ullum progressum, nisi progressum in incredulitate et impietate, ut scilicet non obstantibus omnibus motivis credibilitatis, velit quispiam, contra ipsius rationis lumen, fidei contradicere. Tribunalia inquisitionis nonnisi sero invecta sunt, nec fuerunt ubique recepta, et iamdiu desivere; et tamen incolumis semper stetit unitas romanae Ecclesiae. Episcopi etiam nunc temporis passim servitute premuntur. Contra pluribus in locis, in regioni-

bus praesertim protestantium, omnimoda viget conscientiae libertas.

Ad ea quae adduntur de intollerantia, principio auctoritatis, constitutione romanae Ecclesiae etc. distinguimus: debet hisce elementis Ecclesia suam unitatem, utpote sint illa ipsa elementa quae Christus ad unitatem instituit, ac commendavit, et in quae iugiter conservanda influit; *Conc.* alio sensu ; *Negamus.*

LECTIO VI

Reliquarum notarum praesentia in Ecclesia romana demonstratur.

De nota apostolicitatis non est cur denuo adlaboremus. Nuper enim Ecclesiae romanae vindicavimus apostolicam in omni sua integritate hierarchiam, seu successionem apostolicam. At ex dictis de proprietate apostolicitatis, haec ad successionem tota revocatur, in ipsaque elucet. Ergo.

Quod ad catholicitatem spectat, ea ex alias expensis requirit diffusionem materialem, et identitatem formalem in ipsa diffusione. Diffusio vero materialis constat 1. si aliquando saltem, Ecclesia totum orbem occupaverit. 2. Ut satis multas orbis partes actu occupet. 3. Ita tamen ut detur locus ulteriori semper extensioni pro adiunctis physicis et moralibus, nec respuat vices in hac extensione per aliquot hominum defectionem. 4. Ut retineat semper materialem etiam praevalentiam supra sectas saltem seorsim sumptas. 5. Ut spectetur in ea aptitudo et efficax tendentia ad se magis magisque diffundendam. Ex parte vero catholicitatis formalis requiritur ut in quocumque ex dictis statu accipiatur Ecclesia, semper fide communione et regimine sit identica quoad sui partes simultaneas, et item quoad omnes quae per omne tempus et omnem locum praecesserunt.

Age ergo experiamur an haec verificentur reapse in

romana Ecclesia. Imprimis si ecclesia romana, ut ex dictis patet, est materialiter et formaliter propter successionem apostolica; identificatur materialiter et formaliter cum Ecclesia quae sub Apostolis floruit. Sed Ecclesia quae sub Apostolis floruit occupavit totum orbem. Ergo Ecclesia romana implet primam conditionem, ut aliquando saltem fuerit toto orbe diffusa. Minorem evincunt Pauli verba (Rom. I, 8): *Fides vestra annunciatur in universa mundo.* Et (Rom. XV, 19) *Ita ut ab Ierusalem per circuitum usque ad Illirycum repleverim evangelium Christi.* Ac (Col. I, 6) *Quod* (evangelium) *pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicut et in vobis. etc.*

Item tempore Irenaei erat sparsa Ecclesia romana per totum orbem, idest, per omnes provincias tunc cognitas, id quod ipse refert (lib. I adv. haer., cap. III). Idem postea refert de suo tempore Tertullianus (lib. contr. Iudaeos cap. III). Idem postea Cyprianus (lib. de unit. Eccl.). Idem postea Athanasius (lib. de humanit. Verbi). Idem Chrysostomus et Hieronymus (in cap. XXIV Matth.) et Augustinus (epist. LXXVIII et LXXX ad Hesychium) Leo M. (serm. de ss. Petro et Paulo) ac s. Prosper qui (carm. de ingrat.) ita cecinit:

Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis
Relligione tenet....

Idem liquet ex actis martyrum ubique terrarum gloriosa morte affectorum, ex Patrum scriptis qui ad omnes orbis cogniti nationes spectant, et existentiam Ecclesiae perhibent tum per omnem late orbem, tum in singulis suis provinciis; denique ex toto complexu monumentorum quae frustra esset heic singillatim commemorare.

Atque id dictum volumus de ea epocha quae porrigitur ab ortu Ecclesiae ad saeculum usque XV. Tum vero detecto per incrementa nautica altero hemisphaerio, statim

Ecclesia veluti suo iure usa, ac proprio munere fungens suis filiis prospectura in Americam, in Indias, reliquasque regiones se dilatavit, quod ab ea aetate enixissime ac felicissimo exitu praestare nunquam intermisit.

Secunda conditio quod nempe actu romana Ecclesia occupet et semper occupaverit satis multas orbis partes, ex his ipsis quae modo disseruimus est evidentissima. Praeterea quodcumque saeculum inspiciatur, innumera occurrunt monumenta sive historica sive aliorum generum, quae perhibent communicationem episcoporum cuiusvis in toto orbe cognito regionis cum romano Pontifice, et Ecclesiae existentiam. In ipsis regionibus haereticorum aut schismaticorum ubique, ex iisdem monumentis, comparent disseminati Ecclesiae romanae filii. Ita habuit semper atque habet romana Ecclesia filios in Grecia inter schismaticos, in Chaldaea inter Nestorianos, inter Eutychianos in Aegypto, ubique inter Islamitas etc. Cum vero hi sint membra romanae Ecclesiae, et vivant de vita ipsius, ac pro eadem fructificent; tantundem est ipsos ibi versari, ac in iisdem locis Ecclesiam reperiri. Si vero spectetur aetas nostra, quisque novit Ecclesiam romanam fructificare et crescere ubique terrarum apud catholicos, infideles, haereticos, atque schismaticos.

Toto hoc temporis fluxu occurrunt utique defectiones plurimorum. Sed 1. diximus divinam Christi institutionem, eiusdemque promissiones hisce locum non praeripuisse. 2. Nunquam certe tantam fuisse defectionem, ut Ecclesia non perseveraret diffusa in satis ampla orbis parte.

Quoad tertiam conditionem, seu praevalentiam materialem romanae Ecclesiae super caeteras sectas, si de aetate hac sit sermo, constat ex Franc. Patricio Kenrick coadiutore episcopi Philadelphiensis (theol. dogm. tom. I. de eccl. p. 117) numerum acatholicorum assurgere ad 98,000,000: contra numerum catholicorum attingere 180,000,000. Vel si sequi mavis supputationem Hadriani Bal-

bi, dices numerari heterodoxos 121,000,000; catholicos vero 139,000,000. Quod si tantus est membrorum Ecclesiae romanae excessus supra sectas simul sumptas; qualis quantusque resultat supra singulas earum; immo vero supra topicas quasque sectarum fractiones, quas totidem separatas ecclesias constituere non ita pridem animadvertimus? Age vero ex hac proportione facile perspicis quod semper catholici numero praestiterint heterodoxis, saltem seorsim sumptis. Si enim nunc trascendunt ipsum complexum; quae potest esse suspicio num aliquando nec singulas acies et fractiones superaverint?

Denique tendentia Ecclesiae romanae ad se dilatandum patet ex indefessa reactione contra tot obstacula; ex sacris expeditionibus, earumque effectu; ex novis episcopatibus aut vicariatibus qui ubique excitantur; ex ipso catholicorum numero qui in Anglia praesertim et America quotidie augetur. Atque haec dicta sint de Ecclesiae romanae materiali diffusione. Formalem identitatem vindicata dudum ipsi unitatis proprietas ac nota manifestat. Etenim Ecclesiae romanae, vi successionis apostolicae, competit ex dictis unitas antecedens, simultanea et consequens quoad fidem, communionem, et hierarchiam. Sed haec unitas est ipsa identitas: ergo. Porro memineris hanc unitatem formalem tantae vis esse, ut etiamsi Ecclesia romana non haberet aliquo tempore catholicitatem materialem, tamen dicenda foret vera Ecclesia, et vere catholica. Nam, iuxta principia superius explanata, vi identitatis formalis, ipsa identificatur cum illa Ecclesia, quae sub Apostolis ac deinceps fuit etiam materialiter catholica. Talis autem non potuit non esse vera Christi Ecclesia et vere catholica. Ergo Ecclesia romana est vera Ecclesia, et vere catholica. Insuper memineris quod si romana Ecclesia possidet hierarchiam apostolicam, possidet missionem efficaciter catholicam. Si hoc, nequit non esse catholica. Ergo etc.

Restat nota sanctitatis in qua distinguenda est, iuxta

dicta (sect. III. lect. VI) sanctitas communis et essentialis, a sanctitate personali individuorum. Tum secernendum est ius illorum quae ad sanctitatem pertinent, a facto eorundem. Quod ad primum attinet, facillimum est vindicare Ecclesiae romanae omnem partem sanctitatis essentialis. Si enim ex supradictis habet originem apostolicam, profecto possidet sanctitatem originis. Si item propter omnimodam apostolicitatem identificatur cum Ecclesia apostolica, est certe illud ipsum spirituale aedificium quod Christus extruxit; adeoque habet sanctitatem essentiae. Si est idem aedificium, atque habet eandem constitutionem; profecto habebit eandem sanctitatem vitae internae quae competit Ecclesiae Christi. Hinc et sanctitatem vitae externae, quae ab illa dimanat. Pariter si habet apostolicitatem fidei, communionis, et hierarchiae; procul dubio vindicare sibi potest earundem rerum sanctitatem. Posita autem sanctitate hierarchiae, iam et poni debet sanctitas missionis, finis, et mediorum; cum haec ex Christi instituto ab hierarchia dependeant, et ad ipsam referantur. Ergo omnis sanctitas essentialis romanae Ecclesiae est tribuenda. Et quoniam vidimus hoc sanctitatis genus in Christi Ecclesia esse plane immutabile, sequitur profecto romanae Ecclesiae sanctitatem inesse, quae vicibus nulla ratione sit obnoxia.

Constabilito hoc fundamento sanctitatis essentialis, nullo negotio eruitur ac distinguitur pro Ecclesia romana ius omnium eorum quae recenseri solent in Ecclesiae sanctitate. Sane si sermo sit de sanctitate doctrinae, impossibile est ut haec non reperiatur in illa Ecclesia, quae habet actu doctrinam apostolicam. Sed Ecclesia romana actu, ex dictis, possidet doctrinam apostolicam: ergo. Hinc iudicium effloresct de virtutibus, quas eadem profitetur. Illa enim societas quae habet doctrinam apostolicam, nequit falsam doctrinam in virtutibus consectari. Si ergo Ecclesia romana habet doctrinam apostolicam, verae virtutes sunt illae quas ipsa commendat. Similiter si Ecclesia ro-

mana propter missionem quam possidet apostolicam, debet habere vera media sanctificationis apostolica, enimvero sacramenta quae ministrat debent esse vera organa sanctitatis, seu vera sacramenta. Et eandem ob caussam debet pro rei exigentia instrui talibus prodigiis, quae fucata esse non possint.

His de iure constitutis, quae simul illative factum talium partium sanctitatis Ecclesiae romanae vindicant; non restat nisi ut intuitive in eadem ipsum factum spectetur, quo plenior et evidentior evadat sanctitatis nostrae Ecclesiae demonstratio. Et ad doctrinam quod attinet, facto constat nihil in Ecclesiae romanae doctrina reperiri quod ullum errorem, aut ullam turpitudinem, vel quidpiam rectae rationi contrarium praeseferat. Praeterea facto etiam constat, ac nos agentes de unitate formali et catholicitate Ecclesiae romanae nuper ostendimus, nihil esse in eius doctrina quod ab apostolica doctrina dissentiat. Denique experimento innotescit eo plus unumquemque praeclaris moribus rectaeque rationi consentaneis effulgere, quo magis doctrinae Ecclesiae romanae praeceptis atque institutis inhaeret.

Factum virtutum in romana Ecclesia innotescit primo ex professione quae semper in ea viguit ac viget consiliorum evangelicorum. Deinde cum ostenderimus Ecclesiam romanam materialiter et formaliter identificari cum Ecclesia quae sub Apostolis, et primis post Christum saeculis floruit; ipsius sunt virtutes Christi capitis, b. Virginis et Apostolorum; tum totus heroismus martyrum, quotquot per tria priora saecula ac deinceps fidem sanguine confirmarunt. Item omnium per singulas aetates virginum, eremitarum, claustralium, episcoporum, summorum Pontificum, et ex reliquo clero caeterorum. Similter praesto sunt tot sancti qui virtutes in gradu heroico excoluere, ex quibus quovis saeculo plures deprehenduntur evecti ad solemnem canonizationem; quod quidem nonnisi longo et

accurato virtutum examine instituto peragitur. Universim quidquid in historiis legimus, praesertim in actis Bollandianis; quidquid nostris oculis usurpamus, aut auribus narrari audimus. Si nihil aliud haberemus praeter invictam fortitudinem tot hominum qui ad exteras convolant missiones, sine ulla spe terreni emolumenti; id satis superque nostrae caussae haberi deberet.

Ad idem factum virtutum referendae sunt tot sacrae institutiones ab initio praestitae ad ipsas virtutes sive excolendas sive exercendas, puta tot virorum ac mulierum coenobia. Licet enim multi in his a recto tramite desciverint ac desciscant; tamen ipsae institutiones sunt fructus maximarum virtutum; studium et professionem virtutum in catholica exhibent; in plurimis etiam suos habuere effectus et adhuc habent. Ecclesia vero non probat individuorum socordiam, sed ad spiritum primigeniae institutionis omnes conatur revocare. Coenobiis adde reliquas institutiones, sacras militares expeditiones, pias sodalitates, nosocomiorum, orphanotrophiorum erectiones, scholarum piarum ad informandam iuventutem institutiones, et alia innumera quae exhauriunt omnem philanthropiae ambitum et longe exsuperant. Haec non modo nunquam in Ecclesia romana desiere, sed in dies aucta sunt et augentur. Ac nostra quidem aetate videmus etiam mulieres omnigenis fungi caritatis officiis, perenni miraculo castitatis ex ipsarum parte, et religiosae reverentiae ex parte omnium cuiuscumque aetatis, conditionis, et religionis hominum. Quod vero haec omnia cumulat illud est, quod hae omnes institutiones ob nullum humanum emolumentum, si in se spectentur, sint susceptae, et pergant consistere.

Factum miraculorum in Ecclesia romana habetur 1. in ipsa propagatione et duratione eiusdem contra tot obstacula, quibuscum perpetuo colluctatur. Item ex ingi foecunditate Ecclesiae romanae quae sine ullis humanis mediis aut adminiculis maxima semper extitit, et in dies

augetur. 3. Ob rationem paulo superius expressam identificationis ecclesiae romanae cum apostolica, patet miracula Apostolorum ac primorum fidelium qui talibus abundabant, ac universim quotquot quinque aut sex primis saeculis patrata sunt, romanae Ecclesiae possessionem esse. Quoad sequiores vero aetates, in explicanda proprietate sanctitatis iam monuimus numerum miraculorum debuisse attemperari necessitati, quae est sive ad convertendos infideles, sive ad commendandam apud fideles vitam, auctoritatem ac divinitatem Ecclesiae. Iuxta hunc duplicem finem nunquam in romana Ecclesia desiere miracula. Satis est inter caetera evolvere acta Bollandiana; item acta canonizationis Sanctorum. Bellarminus (de not. Eccl. lib. IV cap. XVI) nonnullas classes recenset per unumquodque saeculum. Ipsi centuriatores Magdeburgenses nequeunt dissimulare prodigiorum multitudinem in romana Ecclesia, nec ea aliter impugnant, quam quod doctrinae Lutheri et Calvini adversentur. Notandum vero quod plura ex his prodigiis quae referunt ipsimet Magdeburgenses patrata fuere in confirmationem peculiarium dogmatum, uti confessionis auricularis, praesentiae realis Christi in Eucharistia, invocationis Sanctorum etc. Quae res nova probatio extat veracitatis doctrinae quam Ecclesia romana profitetur. Atque ex his quae de factis singularibus doctrinae, virtutum, et miraculorum Ecclesiae romanae disputata sunt, patet quid sit sentiendum de facto complexivo eius vitae externae, quod nimirum sit *operosa*, *efficax* et *thaumaturga*; uti quisque per se potest animadvertere.

LECTIO VII

Difficultates adversus praedicta enodantur.

Possessionem in Ecclesia romana notae apostolicitatis non audent adversarii denuo impetere, cum non ita pri-

dem (lect. IV hui. sect.) eorum sophismata contra possessionem apostolicae hierarchiae fuerint disiecta. Convertunt ergo se ad catholicitatem; ac 1. inquiunt: tempore arianismi romana Ecclesia propemodum evanuit. Ergo non retinuit sufficientem saltem diffusionem. Huc certe spectat celebre effatum Hieronymi (dial. adv. Lucifer. num. 19) *Tunc usiae nomen abolitum est*; *tunc Nicaenae fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et se esse arianum miratus est*. Et (lib. adv. Ioann. Hierosolym. num. 4) dicit haeresim Arianorum et Eunomianorum totum Orientem possedisse, excepto Athanasio et Paulino. S. Hilarius (lib. de synod. adv. Arian. n. 27) asserit neminem fuisse intra decem provincias qui Deum cognosceret, praeter episcopum Eleusium et paucos cum eo. Ergo. 2. Tempore schismatis Photiani postea a Michaele Cerulario instaurati , totus Oriens ab Ecclesia romana se abstraxit. Unde haec coarctata est intra fines solius Europae , quae certe respectu totius orbis non est nisi unus terrae angulus. 3. At vero saeculo XVI priusquam etiam fides in altero hemisphaerio nuntiari inciperet , multae ipsius Europae provinciae a fide defecerunt. Quapropter romana Ecclesia ea aetate aberat fere ex Anglia , Scotia , provinciis foederatis Germaniae , Dania , Svecia , Transylvania , Moldavia , Valachia , Russia , Moscovia ; dum interim vix occurreret apud Graecos , Armenos , Aegyptios , Abissinos , Africanos etc. Profecto si nihilominus romana Ecclesia retinuisse dicenda est diffusionem catholicam , nulla est secta quae eodem catholicitatis genere careat.

Resp. Ad 1. nego antec. Re enim vera arianismus attulit aliquam imminutionem catholicae diffusionis Ecclesiae, nullatenus autem eversionem eiusdem. Sane imprimis ab ariana labe immunis fuit totus Occidens, quod sufficeret, uti paulo inferius ostendetur, ad materialem Ecclesiae catholicitatem. Tum vero falsum est in Oriente universos A-

rio adhaesisse. Primum enim huic restitere Patrés 308. concilii Nicaeni 1. qui quidem exprimebant fidem et vocem ecclesiarum quibus praeerant. Item Patres conc. Hiesolimytani an. 350. qui gloriosum ac triumphantem Athanasium sedi Alexandrinae restituerunt. His addendi nominatim sunt celeberrimi Nicaenae fidei defensores Basilius, Gregorius Nyssenus et Nazianzenus, Cyrillus Hierosolymitanus, Eustathius Antiochenus ; et alii plurimi. Secundo nostra assertio ex eo liquet quod constet ecclesiam Antiochenam in fide avita perstitisse. Idem de Alexandrina perhibet s. Athanasius. Immo teste s. Agustino (ep. XCIII al. XLVIII num. 22) his temporibus fides praedicata fuit apud Persas et Indos. Rursum Athanasius (in ep. synod. de fide ad Iovinianum imper. apud Theodor. lib. IV H. E. cap. III) recenset omnes provincias quae in damnatione arianae haereseos consentiebant. Idem constat ex Lucifero Calaritano (in lib. *quod moriendum sit pro Filio Dei*) et epistola synodica Damasi et aliorum Occidentalium ad episcopos Illyrici, quam refert Thedoretus (lib. II. H. E. cap. XXII).

Praeterea scimus in Aegypto floruisse tunc innumeras turbas monachorum, quos s. Athanasius impense fovebat, ut in fide Nicaena propugnanda strenue pergerent. Insuper Constantinopoli, Antiochiae, Samosatae, Alexandriae etc. populus Arianis constanter restitit, ne suae sectae episcopos in illas sedes, quod minis et vi maxime adnitebantur, intruderent. Denique s. Augustinus contra Donatistas obiicientes veram Ecclesiam potuisse sub haeresi Ariana in maiori orbis parte perire, diserte demonstrat in ipsius Asiae provinciis per id tempus veram fidem incolumem stetisse (epist. nup. cit.).

Tertio loco reponimus quod ipsi illi qui visi sunt ea aetate ad haeresim deflexisse, pleraque ex parte catholici extitere. Quippe Arianae sectae non faverunt nisi partim ex timore, partim ex errore existimantes propositas sibi ab Arianis formulas, uti catholice sonabant, ita esse catholicas. Id pa-

tet maxime in Patribus concilii Ariminesis qui praeter alias suae integrae fidei declarationes, non prius passi sunt adduci ad subscribendum formulae apud Nicaeam Thraciae editae, quam Valens Arii errores anathemate confixisset, ac professus esset filium Dei non esse creaturam sed Deum ab aeterno, et ante omnia tempora ex Deo genitum. Cum vero se ab Arianis delusos deprehenderunt; teste Hieronymo (Dial. c. Luciferian. n. 19) et Severo Sulpitio (hist. sacr. lib. II) aiebant: *Putavimus sensum congruere verbis; nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati sacerdotes Christi adversus Christum pugnare ... Multaque alia, quae brevitatis studio praetereo, flentes asserebant, parati et subscriptionem pristinam, et omnes Arianorum blasphemias condemnare.*

His universim praeiactis ad Hieronymi obiectum effatum retorquemus argumentum. Si totus mundus miratus est arianum se esse; nequaquam ergo sciens et volens Arii doctrinam professus est; quod requiritur ut vere arianus sit effectus. Et si ingemuit, non adamabat igitur Arii doctrinam. Contra si ex hac ipsa ratione totus mundus declaratur animo adversus detectis Arii erroribus; sequitur totum mundum corde et animo fuisse vere catholicum: nec nisi paucos veros arianos extitisse. Caeterum nemo non videt hyperbolem in verbis Hieronymi contineri, qua voluit significare arianam haeresim, quâ vera animorum perversione, potissimum autem dolo malo et fraude, quoad externam speciem, orbis christiani veluti faciem commutasse.

Quoad reliquas Hieronymi obiectas sententias respondeo per partes. *Usiae nomen abolitum est. Dist.* iuxta materialem vocis usurpationem; *Conc.* iuxta ideam illi respondentem; *Nego.* Responsio patet ex dictis. *Nicaenae fidei damnatio conclamata est. Dist.* similiter; in quantum

damnata fuit vox ὁμοούσιος, cui nicaenae fidei professio fuerat adnexa, et suffecta vox ὁμοιούσιος quae in fide nicaena non fuerat adhibita ; *Conc.* In quantum ipsa professio *consubstantialitatis* filii fuisset proscripta; *Nego.* Liquet ex adducta confessione patrum Ariminensium ; qui decepti fuere tum quod vox ὁμοούσιος in Scripturis non extaret ; tum quod videretur vox ὁμοιούσιος rei exprimendae esse aptior. Praecipue quod illa vox fuerat proscripta anno 270. in conc. Antiocheno, eo quod timerent Patres ne ansam praeberet confundendi personas iuxta placitum Pauli Samosateni, vel insinuare posset Patrem, Filium et Spiritum Sanctum veluti ex eadem praeiacente materia fuisse eductos.

Alia Hieronymi sententia qua dicit haeresim Arianorum et Eunomianorum possedisse totum Orientem, excepto Athanasio et Paulino ; ex dictis duas exigit limitationes. Prima est quod agatur de professione materiali non formali; cum pauci tantum haeresim ex animo sectati fuerint. Secunda quod non intelligat omnes in singulis provinciis hac deceptione vel ipso errore laborasse. Hoc enim esset contra factum, ut ex disputatis liquet. Proinde significat ubique in toto Oriente, etiam in classe episcoporum, repertos fuisse, qui materialiter aut formaliter arianae perfidiae adhaererent. Si vero excipit solos Athanasium et Paulinum, explicandus est de insigni prae omnibus opera quam hi in profliganda haeresi posuerant. Eodem sensu, ut explicat Augustinus (ep. XCIII al. XLVIII n. 32) accipiendus est Hilarius ; qui caeteroquin conqueritur catholicos episcopos in exilium fuisse pulsos, suffectosque improbos arianos, qui incautum gregem in impietate detinebant. Addit Augustinus Hilarium reprehendisse zizania illarum provinciarum, non triticum.

Ad secundum : concedimus ob schisma Photianum Ecclesiam passam esse saeculo IX ulteriores sui diminutiones. Sed 1. multi in Oriente manserunt in communione Ecclesiae romanae, sicuti quoque existebant in omnibus

populis. 2. Ea vero interea temporis in multis Europae provinciis alia atque alia accepit incrementa. 3. Utut est, nil sequitur adversus catholicitatem Ecclesiae. Nam sufficiens diffusio non est sumenda per respectum ad reliquas orbis partes, et inde sufficientis extensionis iudicium promendum. Sed spectanda est absolute; num scilicet Ecclesia perseveret in tali amplitudine, ut corpus exhibeat non contemnendum, nec indignum appellatione Ecclesiae Christi; nec ita obscurum, ut comparari nōn possit lucernae positae super candelabrum, et civitati in perspicuo constitutae, qualem fore dixit Christus Ecclesiam suam. Quod autem talis semper manserit romana Ecclesia, tum per se patet, tum ex eo innotescit quod semper retinuerit praevalentiam numeri supra caeteras sectas; neque hae ausae fuerint unquam sibi tribuere talem praestantiam.

Atque eadem satisfaciunt postremae obiectioni. 1. Enim in Germania, Anglia, reliquisque recensitis provinciis dimidia saltem praeter propter pars perstitit in avita religione. 2. Quod imminutum Ecclesiae est in extensione, auctum ibidem fuit in intensitate, cum tot ea aetate mortem obiverint propter fidem inter acerbissimos cruciatus. 3. In Indiis per itinera Vaschi Gamae, et Christophori Colombo in America sub initia saec. XVI iam caeperat Ecclesia romana praevertere quodvis imminens detrimentum extensionis. Mox vero per Xaverium et alios iacturam quam passa fuerat, cum foenore cumulavit. Constat enim plures a solo Xaverio fuisse baptizatos, quam a fide catholica Lutherus abstraxisset. Denique quantacumque superfuit romanae Ecclesiae amplitudo, ea exhibuit corpus satis spectabile et honore dignum, praeditum accommoda idoneitate ad munia sibi a Christo imposita, quam praecipue patefecit in concilio Tridentino; semperque fuit lucerna ardens in caliginoso loco, civitas omnibus desiderabilis, etc: uti etiam eventus posteriores comprobarunt.

Adversus notam sanctitatis obiicitur ex parte miraculo-

rum. Siquidem, aiunt, miraculorum vis repudiatur ab ipsis romanensibus. Nam 1. Christianus Lupus scribit: *non quaevis, licet miraculis illustrata iustitia ad canonizationem sufficit: esse debet eminens, et ab omni famae naevo immaculata*. Probatque ex Roberto Lincolniensi episcopo, qui sese opposuit romano Pontifici, de quo scribit Henricus Chryghtonus: *hac de causa, quamvis Robertus perspicuis effulgeret miraculis, non est permissus canonizari*. Quamobrem etiam Baillet (discours sur l' hist. de la vie des saintes § 90) animadvertit viros miraculis et sanctitate claros interdum in sanctorum romanorum catalogo minime censeri, eo quod turbaverint curiam romanam, vel aliqua ratione scandalum praebuisse censeantur.

Resp. Neg. assumpt. ad 1. Christianus Lupus nihil aliud facit quam exponere praxim Ecclesiae romanae in canonizatione sanctorum, quae scilicet non est contenta quibuscumque miraculis, etsi quoad ipsum factum perspicuis. Sed antecedenter attendit, an in doctrina et virtutibus aliquid vel minimum obstet. Unde prius virtutes et doctrinam expendit, in qua si nihil, ut aiunt *obstativum* reperiat, procedit ad examen miraculorum: secus vestigationem abrumpit. Sed dices: ergo miracula iuxta hanc praxim nil faciunt ad ostensionem sanctitatis; sed potius sanctitas ad argumentum assumitur miraculorum. Respondeo sanctitatem in casu probare ius miraculorum ut declarentur vera miracula: haec vero probant factum sanctitatis, ut scilicet ea sit huiusmodi cui Deus ipse supernaturalibus operationibus suffragium suum addiderit. Cum constet inter catholicos quaenam vera sit doctrina et vera sanctitas; haec assumi debent ad iudicandum de iure cuiusque miraculi. Nam si eam doctrinae et sanctitatis formam tenemus uti divinitus traditam; non possumus censere vera illa miracula quae eidem opponantur. Iuxta haec ergo principia, cum Ecclesiae exhibentur mi-

racula cuiuspiam viri ut approbentur; debet ipsa ius eorum diiudicare ex sua doctrina, et ea quam tenet forma sanctitatis. Siquid ergo ex his invenit quod obsit, iure examen ulterius omittit. Neque vero sufficit ut illa miracula non sint facta in oppositionem verae doctrinae et verae sanctitatis; sed requiritur ut patrata sint sub praesentia seu personali possessione verae doctrinae et verae sanctitatis. Nam in casu miraculum famulatur caussae non theoreticae sed personali: ergo quaerendum num quid obstet in persona ex parte doctrinae et verae sanctitatis. Sive, iuxta dicta, miraculum debet perhibere quod Deus per ipsum suo suffragio confirmaverit viri sanctitatem. At quomodo hoc suffragium Deus edere potuit, si revera in tali homine non reperitur ipsa sanctitas? Iure ergo ante acceptationem miraculi, de praesentia huius sanctitatis vestigatur.

Ad Bailleti animadversionem reponimus, nil tale penes ipsum reperiri, sed plane contrarium. Nam non modo non dicit quosdam viros sanctitate conspicuos nequivisse recipi in catalogo sanctorum, quod turbaverint curiam romanam; sed ex adverso animadvertit nonnullos fuisse in eo catalogo recensitos, licet turbassent propter schisma curiam romanam; propterea quod schisma fuerat non formale, sed materiale tantum.

Instant. Atqui reapse iuxta principia ipsa romanensium nulla vis competit eorum miraculis. Etenim Irenaeus, Origenes, Cyprianus, quos certe pontificii reverentur, haereticos signa ac prodigia patrasse admittunt; praecipue vero s. Augustinus. Is enim 1. (tract. XIII in Ioan.) diserte asserit non esse credendum Donatistis miracula facientibus, unde per contemptum vocat eos *mirabiliarios*. 2. (lib. de unit. Eccl. cap. XIX) pluribus ostendit litem inter catholicos et haereticos non esse ex miraculis dirimendam, cum utrobique reperiri possint; neque Ecclesiae sanctitatem probandam esse ex miraculis; quippe

quae totam suam ab illa habeant auctoritatem. 3. Postquam dixit non esse credendum miraculis Donatistarum, addit, nec etiam fidem adhibendam esse prodigiis catholicorum, quia: *Quaecumque*, inquit, *talia in catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur Ecclesia, quia haec in ea fiunt*. Ergo.

Resp. Nego instantiam. Ad probat. repono Patrum doctrinam in re praesenti esse quatriformem. Vel enim 1. docent prodigia haereticorum esse historice falsa. 2. Vel esse praestigias. 3. Vel hypothetice loquuntur, ac supposito quod vera ab haereticis miracula fierent, animadvertunt nihil ipsis miracula eiusmodi posse conferre ad salutem. 4. Vel ad summum concedunt haereticis talia miracula quae non sint facta in confirmationem sectae et erroris. His positis ad Irenaeum et Origenem, negamus ipsos admisisse in haereticis vera miracula. Nam contra Irenaeus (adv. haeres. lib. II. cap. 31) affirmat haereticos seducere per magicas illusiones, et universa fraude: ac subdit ibidem: *Nec enim caecis possunt donare visum, neque surdis auditum* etc. Origenes vero (lib. II. c. Celsum numm. 51-52.) perpetuo tradit haereticis et similibus hominibus nonnisi praestigias esse proprias; probatque ab existentia harum praestigiarum existentiam verorum miraculorum, sicut, inquit, si dantur sophismata, dantur et veraces argumentationes, quarum illa fucata imitatio extent.

Cyprianus (lib. de unit. Eccl.) sectatur hypotheticam loquendi rationem. Agit enim de iis qui schisma fecerint ab Ecclesia. De hominibus huius generis pronuntiat: *Occidi talis potest, coronari non potest... Nam et prophetare, et daemonia excludere, et virtutes magnas in terris facere, sublimis utique et admirabilis res est: non tamen regnum coeleste consequitur quisquis in hominibus invenitur, nisi recti et iusti itineris ob-*

servatione gradiatur. Denunciat Dominus et dicit: multi mihi dicent in illo die: Domine Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia exclusimus... Et tunc dicam illis: Numquam vos cognovi, recedite a me qui operamini iniquitatem. etc. Heic igitur non discutit Cyprianus num haeretici possint vera miracula patrare. Sed alio spectans adstruit, quod etiam si tantam rem sibi adscribere possent, nihil eis extra Ecclesiam vagantibus esset profuturum. Quod si velis contendere per haec verba Cyprianum admisisse positive miraculorum in haereticis possibilitatem; hoc nil haberet incommodi; cum ex ipsa Cypriani allegatione, idem Christus expresserit. In hoc casu Cyprianus locutus est iuxta tertiam animadversionem. Nimirum supposuit in haereticis miracula, non tamen a Deo permissa in confirmationem sectae. Nisi putare velimus sensisse Cyprianum quod Deus posset cooperari confirmationi erroris, et quod falsitas doctrinae veri divinique testimonii capax extaret.

Quod ad s. Augustinum spectat, is (tract. XIII in Ioann. n. 17) affirmat non esse credendum Donatistis licet miracula facientibus. Resp. Augustinus utitur hic contra miracula Donatistarum duplici genere responsionis. 1. Negat factum. *Nemo ergo vobis fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum, et Donatus oravit, et respondit ei Deus de coelo. Primo aut falluntur aut fallunt.* Tum hypothetice concedit, negans quidquam ipsis miracula prodesse, propter defectum caritatis manifestum in admissa scissura unitatis. *Postremo fac illum montes transferre. Caritatem autem, inquit, non habeam, nihil sum. Videamus utrum habuerit caritatem. Crederem si non divisisset unitatem.* Addit Christum praemonuisse nos circa huiusmodi prodigia quae fierent contra unitatem, ac concludit: *Teneamus ergo unitatem, fratres mei; praeter unitatem et qui facit miracula, nihil est.* Non ergo spernit Augustinus quaecum-

que miracula, cum ipse passim ex miraculis Ecclesiae divinitatem arguat, et iis se in Ecclesia teneri dicat. Sed tantum in haereticis asserit vel neganda; vel si sint, nihil ex ipsis posse inferri contra veram Ecclesiam, cum non potuerint esse directa ad confirmationem doctrinae oppositae verae Ecclesiae, et nihil prodesse queant iis qui eadem patraverint. Idem (lib. de unitate Ecclesiae cit. cap. XIX) 1. respondet: *Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum, vel portenta fallacium spirituum.* 2. Addit quod si vere aliquis in haereticorum memoriis exauditur; vel a malo spiritu exauditur, vel exauditur a Deo sine ullo respectu ad locum in quo orat, et ex motivo extrinsecus recto; sicuti exaudiuntur quandoque Iudaei et pagani, nec quidquam deduci potest pro ipsorum religione. Concludit propterea (n. 50) iudicium de vera Ecclesia non esse sumendum ut sic ex miraculis, ita ut sit vera quae possit miracula utcumque oggerere. Sic, inquit, lis non concideret; cum etiam falsa secta possit habere miracula vel falsa, vel vera, licet ad alium finem directa. Ergo potius, ait, quoniam recipimus Scripturas, ex iis extruamus ideam verae Ecclesiae. Ex hac idea diiudicabimus num miracula possint haberi vera aut falsa, vel saltem facientia nec ne ad confirmationem verae Ecclesiae. Confirmato sic iure miraculorum, erunt ipsa divinum testimonium pro illa sanctitate Ecclesiae in doctrina et moribus, quae ante ipsum miraculum cognoscebatur: *Quaecumque talia in catholica fiunt, ideo sunt approbanda quia in catholica fiunt; non ideo ipsa manifestatur catholica, quia haec in ea fiunt.* Et confirmat exemplo Christi qui suam resurrectionem prius probavit ex Scripturis, et cum appareret Scripturis conformis, ita reddidit credibilem ipsam resurrectionem.

SECTIO V

IN QUA DOTES ECCLESIAE CONSTITUUNTUR ET ILLUSTRANTUR.

Post praecedentes de Ecclesia disputationes nihil superest quod ab absolutum eius conceptum spectet, sive demum in abstracto, sive illa in concreto spectetur. Nam et institutio constabilita est, et definita essentia verae Ecclesiae, erutaeque proprietates, atque harum ope, ut externe innotescunt et notarum naturam induunt, dignitas verae Ecclesiae exclusive attributa est Ecclesiae romanae. Quidquid igitur ad existentiam Ecclesiae et essentiam eiusdem per se spectatam pertinet, fuit exhanstum. At vero nunc nonnulla sese offerunt quae non ipsa sunt Ecclesiae essentia, vel eius partes, vel dimanantes proprietates; sed iisdem superinduci veluti extrinsecus intelliguntur, et ipsorum statum quodammodo cumulare. Eiusmodi sunt *indefectibilitas*, *infallibilitas*, *auctoritas*, quae *dotes* Ecclesiae proprio nomine nuncupantur. Non dicuntur proprietates, quia ab essentia proprie non dimanant. Dicuntur dotes, quia essentiam afficiunt nihilominus et decorant. Unde a proprietatibus re et nomine distinguuntur, quae scatebram sui habent essentiam; et a notis, quae externa expressio sunt proprietatum ex essentia derivatarum. Haec quidem summa est notionis dotium, quas explanandas aggredimur. De earum vero existentia ita pergimus disputare.

LECTIO I

Indefectibilitas Ecclesiae vindicatur.

Indefectibilitas sumitur tum in existendo tum in essendo, sive in existentia et essentia. Indefectibilitas in exi-

stentia quae proprie audit *perpetuitas* importat durationem Ecclesiae usque ad mundi exitum. Indefectibilitas vero in essentia, quae proprie hoc nomine nuncupatur, dicit durationem Ecclesiae in ea ipsa externa et interna constitutione, eoque complexu proprietatum, et consequenter notarum, in quo a Christo primitus est instituta. Ecclesiae per se acceptam perpetuitatem fatendum est cum Bellarmino (lib. III de Eccl. milit. cap. XIII) nunquam ab haereticis fuisse denegatam. Praestat nihilominus breviter momenta quibus ea nititur recensere.

Primum igitur habetur fundamentum in veteri foedere, tum locis quibus praenuntiatur absolute sempiterna stabilitas Ecclesiae christianae, tum iis quibus ipsamet in eo a synagoga distinguitur, quod haec ad tempus, illa aeternum foret duratura. Exempla testimoniorum primi generis habes primo in benedictionibus Abrahae promissis. His enim dicuntur benedicendae in Christo, Abrahae semine, omnes gentes, omnes tribus, et familiae terrae. Sed non omnes familiae gentium in Christo benedicerentur, si aliqua ratione regnum Christi, sive Ecclesia non porrigeretur usque ad finem saeculi; sive nisi usque ad eam aetatem homines profiterentur fidem Christi et eius dona participarent. Ergo. II. (Isai. LXI, 8, seqq.) legimus: *Foedus perpetuum feriam eis, et scient in gentibus semen eorum, et germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen cui benedixit Dominus.* Quod verba isthaec pertineant ad novum testamentum, explicuit Christus (Lucae IV, 18-19) inquiens suo tempore in se et suis institutionibus impleri scripturam illius capitis. Quod vero promittatur aeternum extituram Christi Ecclesiam, patet ex verbis: *Feriam eis foedus perpetuum. Scient in gentibus semen eorum. Omnes qui viderint eos cognoscent illos.* Quae verba non solum probant utcumque extituram Ecclesiam, sed formam visibilis societatis perpetuo retenturam: secus non

fiet ut omnes cognoscant illos, quia sunt semen cui benedixit Dominus etc. Item (Dan. II, 44) dicitur: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur. Et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum.* Hoc regnum nequit intelligi nisi regnum Messiae. Proinde hic semper habiturus est subditos; adeoque semper aliqua ratione extabit Ecclesia. Tertio, caeteris omissis, totus pene psalmus LXXXVIII *Misericordias Domini in aeternum* etc. agit de perpetuitate regni Christi, praesertim iis verbis (vv. 36-39) *Semel iuravi in sancto meo si David mentiar. Semen eius in aeternum manebit. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum et testis in coelo fidelis.* Idem ergo argumentum: semper regnabit Christus; semper extabunt eius subditi; semper idcirco qualiscumque florebit Ecclesia.

Pro secunda classe testimoniorum satis sit referre Pauli allegationes quas habet in utramque partem (Hebr. VIII, 6, seqq.) *Nunc autem melius sortitus est (Christus) ministerium, quanto et melioris testamenti mediator est,* quod in melioribus repromissionibus *sancitum est. Nam si illud culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit: (Hier. XXXI, 31) Ecce dies venient dicit Dominus, et consummabo super domum Israel, et super domum Iuda testamentum novum; non secundum testamentum, quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manuum eorum ut educerem eos de terra Aegypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo, et ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dando leges meas in mente eorum, et in corde eorum superscribam eas: et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum.* Concludit Paulus (v. 13) Dicen-

do *autem novum*, *veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit prope interitum est.* Hisce igitur duo constant : et abolendum fuisse V. T. et Novi aeternam fore durationem ; proindeque futuram perpetuam novam Ecclesiam, in qua eiusmodi testamentum existentiam habet.

Ex novo foedere 1. Paulus (I. Cor. XV, 44, seqq.) affirmat Christum in terris fore regnaturum donec deleantur eius inimici, usque ad id tempus quo possit ipsam mortem destruere, et totum Ecclesiae corpus Patri offerre ; quae certe nonnisi mundi exitum spectare possunt. Huc etiam faciunt quae (II Thess. II, 3) dicit de discessione eventura sub Antichristo ; quo colligitur usque ad id tempus extituram visibilem Ecclesiam ; secus ista discessio foret impossibilis. Adde his quod Christus ipse praenunciavit (Matth. XXIV, 14) fore ut praedicetur eius evangelium usque ad mundi finem ; et tunc venturam consummationem. Item dixit futuros ad exitum usque mundi successores Apostolorum : *ecce ego vobiscum sum* etc. Denique quod monuit (Matth. XVI, 18) portas inferi non praevalituras adversus Ecclesiam, vel nullum sensum habet, vel saltem sonat non fore eam omnimode destruendam. Postremo argumentari licet a fine. Nam si Christus est omnium Salvator debet professio religionis eius extendi ad omne tempus : secus non omnibus per eum salus pateret.

Sed his omissis quae per se perspicua sunt, ad indefectibilitatem essentiae convertamur. Uti nuper admonuimus, nomine talis indefectibilitatis intelligimus omnimodam et immutabilem Ecclesiae perseverantiam in ea forma externa internaque, quam a Christo institutore primitus est nacta. De immutabilitate quidem visibilitatis meminimus alias sermonem habuisse. Heic tamen universim tum de ea, tum de caeteris quae Ecclesiae attributa sunt, instruitur demonstratio. Primo igitur argumentamur a fine quem Christus sibi praestituit in extruenda sua Ecclesia. Etenim, uti disputatum est in prima sectione, Ecclesia ex fine sibi

a Christo constituto debet esse usque ad mundi exitum organum unicum et adaequatum sanctificationis omnium hominum. Sed talis esse non potest, nisi sit omni ex parte indefectibilis. Ergo. Maior probatur : nam ex ibidem dictis, Christus sibi substituit in terris Ecclesiam ad omnem partem explendam propriae suae missionis. Sed Christus est organum unicum et adaequatum sanctificationis omnium hominum usque ad mundi finem. Ergo. Probatur minor : Si Ecclesia aliqua in parte deficiat, non est amplius agnoscibilis. Sed si hoc non potest esse amplius organum sanctificationis. Igitur. Sane si Ecclesia aliqua in parte deficit ; iam ex eo tempore non habebit illam constitutionem, illas proprietates, easque notas, in quibus a principio est a Christo instituta ; et quae quis in Scripturis, aliisque historicis monumentis comperiat propria esse Ecclesiae Christi. Sed si hoc nemo poterit amplius illam agnoscere. Ergo. Haec vero eo fiunt evidentiora, quod quaecumque ad Ecclesiam spectant, ita sunt mutuo connexa, ut uno sublato caetera necessario dispereant. Fac enim, quaeso, pereat visibilitas : iam peribit magna saltem ex parte apostolicitas ; quae ex illa dependet. Item catholicitas : huius enim substratum est materialis diffusio, quae sine visibilitate nequit consistere. Unitas quoque dempta visibilitate disperit. Nam certe unitas communionis absque signis externisque communicationis mediis vigere non potest. Unitas hierarchiae nequit ibi reperiri ubi non adest visibilitas. Sublata porro unitate hierarchiae, desit necesse est ipsa fidei unitas. Siquidem expuncto principio auctoritatis, non relinquitur locus nisi examini privato, quod est principium divisionis. Sanctitas externa evidenter in invisibili Ecclesia haberi non potest. Item sanctitas finis et mediorum. Sed nec interna, quae nequit ibi obtinere ubi desideratur unitas, apostolicitas, et catholicitas, et dissolutum habetur aedificium a Christo extructum. Haec de visibilitate : experiare nunc an possit,

reliquis integris, corrumpi e. g. unitas. Enimvero ob arctissimum vinculum quo eadem reliquas proprietates sibi adstringit, hae ad unam omnes continuo concidant necesse est. Fac labefactetur apostolicitas; iam ergo non erit una Ecclesia, non sancta, non catholica. Si enim non est aut fide aut communione Ecclesia apostolica, non est eadem cum illa quae fuit olim; proinde non una, non ut illa sancta, non catholica; et ita de reliquis proprietatibus erit sentiendum. Sed ut expendantur illa ipsa quae solent protestantes obtrudere; finge Ecclesiam deficere vel in sana doctrina, vel in sanctitate. Hoc alterum contingere non potest, nisi amittat sanctitatem sive essentialem, sive individualem. Iam vero ex dictis sanctitas essentialis depravari nequit, nisi totum intrinsecus dissolvatur Ecclesiae aedificium a Christo extructum. Individualis porro everti non potest, nisi simul pereat funditus anima Ecclesiae. Idem dicendum de doctrina. Si enim hanc tollas, subvertis radicale germen animae Ecclesiae. Item removes hoc ipso unitatem, apostolicitatem, praesertim fidei, catholicitatem et sanctitatem. Non sic igitur res in casu nostro habet, ut possit tolli aliquid ex Ecclesia, et nihilominus ipsa consistat, et sit sufficienter agnoscibilis ut Ecclesia illa quam Christus fundavit: sed ita sunt omnia arcte connexa, ut si paululum quidpiam concidat; totum ruat aedificium. Hinc, uti in argumento dicebamus, Ecclesia amitteret omnem aptitudinem ad eum finem ob quem est condita, tum quidem quod non posset agnosci; tum etiam quod intrinsecus dissoluta et enervata nequiret esse idonea ad suos effectus consequendos: ac demum quia Christi promissiones datae sunt Ecclesiae integrae, non vero depravatae intrinsecus atque corruptae.

Adversus hanc totam demonstrationem duo effugia obtendi posse video. Dices ergo non esse undequaque exploratum illud fundamentum quod Ecclesia debeat esse perpetuo organum adaequatum et exclusivum salutis homi-

num. Verum est enim quod de facto Christus suae munia missionis communicaverit Apostolis, et in persona eorum Ecclesiae. At nescimus 1. an id praestiterit ad solam utilitatem vel ad necessitatem; sive num intenderit prodesse iis qui uti vellent ministerio Ecclesiae, an intenderit neminem posse salutem et media salutis attingere nisi in Ecclesia et per Ecclesiam. 2. Ignoramus an ea lege commiserit Ecclesiae in Apostolis suam missionem, quasi conciperet uti medium absolutum, et faceret indefectibilem; an ita ut vellet durare quantum posset; et si forte temporum vicibus et ex humana infirmitate defectura esset, liberum foret quibuscumque meliori quo possent pacto sibi prospicere.

Respondeo, ut alias significatum est, dubium utrumque esse ineptum. Est ineptum primum; quia in hac hypothesi posset quisque pro lubito doctrinam mutuari vel non mutuari ab Ecclesia; ei se subiicere in participatione mediorum, vel secus; communicare cum ipsa, vel omnino ei extraneum se continere etc. At si hoc, quomodo potuisset dicere Christus ad Apostolos: *qui vos audit me audit*: *qui vos spernit me spernit?* Quomodo pronuntiasset: *qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus?* Quomodo addidisset: *Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis?* etc. Haec invicem nulla ratione componi possunt. Contra ergo cum dicat: *qui vos audit me audit*; ostendit tantam esse obligationem dependendi ab Ecclesia, quanta viget respectu Christi. Item si, ex modo recitato testimonio, qui rebellat adversus Ecclesiam perinde est habendus, ac si rebellaret adversus Christum; rursus ostenditur similem esse obligationem obediendi Christo et Ecclesiae. Denique si potest Ecclesia in quovis alligare quidlibet quod videatur alligandum, non ergo est in hominis arbitratu ut se ei subiiciat. Si enim potest alligare quemlibet, unusquisque est necessario subditus; proinde non ab eo pendet ut se subiiciat. Secundo in hypothesi ad-

versariorum Christus ludibrio exposuisset institutam a se Ecclesiam. Nam instituisset hierarchiam eique contulisset et media et auctoritatem, quae eximie commendasset; simul vero declarasset suis fidelibus in integro ipsis esse habere ullam cum Ecclesia relationem, vel non habere. Unde cum haec insurgeret ad iubendum et docendum, responderent impune: non te egemus. Simile itaque admisisset Christus stulto fundatori, qui ex una parte magistratum crearet, mediisque cumularet et auctoritate; ex alia subditos omnes ab illius obedientia solveret. Praeterea Christus ludibrio exposuisset ipsa sua media. Nam simul media instituisset in manu Ecclesiae, et quae apud ipsam tantum valorem haberent; simul declarasset absque illis mediis posse salutem obtineri. Ex his igitur aliisque huiusmodi quae facile possent congeri, apparet Ecclesiam institutam esse uti medium non liberum sed necessarium, et quo omnes uti plane oporteat.

Quod vero ex mente Christi Ecclesia instituta sit organum exclusivum salutis *in perpetuum*, sive tale ut nunquam ex parte Ecclesiae ipsa excidere possit a gradu huius medii; et ex parte hominum nunquam ipsi possint in alio invenire salutem quam in Ecclesia, facile demonstratur. Etenim Ecclesia est organum perpetuum et indefectibile, si missio ipsius est perpetua et indefectibilis: atqui ita se res habet: ergo. Probatur maior: nam eatenus dicitur Ecclesia organum salutis, quatenus missionem acceperit sive munus praestandi officia Christi et Apostolorum erga homines. Ergo sicut habet missionem, ita est organum: proinde si habet missionem indefectibilem, etiam erit organum indefectibile. Minor asseritur: nam 1. si missio Ecclesiae futura fuisset, vel esse posset temporanea; Christus non potuisset vaticinari, quod duraturi essent successores Apostolorum usque ad mundi finem, qui gererent talem missionem, et usque ad eos extendere quam

communicabat potestatem. Atqui Christus praedixit duraturos Apostolorum successores usque ad finem mundi, et ad eos usque protendit communicationem suae potestatis. Ergo missio quam contulit Christus Ecclesiae fuit perpetua et indefectibilis. Minoris probationem habes in iis verbis Christi (Matth. XXVIII, 20): *Data est mihi omnis potestas. Euntes ergo docete omnes gentes. Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.* Neque vero suspicari licet quod missio Ecclesiae futura sit perpetua materialiter tantum; adeoque etiam materialiter tantum perseveratura sit organum salutis, non formaliter; hoc est non manens in sua pristina integritate, et valore medii et instrumenti. Nam Christus per ea verba: *Ecce ego vobiscum sum* etc. promittit tamdiu se advigilaturum integritati missionis Ecclesiae, quamdiu extituri sunt successores Apostolorum, adeoque quamdiu duratura est Ecclesiae missio. Sed haec ex dictis perpetua est concipienda. Igitur etc.

Praeter hoc argumentum ex formali Christi declaratione petitum; licet hunc in modum ratiocinari. Si Christus reliquisset Ecclesiae missionem materialiter aut formaliter defectibilem, ipsemet elusisset quoad omne tempus omnem missionem et auctoritatem Ecclesiae: hoc absurdum: ergo. Maior probatur. Nam si antecedenter constaret posse missionem Ecclesiae vel penitus concidere, vel saltem corrumpi, adeoque nullius ponderis reddi; iam nulla foret eius practica vis et auctoritas. Omnis namque refractarius statim diceret defecisse vel corruptam esse missionem Ecclesiae; adeoque non esse amplius ei fidem habendam; ac posse unumquemque alio se convertere. Sane id confirmat exemplum Novatorum, qui ex ea suppositione ita se gesserunt, et commenti sunt missionem extraordinariam: imo vetustissimi quique haeretici aliquid tale in medium protulere. Tertio si concepisset Christus possibilitatem ut Ecclesia a gradu organi concideret; debuisset in-

dicare qualia in ea hypothesi futura essent media. Id minime praestitit. Ergo. Sane si tantum operae posuit in institutione illius organi; tot subsidiis auxit, ac tantopere commendavit; et per haec prospectum voluit hominibus illarum aetatum, quibus organum integrum perseveraret; quomodo tam incurius et socors fuisset respectu hominum sequiorum aetatum ut nulla media ipsis vel levissime significaret. Certe si ipse in mundum venit ut prospiceret saluti omnium hominum, quomodo erga alios tam sedulus, erga seriorem aetatem plane excors extare potuit? Dices: nullum heic incommodum. Nam Christus invexit medium opportunum. Si vero homines voluissent ex propria malitia illud pessumdare, non tenebatur ulterius prospicere per nova media hominum saluti, et ea significare. Respondemus: ergo admittent adversarii quod corrupta semel missione Ecclesiae, nullum restet medium salutis. Cur ergo sibi salutem tribuunt independenter ab Ecclesia, et supposita defectione missionis eiusdem? Si vero dantur ista media; redit argumentum, cur ea Christus pari cura ac Ecclesiam non designavit? Quarto saltem significare debuisset quod organum a se institutum posset excidere, quodque liceret cuique utcumque sibi consulere, ac Deus foret ad salutem tales arbitrarios nisus acceptaturus. Hoc erat in ea hypothesi omnino necessarium. Nam secus omnis usus mediorum quorumcumque manet arbitrarius, et quoad valorem incertus. Etenim non ex eo quod perierit primum medium, sequitur legitime quod usus quorumcumque mediorum sit idoneus, et a Deo ad salutem acceptandus, nisi Deus ipse hoc declaret. Idque patet ex ratiocinio quod nuper adversarii instituebant, quod nimirum Deus in hac hypothesi medium providerit: homines sua malitia corruperint; Deus proinde non teneatur iacturam primi alio medio reparare; praesertim cum ipsum primum medium esset gratuitum. Ob haec igitur necesse fuisset ut Christus significaret Deum fore acceptaturum

quodcumque medium homini possibile. At vero Christus nil tale innuit; immo vero nihil omisit ut perennem stabilitatem et unicitatem prioris medii inculcaret. Sequitur ergo evidenter quod nonnisi temere dubium propositum conciperetur, et alia mediorum oeconomia admitteretur.

Atque ex his patet quid sentiendum sit de suppositione mediorum internorum quam passim protestantes obtrudunt. Primo enim ex dictis Christus promisit semper futura media externa, seque ea semper fore conservaturum cum ipsa Ecclesia. Secundo in hypothesi adversariorum media externa a se instituta exposuisset contemptui, propter suspicionem quod iam sua vi essent destituta. Tertio debuisset nos reddere certos de valore et acceptatione Dei circa haec media. Item reponere nequeunt sectarii quod Deus pro loco et tempore hominibus prospicit per extraordinariam quorundam missionem. Nam praeter motiva alias exposita, ad summum de hac missione constare potuisset iis qui se eam accepisse iactabant. At vero reliquis quomodo probari poterat illos revera fuisse extra ordinem missos, cum nullum testimonium ederent rei huiusmodi, neque intrinsecum, neque extrinsecum in miraculis; cum contra multifariam humanos et vitiosos fines actuum suorum ostenderent; cum innumeri in dies ita missi pullularent, et invicem pugnantia loquerentur? etc.

LECTIO II

Confirmatur Ecclesiae indefectibilitas ex diserta Christi promissione (Matth. XXVIII)

Matthaei XXVIII, 20 legimus: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Idipsum graece extat: Καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. Versiones antiquae consentiunt in reddenda sententia plane uniformi nostrae vul-

gatae latinae. Itaque de verbis ipsis eorumque structura nulla quaestio incurrit. Circa sensum, explorandum est primo quid promittat Christus, seu quod genus praesentiae suae polliceatur. Secundo determinandum quibus spondeat talem suam praesentiam. Tertio vestigandum quousque eadem se protendat in suis effectibus.

Quod ad primum attinet, asserimus promissiones Christi referri necessario ad assistentiam quam Christus impertiatur suae Ecclesiae, sive favorem, auxilium etc. Hoc tamen non excludimus quod simul agere possit de sua sacramentali praesentia in Eucharistia, dummodo haec ipsa ad auxilium et sustentationem Ecclesiae referatur. Prob. 1. ex contextu: nam Christus (vers. 18) dicit Apostolis sibi datam a Deo patre esse omnem potestatem in coelo et in terra. Inde infert pergendum ipsis esse in omnem terram ad praedicandum evangelium; quippe ex ea potestate mittere ipse Apostolos poterat, et eorum ditioni omnes gentes subiicere, sic ut tenerentur suis legatis obtemperare. Et vicissim Apostoli ex accepta communicatione potestatis poterant exigere obedientiam, et obtemperantibus coeli ianuam reserare. His dictis, ut animadvertit ipse Grotius (in h. l.) praeoccupat Christus querelam, quasi diceret: verum est, quod propter imminentem meam ascensionem non me habebitis amplius in vestra praedicatione visibilem praesidem et adiutorem. Sed non ideo excidatis animo: nam si visibiliter vobis iam non adsum, adero tamen invisibiliter; et sic in tali statu vobis ero iugiter auxilio, uti cum visibiliter aderam, et perinde ac si visibiliter manerem vobiscum. Haec germana est series orationis Christi, ut cuique legenti patere potest. Quamobrem eatenus dicit se fore adfuturum, ut non animo concidant ob Christi absentiam Apostoli in sua praedicatione. Sed si hoc, illa verba debent referri ad assistentiam et auxilium, secus nulla consolatio adhiberetur Apostolis annuntiaturis evangelium absente Christo: ergo. Confirmatur argumentum ex eo quod

esse eum aliquo peculiariter de Deo dicitur in Scripturis, et solet ista phrasis sonare assistentiam, uti (Iudic. VI, 12-13. — Ierem. I, 8 — Act. VI, 9) et alibi passim. Unde etiam illud in Ecclesia ab origine frequentatum: ***Dominus vobiscum.*** Cum ergo hic habeamus ***vobiscum sum***; itidem explicandum est de assistentia. Quae cum ita sint, apparet quod adiaphorum heic sit explicare Christi verba de eius praesentia in Eucharistia, dummodo eadem ad assistentiam referatur. Immo, quoniam de facto Christus mansurus erat in Eucharistia in bonum Ecclesiae; omnino putandus est id etiam prae oculis habuisse. Qua re explicuit se permansurum in sacramento tamquam centrum et vitam occultam Ecclesiae, animam animae ipsius, et formam talis corporis a se extructi, tanquam vitae arborem in hoc suo paradiso consitam, tanquam dominum et custodem, de quo sit scriptum (Cant. II, 9): ***En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras prospiciens per cancellos.***

Ad secundam quaestionem nemo non reponit promissionem assistentiae suae heic Christum praestare non solis Apostolis sed eorum usque ad mundi finem successoribus. Nam cum promissio haec, inquit ipse Grotius, (loc. cit.) usque ad consummationem saeculi se extendat, Apostoli autem tamdiu victuri non essent; omnino hic Christus in Apostolorum persona censendus est etiam successores eius muneris compellasse. Unde idem Grotius merito infert: hinc manifestissime apparet voluisse Christum ut Apostoli aliis, illi rursum aliis munus illud magisterii commendarent, uti dicitur (II Timoth. II, 2). Quamobrem frigida apparet et contorta interpretatio Lucae Brugensis, nimirum usque ad finem mundi, si scilicet tamdiu vivere possetis; h. e. semper adero vobis. Haec interpretatio, ut nihil dicamus, reiicienda est quia sine caussa recedit ab obvio sensu verborum. Quamobrem ipse Brugensis e vestigio priori adgeminat communem explicationem, et tenen-

dam docet. (1) Inclusis igitur in effato Christi Apostolorum successoribus, advertendum est quod cum Christus dixerit: Ero vobiscum usque etc. ostendit Apostolos quodammodo identificari cum successoribus, et in ipsis vivere; ac vicissim successores in munere sibi iniuncto eandem gerere personam, missionem, et auctoritatem, ac ipsi Apostoli. Nam quod ait Christus: *sum vobiscum usque ad consummationem saeculi*, valet: sum vobiscum existentibus in persona successorum usque ad consummationem saeculi: hoc autem aperte involvit illam reciprocam identificationem: ergo. Secundo adverto quod sicuti respectu Apostolorum haec verba pronunciavit Christus in ordine ad missionem quam gerere deberent, ut eos per promissionem assistentiae levaret a moerore suae absentiae; ita respectu successorum diriguntur ad eundem finem promittendi in missione praesentiam invisibilem quae exaequet defectum praesentiae adspectabilis. Proinde respectu etiam successorum Christus eandem servare discendus est orationis seriem. Euntes praedicate. . . . . . Nec vobis molestiam creet mea absentia a mundo. Nam adero vobis per praesentiam auxilii, qua idem praestabo ac si essem adspectabilis. Ex his duobus principiis sequitur praeclara conclusio. Si enim, quod ad munus spectat praedicandi et regendi Ecclesiam, aequiparantur Apostoli et eorum successores; immo etiam in unam moralem personam veluti conflati identificantur; igitur eadem plane est missio successorum, et eadem auctoritas. Verificari enim debet quod isti successores quovis aevo exhibeant existentes Apostolos, quibuscum Christus maneat usque ad consummationem saeculi. Sed nisi habeant eandem missionem et auctoritatem, non possunt exhibere Apostolos existentes etc. Ergo. Secundo si promissio Christi eodem dirigitur ac re-

(1) Vid. Poli-synops. ss. Critt. h. l.

spectu Apostolorum, et pro utrisque est eiusdem sententiae et tenoris; ergo quos effectus importavit in Apostolis, ut erant Ecclesiae praesides, importabit in successoribus. Nam ex parte promissionis ipsius nulla est differentia: neque etiam dici potest quod attemperetur iuxta diversitatem subiecti: hanc namque diversitatem nuper exclusimus. Ergo.

Hisce via strata est ad tertiam quaestionem solvendam; nimirum quousque se protendat in suis effectibus promissa sui a Christo assistentia. Facile enim perspicitur sententiam Christi complecti universim omne plane genus opitulationis et auxilii, ac in ipsam Ecclesiae absolutam indefectibilitatem terminari. Sane, iuxta dicta, Christus significat se ita adfuturum quovis aevo suae Ecclesiae, ut sentiri non debeat praesentiae suae visibilis defectus; quatenus idem praestet invisibiliter quod praestaret si maneret visibilis, et ipse per se, ut olim, praesideret Ecclesiae. Sed si Christus maneret visibilis, et ipse per se regeret Ecclesiam, nullum genus auxilii non conferret ad eiusdem incolumitatem; et eo rectore impossibile esset ut deficeret ulla in parte Ecclesia. Ergo. Maior patet ex disputatis superius. Ad minorem quis dicat quod si Christus ipse visibiliter praesideret Ecclesiae, et, ut ita loquamur, adlaboraret ad conservandam efficaciter ipsius incolumitatem, posset nihilominus illa amittere fidem, aut unitatem, aut catholicitatem, et alia huiusmodi? Cum ergo idem praestet invisibiliter ac praestaret in ea hypothesi, par effectus est perpetuo expectandus. Deinde, pariter ex dictis, iuxta suam promissionem Christus ita assistit Apostolorum successoribus, uti spopondit se opem laturum ipsis Apostolis. Sed nemo dicet ita adfuisse Christum Apostolis, ut Ecclesia sub ipsis constituta posset aliqua ex parte deficere. Ergo neque deficere potest Ecclesia posita sub illorum successoribus.

LECTIO III

Ex alia Christi promissione (Matth. XVI, 18) novum robur Ecclesiae indefectibilitati adsciscitur.

Matthaei XVI, 18 occurrunt verba Christi notissima: *Tu es Petrus; et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non prevalebunt adversus eam*: καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. Versio persica habet *non destruent eam*. Reliquae *non praevalebunt ei*. Expendimus verba singula. Et 1. phrasim πύλαι ᾅδου. Vocem Ἀ'δης importare diaboli et improborum molitiones, vel gehennam, negant Grotius, Camero, ac plerique protestantes. Ili portas *mortis seu sepulchri* reddunt: quo posito sententia Christi esset: non fore ut mors sub suo iure detineat ac potestate illos qui Ecclesiae Christi corpori per fidem sint inserti; iuxta Ioann. V, 24. *Qui credit... transiit de morte ad vitam*. etc. Probat assumptum praecipue Grotius innumeris pene productis Scripturae testimoniis ex V.T. atque N. quae longum esset recitare.

Verum reponimus quod ᾅδης, ου, si per se sumatur, provenit ab α privativa et ἰδεῖν *videre*. Unde proprie est qui videri non potest, vel qui facit ut videri quis non possit. Quamobrem Pluto deus inferorum *Hades* ab Homero passim est dictus. Ε'ν et εἰς ᾅδαο, apposito vel omisso δόμοις seu δόμους *in orco*, *orcum*. Hinc et apud prosae auctores ἐν et εἰς ᾅδου οἴκῳ vel οἶκον usurpatur. Apud seriores transfertur ad regnum Plutonis: *orcus*, *tartarus*, *inferi*, *mors*, *sepulchrum*.

His positis de potestate vocis secundum se inspectae, quod attinet ad usum Scripturarum, distinguimus: vox ᾅδης adhibetur in illis semper pro morte aut statu mortuorum; *Dist.* ita tamen ut hoc loco debeat necessario accipi de gehenna; *Conc.* secus *Trans.* Sentimus ergo hoc loco illam vocem non posse accipi de morte, sed

determinari a contextu ad significandam gehennam ; neque obstare usum diversum in reliquis Scripturae locis. Ut haec intelligantur, adverte quod iuxta vim vocis, ᾅδης importet statum invisibilitatis et tenebrarum. Cum propterea mors rapiat homines ex oculis aliorum , et invisibiles reddat , ac tenebris sepulchri obruat ; dicta est saepenumero in Scripturis, et apud profanos auctores ᾅδης. Item status animarum corpore exutarum et universim regio inferna quam in terrae visceribus concipimus, respectu nostri est invisibilis, eamque nos veluti sole carentem et tenebris offusam imaginamur. Hinc factum est ut haec animarum separatarum regio in ss. literis ᾅδης diceretur ; praesertim in V. T. cuius aetate ipsi iusti non poterant ad coelos ascendere , sed in limbo detinebantur. Hinc multa habemus in V. T. exempla huius acceptionis ; praecipue (Isai. XXXVIII , 10) *Ego dixi in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi* , h. e. ad mortuorum regionem , sedem etc. πορεύσομαι ἐν πύλαις ᾅδου. (Act. II , 27) *Quoniam non derelinques animam meam in inferno , nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* (Eccl. IX , 18) et aliquoties in historia Machabaeorum προπέμπειν εἰς τὴν ᾅδην est praemittere ad infernum h. e. ad regionem animarum vita exutarum. Qui loquendi modus est Graecis praesertim poetis usitatissimus. Unde et incertus auctor : Φῦντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι : *aut iamiam genitum demitti protinus Orco.* In quo non determinatur in quam Orci regionem demitteretur. His praeiactis , iam possumus cognoscere quomodo potuerit Matthaei interpres uti voce ᾅδη in sensu gehennae , licet usus Scripturae non ferret. Nimirum cum nomen ᾅδης universim exprimeret regionem umbrarum , et posset accipi pro bona et mala earum parte ; potuit is idem adhibere pro gehenna , quia videret ad hanc partem determinari ex ratione contextus. Et in hoc casu nullum infert praeiudicium tali acceptioni usus aliorum locorum. Quia

reapse usus ille non est oppositus, sed indifferens, et determinabilis iuxta diversam materiam orationi subiectam.

- Verum hactenus meram nostrae interpretationis possibilitatem ostendimus. Quod ita sit, patet 1. quia repugnat accipere Christi effatum de morte quasi fidelibus promittatur resurrectio. Imprimis enim resurrectio non est ita propria eorum qui sint de Ecclesia, ut non sit communis et haereticis et infidelibus. Quorsum ergo Christus dicat tales qui ad Ecclesiam spectabunt non fore perpetuo morti subiiciendos? Secundo praemisit Christus se fundaturum Ecclesiam suam supra saxum illud (Cephas) quod Petrus esset; et haec ratio est cur Ecclesia futura sit firma. Sequitur ut exponat naturam seu indolem huius ex ea ratione conceptae firmitatis, quod ex se sit huiusmodi, ut nihil eam possit atterere. Quorsum ergo transvolet ad resurrectionem? Certe sequeretur ista orationis series: Tu es Petrus, et quia es Petra solida a me consolidata, ego super talem Petram aedificabo Ecclesiam meam; et fideles membra huius Ecclesiae non erunt perpetuo praeda mortis. Quid commune est huic immunitati a iugo perenni mortis cum aedificio Ecclesiae solide in Petro constabiliendo? Ergo tota Christi sententia referenda est ad Ecclesiae stabilitatem. Quid propterea poterit significare? Si placet, advocetur obiecta ᾅδης acceptio: scilicet portae regionis infernae non praevalebunt etc. At vero non potest impugnare Ecclesiam nisi illa determinata pars regionis infernae quam dicimus gehennam. Ergo tantundem est ac si dicatur, portae gehennae, potestates tartareae, et qui cum ipsis communicant, non praevalebunt etc. Confirmatur apodictice nostra argumentatio ex uniformi interpretatione versionum, quod a principio innuimus. Igitur etc.

Quod attinet ad sequentia verba: *non praevalebunt adversus eam*, nihil inde, aiunt acatholici, efficitur pro indefectibilitate Ecclesiae. 1. Enim, inquit Camero, etiamsi

Ecclesia intercideret in terris, non eo fieret, ut portae inferorum adversus Ecclesiam praevalerent. Tantummodo fieret ut Ecclesia desineret esse in terris: quod non est vinci a portis inferorum, sed contra superare inferorum portas et perfringere. Gualtperius: contra Ecclesiam quae per se coetus est catholicus invisibilis, et deinceps in particularibus coetus visibilis et conspicuus redditur. Uno verbo, inquiunt, promittitur non praevalentia quoad rei substantiam, non quoad omnem rei modum. Qui enim, aiunt, probare possis excludi per haec verba quodcumque genus defectionis? Addunt alii promissionem hic fieri dumtaxat adversus vim externam, non adversus propriam hominis malitiam; ita ut sit intrinsece conditionata. Adeoque Erasmus (h. l.) commentatur: Et super istam petram h. e. solidam istam fidei professionem, extruam Ecclesiam meam: *in quo fundamento si constiterit*, nec inferi quidquam adversus illam poterunt, nedum homines.

Respondemus vim phrasis *non praevalebunt adversus eam* importare omnimodam indefectibilitatem Ecclesiae quoad omnem respectum et sensu absoluto excludente quamcumque ex hominum parte conditionem. Ut hoc pateat, quaerendum est in antecessum cuinam fundamento dixerit revera Christus superextruendam Ecclesiam. Hinc enim structura sermonis desumenda est, et diudicari poterit natura promissae soliditatis Ecclesiae. Hanc in rem tres praecipue interpretationes obtinuisse video. Prima catholicorum in verbis Christi: *super hanc petram aedificabo*, intelligit Petrum proxime nominatum. Secunda quorundam protestantium intelligit Christum; quasi Christus in se digitum illa dicens converterit. Tertia intelligit confessionem a Petro editam divinitatis Christi, ut censuit Erasmus etc. Dicimus tertiam hanc interpretationem esse absurdam. Nam praenotandum est Christum syriace locutum non potuisse ullo uti agnomine Petri et Petrae; sed utrobique debuisse usurpare *Cepha*, quod est communis generis. Interpres

vero Matthaei non potuit uti voce eadem: quia si dixisset utrobique πέτρα, id non patiebatur graeci sermonis regula, quae non sinit virum dici πέτραν, sed agnominative πέτρον. Si vero dixisset utrobique Petrus, non indicasset secundo loco quod Christus intenderet, scilicet saxum cui Ecclesia superextrueretur. Hoc posito sententia Christi huic respondet: Et ego dico tibi: tu saxum es (sive ut iamdudum promisi, saxum diceris) et super tali saxo (sive super te qui saxum appellaris) aedificabo Ecclesiam meam. In hac enunciationis forma quis ad alium referat Christi effatum, nisi ad ipsum Petrum? Quis potest substituere confessionem, vel Christum ipsum? Certe quo iure recederetur a nativa vi costructionis, et sensu obvio? Quo iure tanta contorsio et subiecti distractio admitteretur? Praeterea in contraria hypothesi tota emphasis sermonis Christi incassum concideret. Haberemus enim: Et ego dico tibi: tu es Petrus, nempe vocaris Petrus, ut iam pridem spopondi fore appellandum: et ego super petram fidei in meam divinitatem aedificabo Ecclesiam meam. Qui nexus haec inter? Quid hoc Petro confert? Quo demum emphatica illa ad Petrum locutio terminaretur? Ut scilicet Ecclesiae fundamentum sit confessio divinitatis Christi, quam repertus esset confessus Petrus. Sed hoc quid proprium et personale offert Petro? Quaenam habetur in eo relatio ut Petrus vocetur Petrus, et fides in Christi divinitatem sit Ecclesiae fundamentum? Quid pariter novi atque inopinati Christus per haec verba pronunciasset? Quis ignoraret non posse exurgere Christi Ecclesiam nisi in confessione divinitatis eius? Denique idem hoc fundamentum, quod est divinitatis Christi confessio, ipsum plane fundamento indiget ut consistere possit. Multo absurdior est secunda interpretatio de petra quae sit Christus. Hac enim gravius distrahitur tenor sententiae; et gratis supponitur Christum in se digitum convertisse, dum ea diceret; relinquitur suspensa et sensus vacua emphatica

illa Petri appellatio ; et alia huiusmodi, quae cuique per se in oculos incurrunt.

Stat igitur quod per Ecclesiae fundamentum designetur Petrus. Quo posito facile perspicitur quaenam vis insit sequenti sententiae : *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Etenim per τὸ *eam* venit Ecclesia ut determinata et visibilis inque sua adspectabili forma inspecta. Habemus enim : tu a me nominatus es Petrus, et Petrus cum sis, ego super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Unde quod sequitur exponi debet : et adversus talem Ecclesiam super te fundatam portae inferi non praevalebunt. Sequitur ergo non promitti immunitatem a Satanae praevalentia Ecclesiae utcumque conceptae, indeterminate et sensu generico sumptae ; sed promitti praecise Ecclesiae visibili et adspectabili ac determinatam formam habenti. Illi enim Ecclesiae spondetur, quae dicta est extruenda supra Petrum : sed supra Petrum non poterat extrui nisi Ecclesia determinata et visibilis : ergo. Maior patet, quia pronomen *eam* non potest referri nisi ad Ecclesiam proxime nominatam. Sed haec erat determinata, utpote Petrus non poterat esse fundamentum Ecclesiae genericae, vagae et invisibilis ; nec, uti subditur, administrare claves in ecclesiam invisibilem. Ergo. Praeterea Petrus ita heic caput Ecclesiae est accipiendus, uti illum exhibent reliqua loca Scripturarum : porro caetera loca exhibent tamquam habentem consortium reliquae hierarchiae apostolicae ex ipso Christi mandato, et caetera quae faciunt ad formam determinatam Ecclesiae. Igitur.

Sed dices : promittitur utique aeterna stabilitas tali Ecclesiae in Petro fundandae, sed non quatenus tali, sive quatenus Petro adnititur. Unde non quia cessaret niti Petro et esse hierarchica ; ideo praevalerent contra promissiones Christi portae inferi. Resp. nego antec. nam promittitur sempiterna duratio praecise Ecclesiae uti tali, seu ut in Petro fundatae. Sane in contraria hypothesi sensus

esset: super te aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non poterunt destruere hanc Ecclesiam, ita ut non maneat saltem invisibilis, proindeque manebit aeternum, sive fundata in Petro sive non. At vero cum dicat Christus: super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, declarat Petrum fore Ecclesiae fundamentum; adeoque docet velle se stabilitatem huius Ecclesiae repetere a Petro: secus iam idem non esset ex veritate fundamentum. Si ergo alioquin nunquam portae inferi debent praevalere contra Ecclesiam, Ecclesia semper debet repetere suam stabilitatem a Petro. Sed si hoc, Petro uti Petro eadem nititur; et quatenus talis nequit ab eo scindi, vel eo remoto immobilis consistere. Ergo. Ex quibus iam liquet non posse in Ecclesia cessare formam hierarchicam determinatam etc. 1. Quia promissio facta est determinatae Ecclesiae sub tali forma conceptae, et de ea affirmatum est quod portae inferi non essent praevaliturae. 2. Quia a Christo declaratum est suam stabilitatem habituram esse Ecclesiam a Petro. Unde si aeternum habere debet stabilitatem, ab eo aeternum debet recipere; proindeque nequit unquam se subducere a principio hierarchico, cuius Petrus centrum extat. Secus incurreretur contradictio, ut simul stabilis perseveraret Ecclesia vi dati sibi fundamenti, quod Petrus est cum sibi adnexa hierarchia, simul collapso hoc fundamento staret Ecclesia; et sic iam declararetur Ecclesiam non habere Petrum pro fundamento.

Similia argumenta eruuntur ex voce *non praevalebunt*. Imprimis enim hoc verbum est absolutum; nec dicitur *non plane*, *omnino* etc: unde nonnisi gratis induceretur limitatio. Secundo vis graecae vocis κατισχύω est, *viribus adversus aliquem praevaleo*, *in conflictu obruo*, *deprimo*, *deiicio praepollentia virium*. Quare heic inducitur colluctatio iugis Orci cum Ecclesia, et affirmatur Orcum non mansurum unquam viribus superiorem. Sed si quidquam Orcus Ecclesiae adimeret, maneret viribus superior;

sicuti si rex alium expoliet etiam tantula parte principatus. Ergo. Tertio quamcumque tolleret partem, mortale vulnus infligeret. Iam enim superius est animadversum ita omnia quae ad Ecclesiam pertinent esse inter se connexa, ut quantulumcumque ex ea demas, caetera funditus subruantur, ac totum aedificium dissolvatur. Nullum igitur datur medium; atque Ecclesia vel absolute eadem conservanda est; vel est omnimode destructibilis. Hoc autem ex expensa Christi promissione repugnat. Restat ergo ut primum tueamur.

LECTIO IV

Altera Ecclesiae dos, scilicet infallibilitas in disputationem adducitur.

Duas partes habet haec quam inimus gravissima controversia; nimirum ut vindicetur infallibilitatis in Ecclesia existentia; tum vero ut eiusdem explicetur natura. Ab existentia exordium facimus: sed ut rei notio aliqua, ut par est, praestruatur; generatim nomine infallibilitatis intelligimus privilegium Ecclesiae a Christo concessum, quo in rebus fidei ac morum nec falli ea, nec fallere potest. Calvinus, cum eoque passim haeretici dupliciter limitant hunc de Ecclesiae infallibilitate conceptum. Primum, Calvino iudice, Ecclesia non potest errare si non proponat dogmata extra Scripturam, idest si reiiciat traditiones non scriptas, et solum proponat fidelibus quae in ss. litteris continentur. Si autem quaeras an certi simus quod Ecclesia proponat semper fideliter quae sunt in Scripturis; respondet: Ecclesiam semper proponere fidelibus quae sunt in Scripturis in rebus ad salutem necessariis, non tamen in aliis, ac proinde semper extare in Ecclesia naevos aliquos errorum. Secunda restrictio est ut illud: *Ecclesia non potest errare*, intelligatur de Ecclesia universali, non autem applicetur episcopis, qui cum rom. Pontifice iuxta nos

Ecclesia sunt *repraesentative*. (1) Hae restrictiones, ut patebit inferius, conflctae sunt ad tuendam simul privati iudicii libertatem contra magisterium Ecclesiae, simul utcumque salvandam veritatem promissionum Christi, quae nimis erant manifestae. Successu temporis reiectae sunt verborum ambages, atque absolute impugnata fuit et impugnatur infallibilitas Ecclesiae.

Nos ex adverso omnimode hanc dotem Ecclesiae adscribimus absque ulla restrictione 1. *obiecti*; quatenus quidquid Ecclesia absolute in rebus fidei ac morum tenendum docet, sit infallibiliter verum. 2. Sine ulla restrictione *medii*, quatenus id valeat, sive quae Ecclesia docet habeantur in Scripturis, sive in traditione. Denique sine ulla restrictione *subiecti*; in quantum necessario verum sit tam id quod de fide tenet universitas fidelium ex magisterio Ecclesiae docentis, quam quod de fide tenet episcoporum universitas una cum suo centro romano Pontifice. Insuper animadvertimus quod ratione materiae possint subiici magisterio Ecclesiae quae ad fidei dogmata spectent, ad morum normam, atque cultum; et in his omnibus aeque dicimus Ecclesiam infallibilem. Quoad vero actus eiusdem magisterii, potest Ecclesia versari in recensitis subiectis vel tamquam *testis*, uti cum perhibet Scripturas fuisse à Deo revelatas, et alia huiusmodi. Vel uti *iudex*; cum nimirum decernit de vero Scripturae sensu et traditionis; ac generatim fidei controversias dirimit. Vel uti *magistra*; quatenus ministerio quotidiano fideles viva voce et praxi iis omnibus imbuit, quibus vera Christi doctrina et religio ac aeternae salutis semita continetur. In triplici hoc officio pari iuxta nos Ecclesia gaudet dote infallibilitatis. Hoc totum tamen, ex nostra sententia, non peragitur per aliquam inspirationem, ut fuit prophetarum propria, qua

(1) Ap. Bellarminum — *de Eccl. milit. lib. III, cap. XIV.*

nempe Ecclesia per infusionem idearum primo et per se factam doceat quae docere debet; sed per simplicem *assistentiam*, qua Ecclesia in errorem labi non sinatur, nec permittatur decipere. Practice: quatenus agit testem, assistentia efficit ne excidat a fideli apprehensione eorum quae testificari debet, neque velit ea adulterare. Ut agit iudicem, assistentia impedit quominus ex verbi Dei fundamentis pravas consecutiones aut sensum falsum extundat. Ut magistram se exhibet, ex assistentia habet ut ea proponat, et ea ratione proponat qua omnium saluti tuto prospiciat. Ex his vero omnibus efficitur ut doctrina Christi et Apostolorum de aetate in aetatem intemerata descendat. Descendit enim integra quoad ipsas res quas Christus et Apostoli protulere: quippe Ecclesia, ut testis, nequit falli in testando quae Christus et Apostoli ore aut scripto transmiserint. Descendit intemerata quoad conclusiones inferendas et rectam Scripturae intelligentiam; quippe harum Ecclesia est infallibilis iudex. Denique in communicatione et practico usu, propter infallibile Ecclesiae magistrae ministerium.

His igitur praeiactis notionibus, diligenti argumentorum serie hanc summam caussae catholicae controversiam vindicamus. Esto itaque argumentum primum a fine Ecclesiae praestituto depromptum. Etenim, prouti toties inculcatum est, Christus instituit Ecclesiam eo fine ut suas vices in terris ageret, ut per eam perennem faceret suam praesentiam et magisterium, pergeretque in Ecclesia Christus docere et regere usque ad consummationem saeculi. Itidem ut populi haberent perpetuo in Ecclesia et per Ecclesiam illud ipsum suae salutis praesidium, quod habuissent si Christus ingiter in hoc mundo adspectabilis constitisset. Atqui haec omnia nequeunt conciliari cum omnimoda aut aliquali Ecclesiae fallibilitate. Ergo eadem est plane infallibilis. Maior est alias confirmata (sect. I. lect. V) Sed tamen addimus: certe Christus illud voluit ab Ecclesia quod

intendit ex Apostolis: cum et his et successoribus eorum pari verborum tenore unam iniunxerit missionem, promiserit assistentiam, potestatem communicaverit (Matth. XXVIII). At vero ab Apostolis intendit illa omnia quae recensuimus. Ergo et ab Ecclesia. Secundo scrutemur practice quae egerit Christus in mittendis Apostolis eorumque successoribus; num ea ideam exhibeant missionis utcumque iniunctae, an talis quae involvat omnimodam et realem mittentis repraesentationem. Profecto ut quis dicatur mitti cum omnimoda et reali mittentis repraesentatione, sufficit ut non solum mittatur ad aliquid praestandum, sed ut mittatur praecise in locum eius qui mittit. 2. Ut cum illa ipsa potestate mittatur quam possidet is qui mittit. 3. Ut sic ei sit obtemperandum, ut ipsi mittenti; et sic sit audiendus, ut ipse mittens. Atqui haec omnia verificantur quoad acceptam missionem in Apostolis et eorum successoribus; immo multo plura ipsis praestitit Christus. Ergo. Maior patet: nam si rex mittat aliquo suum ministrum ut praestet ibi quod ibidem ipse praestare deberet; ac declarat ei inesse ipsam suam potestatem; et ei obediendum esse ut regi ipsi etc: profecto nemo non dicet velle regem realiter ab illo ministro repraesentari. Si enim haec non sufficiunt ad repraesentationem realem, nihil plane sufficit, ac nulla datur talis repraesentatio. Minor etiam est evidentissima: nam 1. cur Christus Apostolis et successoribus partes omnes suae missionis communicavit, nisi quia cum deberet pro assumpto redemptoris omnium officio universorum salutem procurare, ac caeteroquin non posset manere in terris, voluit sibi homines substituere qui usque ad mundi finem facerent loco ipsius quod ipsi fuisset faciendum? Et sane societatem eorum qui convertendi erant per Apostolos etc: vocat Christus suam Ecclesiam. Et hosce ipsos per Apostolos ad fidem vocandos appellat oves suas. (Ioan. X, 16-XXI, 16-17) *Alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me*

adducere. Pasce agnos meos, pasce oves meas. Ergo qui convertuntur Christi sunt; et qui convertunt non sunt nisi Christi in terris vicarii etc. Secundo misit cum eadem sibi propria potestate. *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: Euntes ergo* etc: *Sicut misit me pater et ego mitto vos. Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis.* Media etiam omnia sibi a Patre tradita ad animas salvandas, perque ea totius redemptionis pretium in manu eorum deposuit. Tertio diserte voluit ut iis fides et obedientia praestaretur tamquam ipsi Christo. Dixit enim: *qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.* Item declaravit futuros ipsi Christo rebelles illos qui contra Ecclesiam contumaces existerent, et habitum iri veluti Christo extraneos, non secus ac si ab ipso Christo apostasiam fecissent.

Haec sufficerent, iuxta institutum argumentum. Sed tamen (Matth. XXVIII, 20) addidit promissionem suae perpetuae assistentiae. Quo tacite dixit, non erit vobis impossibile, defectibiles homines cum sitis, me realiter exhibere et perpetuare meum visibile magisterium. Siquidem ego absens visibiliter, praesens ero invisibiliter, et per os vestrum loquar, et per vos agam, vosque vicissim ex mea directione iugi loquemini et agetis. Item dixit tacite Christus: quoniam volo exhiberi a vobis realiter in omni officio meae missionis; et aliunde id vos per vos ipsos nequaquam possetis efficere; impertiar vobis meam iugem assistentiam, quo reciproce ero ego os vestrum, dum vos visibiliter eritis os meum. Denique his non contentus Christus Dominus voluit ut sicut ipse probatur Dei legatus per miracula et prophetias, item Apostoli et successores per eadem Dei legati probarentur, et divina pateret eorum missio. Unde copia prodigiorum in Ecclesia profluxit; quam Christus ab eadem nunquam abfuturam promisit. Itaque non modo missionem communicavit, sed et divinae

insignia missionis; sive voluit ut Ecclesia non modo exhiberet Christum in exercendis partibus eius missionis, sed in hoc ipso esset et haberetur Dei nuncia, non secus ac Christus, et ex iisdem motivis credibilitatis, quae Christi propria extitere.

Quominus ergo iniuncta fuerit Ecclesiae realis et omnimoda Christi repraesentatio, dubitari non potest. Sed si hoc, ut in minori argumenti dicebamus, non potest esse fallibilis. Ergo. Re enim vera qui fiat ut Ecclesia fallibilis repraesentet populis vere realiter et practice Christum infallibilem? Quomodo magisterium errori obnoxium locum teneat magisterii ab omni errore immunis; et hoc in illo pergat vigere? Qu modo uni tamquam alteri gentes fidem adhibeant et obtemperent? Quomodo eadem pariat emolumenta nationibus organum doctrinae humanum et erroneum, perinde ac si iuge in terris perseveraret organum divinum ab omni erroris labe alienum? Quae cum ita sint, potest hactenus instituta demonstratio paucis hisce comprehendi: Ecclesia, in quantum suum ministerium exercet, est ipsum os et magisterium Christi protractum et perseverans; et quae ab ea geritur missio est ipsa missio perdurans Christi. Sed Christi os, magisterium, et missio sunt plane infallibilia. Ergo et Ecclesia est plane infallibilis.

Argumentum secundum petitur ex oeconomia fidei a Christo invecta. Si enim Ecclesia esset fallibilis, errores in fide refunderentur in ipsum Christum, et ipsemet scatebram omnigenorum errorum induxisset, atque foveret. Hoc autem est absurdum. Ergo. Prob. maior. Iuxta Christi institutionem toties expositam, ex una parte organum fidei communicandae et conservandae non est nisi successio Apostolorum; ex alia homines tenentur subiicere suum iudicium iis qui ad Apostolorum successionem spectant. Ergo revera si Ecclesia esset fallibilis, error refunderetur in ipsum Christum. Prob. consequentia: nam si homines

debent unice stare decisioni Ecclesiae; si haec, ut posset ex hypothesi, fallitur; iam omnes in errorem necessarium inducuntur. Et hic error non potest refundi in fideles, qui tenentur fidem Ecclesiae adhibere: unde refunditur in ipsam Christi institutionem, qui talem obligationem induxit; quique vetuit ne privato examine, aliove pacto singuli sibi prospicerent. Christus vero huiusmodi errores necessarios praevidisset, et nihilominus sanxisset ut errori universi adhaererent; e. g. ut negaretur Trinitas personarum, Christi divinitas, ipsius etiam missio etc. Adde quod in hac hypothesi Deus deberet conferre gratiam ad obsequendum errori, et ita positive ad eundem concurrere. Nam gratia opus est ad subiiciendum proprium intellectum iudicio Ecclesiae; et in casu foret subiiciendum.

Secundo si Christus fecit Ecclesiam fidei organum cum obligatione universis iniuncta eidem obtemperandi; debuit consequenter ipsam constituere in gradu auctoritatis humana superioris, et Dei nunciae atque interpretis. Atqui si hoc, non potuit ipsam fallibilem permittere: ergo. Prob. maior. Nam si magisterium Ecclesiae suo aequiparavit: *Qui vos audit me audit*; ut suum erat humano maius, ita et Ecclesiae. Item tyrannicum fuisset velle ut omnes intellectus ne hilum quidem discederent, sub comminatione poenarum aeternarum, ab aliqua auctoritate et ipsa humana et fallibili. Denique facto constat, uti iam diximus, Christum insignivisse Ecclesiam in docendo miraculis et prophetiis, et sic ipsam exhibuisse uti Dei nunciam et interpretem. Iam vero quomodo quod actu est et exhibetur uti Dei organum et interpres potest supponi fallibile? Haec involvunt contradictionem, enervant totam theoriam probandae per notas revelationis; ac insuper ipsius Christi veracitatem labefactant. Si enim possunt haec duo componi ut aliquis sit actu Dei legatus, et eodem tempore falli ac fallere possit, idem de ipso Christo fas erit suspicari. Non vident ergo heterodoxi quod dum negant

Ecclesiae infallibilitatem, ipsius Christi infallibilitati insidias struant!

Argumentum tertium ex Scripturarum relativa insufficientia depromitur. Nam si Ecclesia non sit infallibilis, vel nulla datur fidei regula, et sic fides necessario erit incerta, nutans, hominum arbitrio et captui permissa; vel regula talis infallibilis debet reperiri in Scripturis. Atqui Scripturae non sunt regula eiusmodi. Ergo. Maior est evidens: vel enim datur aliquid quod efficaciter continere possit hominum ingenia in unitate fidei; vel, ut illa sunt per se mobilia ac in suis iudiciis admodum disparia, in varias sententias scindantur necesse est; proinde saltem illiusmodi regula reperiri deberet in Scripturis. Sed iam alias ostendimus in eisdem non reperiri; et si caetera deessent, id evincit constans et universalis protestantium experientia. Ergo. (1)

---

(1) Agentes nuper de defectu unitatis apud acatholicos, sufficiens eiusmodi experientiae specimen dedimus. Sed qui plura cupit consulat *lettre de M. Laval cidevant ministre à Conde-sur-Noireau, a ses anciens correligionnaires —Paris* 1823; ubi totum hoc argumentum luculentissime evolvit. Facit etiam ad commemoratum experimentum, quod videamus protestantes nulla alia via potuisse ac posse impedire plenam propriae sectae dissolutionem, quam sectando practice principium auctoritatis quod theoretice reiiciunt. Exinde tot apud ipsos coactae synodi, tot editae fidei professiones etc. Sed cum, ex Lutheri axiomate quod vir unus spiritualis an pius melius possit cognoscere veritatem quam universa Ecclesia, nullam fidei unitatem per illa media consequi potuissent; debuerunt per principum temporalium sanctiones, per edicta politica, aut etiam per decreta consistorialia sub gravissimis poenis cogi ad eandem fidei formulam profitendam; addita etiam iurisiurandi religione, sive haberent talem animi persuasionem, sive secus. Atque hic notari meretur singularis conditio protestantismi, qui sine libertate examinis non fuisset ortus: idem tamen cum practica hac libertate examinis prorsus aboleretur. Itaque en qualibus angustiis protestantes premantur: necessaria ipsis est libertas examinis ut vivant; necessario abigenda est ne moriantur!

Argumentum quartum petitur a natura fidei. Ecclesia enim ex ante dictis est organum fidei. Sed organum fidei est necessario infallibile. Ergo Ecclesia est infallibilis. Minor sic evincitur. Si organum fidei sit fallibile, etiam fidei actus, qui eo nititur, erit nutans, incertus et fallibilis. Ergo. Praeterea fides non consistit sine adhaesione mentis propter motivum formale Dei loquentis: iam vero Deum loquentem non possumus in ipso Deo immediate persentiscere: ergo medio opus est, per quod tuti reddamur de ipsa voce Dei loquentis. Proinde hoc medium nulla ratione potest esse fallibile: secus quomodo addiceret nos Deo loquenti, et tantam pareret certitudinem, quanta ex ipso Dei loquentis ore haberetur? Fides ergo non consistit sine organo infallibili. Sed ex supradictis organum fidei non est nisi magisterium Ecclesiae. Ergo hoc magisterium ex intrinseca necessitate debet supponi infallibile. Quod nisi fiat, datur fidei organum fallibile: proinde nulla certa apprehensio Dei loquentis, et fides nulla. Hinc iure dicere consuevimus omnes sectas acatholicas carere fide. Impossibile enim est fidem alere absque organo a Deo instituto, quod ipsum repraesentet. Iam vero sectae acatholicae carent hoc organo. Ergo. Utique ipsae substituunt aliud organum, nempe suum privatum iudicium circa Scripturas. Sed hoc privatum iudicium, tum quod non est organum a Deo institutum, tum quod est aliquid humanum et variabile, nequit esse idoneum ingenerandae fidei.(1)

---

(1) Cf. Bolgeni in opere. *L' Economia della fede cristiana*, Brescia 1790 cap. I, art. 1. et seqq. Eadem vero placet confirmare confessione ipsius advocati Iayet unius ex praecipuis membris magni consilii protestantici in Helvetia. Is igitur in suo: *Compte rendu* pag. 322, inquit. *Je ne conçois pas une confession de foi sans l' infallibilité. La parole divine même si elle présente quelque obscurité, ne peut être interprétée par des voix humaines. On nous a dit à la verité que Dieu a employé des moyens humains pour se révéler à nous; mais n' oublions pas que ces voix humaines, qui nous*

Argumentum quintum ex Ecclesiae essentia. Etenim iuxta disputata superius, Christus voluit suam Ecclesiam indefectibilem, unam, sanctam, catholicam, et apostolicam. At vero talis non foret, nisi esset infallibilis. Ergo. Minor est perspicua. Si enim in errorem labi possit, et labatur Ecclesia; iam non habet unitatem fidei cum antiqua Ecclesia, neque consequenter unitatem communionis. Item orbabitur apostolicitate fidei et communionis, ac formalis hierarchiae. Peribit catholicitas formalis, quae in identitate absoluta consistit. Nec poterit vera vigere sanctitas ubi huius germen et forma, quae fides est, fuerit corrupta. Item, fide depravata, commercium internum adeoque et externum labefactatur etc. Vel ergo Christus nihili fecit perennem conservationem Ecclesiae suae, et contentus fuit ipsam totam funditus dissolvi; vel dicendus est infallibilitatem absolutam suae Ecclesiae fuisse largitum.

Hinc sequitur aliud argumentum ex parte notarum. Corruptis enim proprietatibus, et notas corrumpi necesse est. Sed, ut modo dicebamus, denegata Ecclesiae infallibilitate, corrumpuntur omnes eius proprietates. Ergo et notae deficiunt. Proindeque omnis agnoscibilitas, et utilitas Ecclesiae corrueret. Hinc iam nulla, saltem respectu nostri, existeret Ecclesia. Adeoque frustra essent omnes quas de ea habemus hinc inde cum adversariis, et vice versa quas ipsi nobiscum habent disputationes.

Argumentum sextum ex Christi promissionibus. Quippe, ut superius disseruimus, Christus spopondit suae Ecclesiae omnimodum auxilium, quantum ipse visibilis et praesens

ont transmis la parole de Dieu, avaient le don du Saint-Esprit. Je ne conçois pas que le langage inspiré puisse être interpreté par des voix qui ne le sont pas. Sed videsis ipsum auctorem art. cit. *De la tyrannie qu'on exerce sur les consciences en etablissant pour règle d'enseignement une confession de foi, qui n'est pas infallible.*

eidem praestaret. Sed Christus visibilis et praesens certe averteret omnem plane errorem ; inde enim , uti vidimus, sequeretur Ecclesiae dissolutio. Ergo. Item (Matth. XVI, 18) asseruit inferorum portas non praevalituras adversus Ecclesiam. Sed praevalerent utique , si fidem adulterarent , quod induceret ruinam Ecclesiae. Igitur. Tertio : sermo Christi (Ioann. XVI, 16 seqq.) quo Apostolis eorumque successoribus pollicetur largitionem Spiritus Sancti , non unum offert pro re nostra ineluctabile argumentum. Imprimis enim inquit Christus: *Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis , ut maneat vobiscum in aeternum. Spiritum veritatis , quem mundus non potest accipere..... vos autem cognoscetis eum ; quia apud vos manebit , et in vobis erit.* Ergo 1. dandus promittitur *alius paraclitus*, nempe qui, Christo ex terris abscedente , praestet Ecclesiae quod manens in orbe praestitisset Christus , scilicet omnimodam illius incolumitatem. 2. Hic Paraclitus est *Spiritus veritatis* qui apud Apostolos eorumque successores in *aeternum maneat, et in ipsis sit*. Sed manente , ad eos regendos, in Apostolis et successoribus Spiritu veritatis , nulla erroris suspicio in eosdem cadere potest. Igitur etc. Praeterea Christus ulterius suam explicans mentem addit (w. 23-26.) *Haec locutus sum apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus , quem mittet Pater in nomine meo , ille vos docebit omnia , et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.*

Faciunt ad maioris confirmationem loca Pauli (Eph. I, 22 , seqq.) *Ipsum dedit Deus , caput super omnem Ecclesiam , quae est corpus eius.* Et quod addit (v. 12) *Sacramentum hoc magnum est ; ego autem dico in Christo et Ecclesia.* etc. Eodem vero quinto capite ad Ephesios (v. 25. seqq.) habet notissima illa verba: *Christus dilexit Ecclesiam et tradidit semetipsum pro ea. Ut illam sanctificaret . . . . Ut exhiberet ipse sibi glo-*

riosam Ecclesiam, *non habentem maculam*, *aut rugam*, *aut aliquid huiusmodi*, *sed ut sit sancta et immaculata.* Ast quomodo Ecclesia in semetipsa esset sancta et immaculata, ac ob omni ruga et macula immunis, si perversae fidei capax foret, si identidem combibitis erroribus, primum germen suae animae, nempe fidem, passim vitiaret? Quae cum ita sint, iure idem Apostolus (I Tim. III, 15) Ecclesiam Dei vivi *columnam et fundamentum veritatis* appellat; ciusmodi nempe, quae nunquam possit a veritate excidere, quin totum christianae religionis aedificium corruat.

LECTIO V

Natura infallibilitatis Ecclesiae, ex parte primum subiecti eiusdem explicatur.

Hactenus existentia infallibilitatis Ecclesiae vindicata fuit: nunc vero operae est pretium naturam eiusdem diligentius rimari. Ad hanc revocantur subalternae quaestiones 1. de vero infallibilitatis subiecto. 2. De multiplici infallibilitatis obiecto. 3. De eiusdem exercitio. 4. De consectariis. Ut a prima quaestione gradus fiat, quaerendum an vindicata Ecclesiae infallibilitas habeat pro sui subiecto universitatem fidelium, uti vult Calvinus, an coetum pastorum seorsim sumptum, an denique necessario utrumque simul.

Respondemus infallibilitatem reperiri active in solo coetu pastorum; passive vero in coetu fidelium, et in ipso coetu pastorum inquantum sunt privati fideles, ac singuli per se spectantur. Si vero uterque coetus simul sumptus concipiatur, dicimus infallibilitatem in eo reperiri partim active partim passive, pro diversa indole elementorum quibus compositum constat. Nomine activae infallibilitatis intelligimus vim potestatemque *testandi*, *iudicandi*, *et docendi* in rebus fi-

dei et morum absque erroris periculo. Haec tota exclusive residet in solo coetu pastorum, nec ullam huius partem sibi vindicat coetus fidelium. Unde non sic spectari debet in ipso hoc coetu infallibilitas, quasi ipse calculum ullatenus adiiciat definitionibus fidei, sive pondus intrinsecum, aut aliquid huiusmodi. Restat ergo ei tantum pars passiva, ut scilicet reperiatur consentiens definitionibus quas edocetur, eisque adhaereat, quae cum sint quidpiam infallibile, sequitur quod etiam doctrina quam profitetur plebs fidelium inquantum adhaerens coetui pastorum, sit infallibilis. Hinc apparet reperiri infallibilitatem in plebe tantum ex consequenti et modo passivo, quatenus accipit et tenet quod ei traditur infallibile. Et consequenter conspectus coetus fidelium per se non adstruit dogmata, sed indirecte illa exhibet, quatenus in iis tenendis plebs adhaeret pastoribus, quorum est infallibilia docere; et impossibile est ut tota excidat a tali adhaesione. Unde si hoc tenet, signum est quod adhaerens tenet, seu quod ipsum pastores trasmittant.

Probatur hoc totum ex eo quod omnia argumenta quae probant Ecclesiae infallibilitatem, non evincant infallibilitatem activam, nisi pro coetu pastorum. Ita argumentum erutum ab Ecclesiae missione iis vindicat activam infallibilitatem quorum est missio. Sed missio active est corporis pastorum, et passive tantum est coetus fidelium. Ergo pariter infallibilitas. Item momentum deductum ab oeconomia fidei a Christo invecta, desumitur a hierarchia quam Christus, ut publico fungeretur magisterio, instituit: ac tantundem verificatur in reliquis. Nec secus habent Christi explicitae promissiones. Assistentiam enim suam non promisit Christus nisi Apostolis et eorum successoribus. Dixit: *portae inferi non praevalebunt adversus Ecclesiam*. Sed id intelligi potest et debet cum accommoda distributione. Non praevalebunt adversus coetum pastorum qui est Ecclesia docens, quatenus ii in docendo eruut

immunes ab erroribus. Non praevalebunt adversus Ecclesiam discentem, quatenus non permittetur totam se scindere ab adhaesione in fide ad magisterium Ecclesiae docentis, nec cessare a professione eorum quae Ecclesia docens profiteatur.

Quod de his promissionibus dictum est, verificatur in caeteris Scripturae locis quae ad infallibilitatem faciunt. Semper enim explicari possunt, immo vero et debent de parte regente Ecclesiae. Quamobrem nullo ex Scripturae fundamento activa infallibilitas tribuitur coetui fidelium. Accedit evidentissima ratio, quod sic se habeat coetus fidelium respectu hierarchiae a Christo institutae, uti se habuisset respectu Christi, si mansisset visibilis in terris; quandoquidem vidimus hierarchiam non esse nisi vicariam personae Christi. Atqui respectu Christi plebs fidelium non habuisset nisi infallibilitatem passivam sensu explicato. Ergo et respectu hierarchiae, quae sola activam habet, uti soli competiisset Christo.

Ex his adstructis principiis nonnulla fluunt corollaria. Ac primo quidem sequitur nullam quantumvis magnam fidelium multitudinem posse unquam praescribere adversus doctrinam coetus pastorum. Quandoquidem multitudinis non est consortium habere in magisterio activo et fidei iudicio, sed tantum sibi tradita participare. Secundo esse plane extraneam a constitutione alicuius dogmatis acceptationem coetus fidelium; ex eodem capite quod ipsi non sint ullo modo iudices. Hinc conciliorum oecumenicorum dogmatica decreta irreformabilia sunt ante acceptationem fidelium. Unde eadem totam obligant Ecclesiam, sive acceptentur, sive secus. Tertio, cum quaeritur num ad ratificanda decreta dogmatica Pontificum romanorum requiratur acceptatio Ecclesiae, intelligitur hoc nomine corpus pastorum, non vero Ecclesia subiecta.

Quoniam constat infallibilitatem activam residere in coetu pastorum; quaerendum ulterius est 1. An resideat in

eorum singulis, an in eorum collectione. 2. An in collectione disgregata per universum orbem, vel in concilio generali coadunata. 3. An ad hanc collectionem coadunatam aut disgregatam requiratur interventus omnium, vel plerorumque, vel minoris sufficiat partis. 4. Utrum necessario ista collectio debeat includere rom. Pontificem, vel eo excluso sit adhuc infallibilis. 5. Quid et quomodo influat romanus Pontifex in episcoporum infallibilitatem, et quae reliquae sint partes infallibilitati caeterorum sub Pontificis influxu.

Ad 1. quisque novit non vigere infallibilitatem in singulis pastoribus, sed in eorum collectione. Ratio est quia argumenta et promissiones Christi non militant nisi pro collectione. Item haec singulis concessa infallibilitas officeret unitati Ecclesiae, nisi singulis data quoque fuisset impeccantia. Secus aliquis episcopus ex malitia posset pervertere fidem, et falsitas ab infallibili homine profecta multos in errorem invincibilem induceret.

Ad secundum: est similiter perspicuum infallibilitatem peraeque reperiri in coetu pastorum per universum orbem disgregato, ac in conciliis coadunato. Siquidem Christi promissiones praescindunt a statu huius coadunationis. Immo iis dixit se fore adfuturum, quos nuper praeceperat dispergi in omnem terram ad nuntiandum evangelium. Item si organum infallibile fidei custodiendae et confovendae non essent nisi pastores in conciliis congregati; vel perpetuo celebrari deberet generale concilium; vel plerumque deesset in Ecclesia ipsum illud instrumentum fidei conservandae.

Ad tertium respondemus ad habendum coetum pastorum qui censeri possit subiectum infallibilitatis activae, non requiri ut spectentur ad unum omnes pastores; sed satis esse si pleraque eorum pars in aliqua sententia conspiret, dummodo haec ipsa sibi consentientem habeat romanum Pontificem. Prob. Nam Christi promissiones factae sunt

coetui pastorum ut sunt corpus morale, et sufficienter repraesentant Ecclesiam. Quamdiu ergo exhibentur sub forma corporis moralis, et ea constant, tamdiu ipsis competit promissa infallibilitas. Sed ad hoc ut retineant formam corporis moralis sui generis, non opus est ut omnes et singuli concurrant, sicut in omni politico conventu id non exigitur. Ergo ut coetus pastorum censeatur subiectum infallibilitatis, non requiritur omnium et singulorum consensus atque concursus. Praeterea si omnes et singuli necessario concurrere deberent, nullus episcoporum posset fieri et censeri refractarius. Item nunquam fere verificaretur haec infallibilitas, quia semper eorum aliquis posset ex malitia saltem obsistere, et ita caeterorum omnium consilia praepedire. Denique sic nullum generale concilium vim unquam habuisset. Nam semper extitere in parte haeretica, quae proscribebatur, episcopi dissentientes, ut Ariani in Nicaeno, Nestoriani in Ephesino, Macedoniani in Cpno. etc. Non igitur omnes et singuli concurrere debent.

Est tamen heic pro coronide advertendum, quod ut habeatur expositus consensus sive pleraeque partis episcoporum inter se, sive cum romano Pontifice; non requiratur expressum suffragium; sed sufficiat tacitum, quod in eo est ut non reclament. Id namque satis est ut vere et proprie dicantur consentire. In iis enim qui ex officio tenentur alicui rei advigilare, ipsum non reclamare consentire est. Iam vero episcopi ex officio fidei advigilant. Si ergo non reclamant, consentire iure praesumuntur. Praeterea ex hoc ipso quod in iis qui tenentur advigilare ipsum non reclamare consentire sit, Spiritus Sanctus omnino suggeret episcopo ut reclamet in casu erroris, ne Ecclesia docens errori consentiat. Si ergo, cum occurrit, ad reclamandum non urgentur, quia de facto non reclamant; legitime infertur quod doctrina proposita vera existat. Quae cum ita sint, immerito Ianseniani ad eludendas

Bullas contra se latas ab Innoc. X, Alex. VII, et Clemente XI cavillari consueverunt eas vix alibi extra Galliam promulgatas esse, expressoque ac publico instrumento fuisse receptas.

Ad quartum, nemo non videt necessario in ooetu pastorum includendum esse rom. Pontificem. Quippe Christi promissiones datae sunt Ecclesiae capite affectae, non vero acephalae. Deinde quomodo esset romanus Pontifex Ecclesiae fundamentum, si huius fides independenter ab illo posset consistere? Quomodo pascendam accepisset doctrinae pabulo totam Ecclesiam, si haec per seipsam tale pabulum posset sibi comparare? Quomodo successoris Petri erit confirmare fratres suos, si hi a semetipsis haberent omnimodam vim sese stabiliendi et conservandi in fide? etc.

Verum iam quaeritur de concursu istius capitis cum corpore in ordine ad infallibilitatem, et de influxu ipsius capitis in infallibilitatem corporis. Qualis nempe sit, quidque afferat: et num in eo proprie vis ratioque resideat infallibilitatis. Hanc in rem in triplici suppositione contemplari possumus corpus pastorum. 1. Si quidpiam ipsi intra vel extra concilium decernant, quod tamen robur irretractabile non possit habere, nisi obtenta approbatione Pontificis. 2. Si Pontifex una cum episcopis in concilio coadunatis cuiuspiam rei examen suscipiat et ferat cum illis sententiam. 3. Si antecedenter Pontifex coetui pastorum fidei articulum profitendum proponat, sive haec propositio fiat concilio, sive Patribus dispersis.

In 1. casu occurrit difficultas. Nam, si episcopi quamdiu ipsi disceptant et decernunt, possunt impingere in errorem; si articulus extra dubitationem non eruitur, nisi vi iudicii a Pontifice profecti, non apparet quaenam possessio infallibilitatis restet episcopis. Item si quamdiu ipsi disceptant, falli possunt; nulla ergo in ipsis supponi potest assistentia; quae si supponeretur, iam non possent

concipi fallibiles. Tota ergo assistentia devolvitur in Pontificem, qui solus erroris incapax adstruitur.

Resp. Omnis in hac re aequivocatio ex eo proficiscitur, quod concipitur inerrantia tamquam principium intrinsecum quod informare debeat vel pastorum coetum, vel Pontificem; sive ut aliquid quod intrinsecus afficere illos debeat, et veluti in eis intrinsecam vim et possessionem infallibilitatis constituere. Ideo cum in solo coetu pastorum non deprehendatur effectus infallibilitatis, arguitur absentia ab eo huius principii. Contra quia posita adhaesione Pontificis sequitur qualificatio iudicii infallibilis, ei soli adscribitur intrinseca vis et possessio infallibilitatis; quasi ipse transferrret articulum a statu fallibilitatis ad infallibilitatem, et esset tota ratio huius characteris. At vero non ita res concipienda. Infallibilitas Ecclesiae non est posita in forma intrinseca quae ab uno aut altero elemento ipsius Ecclesiae possideatur; sed in extrinseca Christi et Spiritus Sancti actione, per quam impossibile est ut corpus et caput Ecclesiae simul sumpta in errorem conspirent. Enimvero Christus suis illis verbis: *Ecce ego vobiscum sum*, pollicitus est non futurum unquam ut Ecclesia in sua plenitudine accepta, ut scilicet capite et membris constituta, in errorem conspirare possit. Haec forma promissionis simul effectum spopondit avertendi erroris, simul expressit conditionem, tunc teneri Christum hac sua pollicitatione, quando habeatur coexistentia et conspiratio utriusque partis Ecclesiae, nimirum corporis et capitis.

Per haec apparet simul infallibilitatem Ecclesiae esse positam in externa Christi assistentia; simul esse affixam coexistentiae et conspirationi utriusque elementi. Hoc posito principio, iam cessare debet omnis difficultas, et vera rei suppeditatur intelligentia. Nam si coetus pastorum non habet ex se solo infallibilitatem iudicii, hoc non est quia nullo modo habeat infallibilitatem, sed quia non impletur conditio a Christo posita coexistentiae cum capite,

et conspirationis. Interim tamen coetus ipse pastorum non desinit esse elementum ex iis quae, si concurrant, dent compositum infallibile. Ex eo quod sibi relictum errare possit corpus pastorum, sequitur quod non sit se solo infallibile; non vero quod nullo modo sit infallibile. Sequitur quod episcopi non sint in se infallibiles: sunt tamen elementum compositi infallibilis. Denique non sequitur quod eis non sit propria ulla assistentia, sed quod non sit propria illa assistentia quae eos faciat infallibiles etiam extra statum coexistentiae.

Ex alia parte si, habita Pontificis approbatione, iudicium evadit infallibile, hoc non ideo est, quasi in solum Pontificem devolvatur assistentia, quasi ipsius tantummodo sit propria infallibilitas; immo quasi ex eius affirmatione intrinsece articulus exuat fallibilitatem et ad infallibilitatem transferatur; sed extrinsece, quia posito Pontificis suffragio, iam caput et corpus Ecclesiae inveniuntur aliqua in re conspirare. Qua posita conspiratione, praesumi certo potest eam non versari in aliquo errore; quandoquidem promisit Christus nunquam fore ut tota Ecclesia in errorem conspiraret. Quamobrem Pontifex non dat Ecclesiae infallibilitatem, quasi in se solo habeat eiusdem rationem, et eius possessio in Ecclesiam refundatur; sed extrinsece et materialiter, quatenus complet conditionem coexistentiae, cui fuit adnexa Christi promissio.

Atque haec dicta sint de prima suppositione. Quod ad secundam attinet, facile ex hactenus dictis diiudicari potest. Nam si Papa coram in concilio cum episcopis suffragium edat, atque hac illavc in re suffragia conspirent; quid hoc aliud importat, quam ut simultanee impleatur coexistentiae conditio, et habeatur conspiratio? Unde ex eodem fonte fluit infallibilitas. Difficilior est tertius casus quo Papa proponat articulum credendum cui coetus pastorum obsequatur. Videtur enim in hoc casu plane vacare coetus pastorum infallibilitas. Sed imprimis vel Pon-

tifex supponitur se solo infallibilis, vel fallibilis. Si fallibilis, iam liquet ad irreformabilitatem eius iudicii expectandam esse conspirationem Ecclesiae; sicuti in primo casu respectu Ecclesiae expectandam diximus conspirationem Pontificis. Si vero, ut par est, censetur Pontifex infallibilis, neque sic locus eripitur infallibilitati coeterorum. Nam Pontifex potest in ea re inspici dupliciter: ut est tale elementum seu caput Ecclesiae, adeoque per se infallibilis, et inde fit ut non possint minores praesules ab eius sententia recedere. Et si heic consisteremus, pastores se haberent ad decretum Pontificis uti singuli quique fideles ad idem se habent modo passivo, et ab ipso accipientes infallibilitatem. At vero Pontifex potest considerari etiam uti unum ex elementis Ecclesiae quorum conspirationi promissa est alioquin inerrantia. Et hoc sub aspectu locum habent minores praesules ut veluti infallibiles iudices cum eo conspirent. Neque haec est vana ac futilis argutia. Nam reapse fontes infallibilitatis sunt diversi vel Papa cum Ecclesia, vel se solo Pontifex. Item ipse Pontifex cum suum decretum concilio proponit, non uti caeteris fidelibus ad simplicem obedientiam proponit, sed invitat corpus pastorum ad secum conspirandum in re illa, unde veluti se constituit uti simplex, licet praecipuum Ecclesiae elementum.

Et licet alioqui articulus ille sit irreformabilis, tamen ad novam confirmationem subiicitur tali medio competenti per quod etiamsi non esset, evaderet plenissime irreformabilis. Unde effectus ipsi sunt maxime reales. Nam ante consensum concilii vel Ecclesiae, decretum illud erat infallibile ex sola Pontificis definitione. Postmodum vero certitudo articuli constituitur tum ex dicto capite, tum ex certiori quoad nos principio, scilicet totius Ecclesiae conspiratione.

LECTIO VI

Multiplex expenditur infallibilitatis Ecclesiae obiectum.

Norma eorum ad quae sese potest extendere infallibile Ecclesiae iudicium desumitur ex duobus. 1. Ex fine, num conducat aut secus aliqua definitio ad finem missionis Ecclesiae; sive num pro munere quod gerit prospiciendi saluti hominnm ab ea exigatur. 2. num illud ipsum, quod definiri debeat, habeat fundamentum in verbo Dei scripto vel tradito. Ratio alterius conditionis est quod, ut a principio diximus, Ecclesiae non competit infallibilitas inspirationis, sed simplicis assistentiae, nec cudere dogmata debet, sed evolvere et conservare. Prior autem conditio inde adstruitur, quod caussa adaequata cur Ecclesia instructa fuerit infallibilitate, est bonum fidelium. In iis ergo potest ei concedi talis proprietas, quae vergunt saltem indirecte ad bonum fidelium. Quae autem sunt omnino adiaphora, extra sphaeram infallibilitatis Ecclesiae collocari debent.

Si duplex ista norma prae oculis habeatur, facile est determinare quaenam subiiciantur, aut infallibili Ecclesiae iudicio sint subducenda. Etenim imprimis subditur magisterio Ecclesiae infallibili omnis materia fidei, nimirum quidquid continetur in verbo Dei scripto vel tradito, sive ad statum dogmatis iam sit deductum, seu nondum evolutum. Ratio est quia et continetur in verbo Dei, et interest maxime fidelium ut pro loco et tempore haec edoceantur. Secundo omnis materia morum; videlicet vitia, peccata, virtutes, consilia evangelica, ac quaecumque in genere morum ex verbo Dei diiudicari possunt. Tertio quoad cultum distinguendum est: habet enim Ecclesia infallibilitatem in omni ea parte cultus quae sit fundata in Scripturis aut traditione, uti sunt sacrificium, sacramenta,

etc. quatenus in Scripturis et traditione fundamentum habent. Quidquid vero in cultu comprehendi potest, sed illo non gaudet verbi Dei fundamento, Ecclesiae infallibilitati nequaquam subest.

Ex alterutrius aut utriusque expositae conditionis defectu sequentia praetergrediuntur infallibilitatem Ecclesiae. 1. Doctrina omnis legum, aut quaevis philosophiae studia, et quaecumque mere in scientia naturali continentur, 2. Revelationes omnes factae post tempora Apostolorum, et ea omnia quae per ipsas comperiuntur. Huiusmodi quippe non continentur in verbo Dei : unde licet factae sint sanctis, puta Ambrosio, Cypriano, Catharinae Senensi, Birgittae etc. etiamsi approbatae essent a conciliis generalibus, quemadmodum aliqua referuntur in Nicaeno II, fidei capita constituere non possunt. Sed tantum haberi ipsis potest fides humana, quae penes auctores referentes est, nutans, probabilis, certa aut improbabilis, pro qualitate referentium, et circumstantiis talium revelationum. 3. Fidei nec divinae nec catholicae esse potest quodcumque miraculum patratum post tempora Apostolorum in confirmationem cuiusvis doctrinae quae ex tali miraculo confirmatur. Quamobrem etiamsi talia miracula referantur a ss. Augustino, Gregorio etc. vel probentur in Bullis romanorum Pontificum, vel in conciliis generalibus recitentur et confirmentur, uti de pluribus factum est in Concilio Nicaeno II; non superant humanam fidem, licet ea sit maxima, ac qui negaret temerarius extaret. 4. Apparet quod nequeat unquam erigi in fidei articulum sanctorum *canonizatio*. Quippe, quod hic aut ille pie sancteque se gesserit, miracula ediderit etc. non continetur ullo modo in verbo Dei, et adstruitur ex humanis factis atque testimoniis. Esset tamen admodum temerarium dissentire, tum propter Ecclesiae auctoritatem, tum propter examinis quod instituitur gravitatem etc. 5. Ecclesia non est infallibilis in omni quaestione meri facti ad quodcumque obiectum dirigatur. Ex gr. posset etiam ge-

nerale concilium existimare iustam caussam ad tantam indulgentiam largiendam, quae reapse iusta non sit. Item iustam caussam ad votum solvendum, cum secus habeat. Item ferre in privatos homines, vel aliquam peculiarem ecclesiam excommunicationem, quae ex defectu iustae caussae non sit valida; libri alicuius eum facere auctorem a quo non sit scriptus, declarare quod aliquis catholicus existat, cum reapse sensa catholica animo non foveat, etc. Ratio horum omnium est quia quae recensuimus factis humanis continentur, vel ad legem fidei non referuntur, sed ad legem prudentiae: talia autem in verbo Dei scripto vel tradito inserta esse non possunt.

Quod attinet ad praecepta; Ecclesia non est infallibilis in praeceptis particularibus, qua parte factum humanum involvunt. In his enim semper involvitur syllogismus cuius una praemissa pendet ab humanis factis et testimoniis: conclusio autem, ut scite Canus (1) advertit, semper sequitur partem debiliorem. Sic cum Ecclesia praecipit alicui separationem propter impedimentum dirimens matrimonium; maior est certa de separatione facienda in casu talis impedimenti: at impedimenti existentia potest aliquando esse falsa. In praeceptis generalibus distinguenda sunt praecepta mere dogmatica a disciplinaribus. In dogmaticis nemo non videt vigere omnimodam infallibilitatem. Sic prohibet Ecclesia pluralitatem simultaneam uxorum, dissolutionem vinculi propter adulterium, iterationem baptismi etc. Haec praecepta sunt eo ipso immutabilia, et universos obligant independenter ab acceptatione.

Quoad praecepta disciplinaria, si ea spectentur ex parte fundamenti cui nituntur, sive si attendatur intrinseca eorum aequitas et sanctitas, fieri non potest ut Ecclesia aliquid iubeat quod vitio faveat, aut virtutem laedat. Un-

(1) In loc. theol.

de per se semper bonum est quod praecipitur; et in praecipiendo semper bono Ecclesia est infallibilis. At vero quod hic et nunc conferat ad bonum fidelium ut talis disciplina inducatur vel abrogetur, id ex nullo verbi Dei fonte erui potest: unde hac in parte fidei dogma non habetur. Puta si videretur Ecclesiae abroganda prohibitio carnium in quadragesima, non esset dogma fidei quod res postularet fieri talem abrogationem; licet alioqui temerarium esset de hac re dubitare. Idem dicas de invecta a Tridentino annullatione matrimonii clandestini etc. Quod de praeceptis affirmatum est, dicendum de praxibus. Nam praxes particulares possunt esse erroneae ex errore facti, qui forte admiscetur. Praxes generales vel sunt dogmaticae, uti cultus sanctorum, eucharistiae adoratio etc. et in his viget infallibilitas: vel sunt disciplinares, et necessario bonae sunt pro suo statu theoretico. Non autem attingunt gradum dogmatis quoad ipsarum applicationem et usum: uti Eucharistia data olim pueris cum baptismo; communio sub utraque specie, usus in missa linguae vernaculae, et alia huiusmodi.

Sequuntur *facta dogmatica*, de quibus aliqua in antecessum notitia exhiberi debet. Ianseniani ut eluderent damnationem quinque propositionum quae decerptae erant ex *Augustino* Iansenii, Arnaldo duce, caeperunt distinguere inter *ius* et *factum*. Ius per ipsos erat pravitas illarum propositionum in se inspectarum. Factum vero in eo erat ut illaemet propositiones vere continerentur in opere Iansenii, vereque dici possent ex illo erutae. Age ergo ius ipsi unanimes confessi sunt; ac quinque illas propositiones in se spectatas veluti haereticas proscribere non dubitarunt. At vero factum inficiabantur, contendentes in mente et sensu Iansenii illas propositiones non exhibere id quod per se acceptae praeseferebant. Neque ea in re cogere iudicium Ecclesiae; cum haec non sit infallibilis in factis mere humanis. Hac arte dum abstracta

confessione iuris vago quodam modo cum catholicis sentire viderentur, arbitrati sunt posse se pergere in defensione Iansenii et in disseminatione virulentae doctrinae in eius libro contentae. Eiusmodi Iansenianorum effugium cum vellent catholici praecludere, orta est disputatio num et quatenus Ecclesia posset extendere suam infallibilitatem ad huiuscemodi facta, quale de Iansenio in controversiam vocabatur. Facta haec proterea *dogmatica* appellata sunt, quippe capacia, vel incapacia dogmaticae definitionis; ac generatim inscripta disputatio est de infallibilitate Ecclesiae in *factis dogmaticis*.

His de origine huius controversiae delibatis, paulo uberius rei naturam ex qua tota pendet litis diremptio explicemus. Itaque in alicuius scriptoris opere plura possunt secerni. 1. Ipsa lucubratio, sive ipse lucubrationis actus, num scilicet ille scripserit qui dicitur scripsisse. 2. Subiectiva mens auctoris; nimirum quoad se quem animum habuerit, et num vere voluerit errorem docere, ac intenderit illum sensum quem verba praeseferunt. 3. Mens auctoris obiectiva, scilicet ex parte eorum quae protulerit; quatenus sumpta in contextu, comparata cum locis parallelis, ac caeteris adminiculis interpretationis subiecta, hanc aut illam sententiam potius reddant. Hisce praeiactis, in prima harum quaestionum per nos nullam Ecclesia habet infallibilitatem: quippe, quod Iansenius aut alius hunc librum scripserit qui dicitur Augustinus Iansenii, vere est factum mere humanum cuius iudicium nullimode in verbo Dei continetur. Similiter quod Iansenius hoc vel illo animo quoad se fuerit, vere voluerit errori velificare, ac innovare; et illum reapse suorum verborum sensum intenderit, quem verba exegetice examinata praebent, factum mere humanum et personale est in verbo Dei non contentum; proinde dogmaticae Ecclesiae definitioni haudquaquam obnoxium. Restat mens obiectiva auctoris, scilicet sensus verborum qualis emergit ex contextu, parallelismo,

et caeteris huiusmodi. Id quidem etiam per se obiectum non est definitionis Ecclesiae: quippe per se factum exhibet mere humanum in verbo Dei non contentum, ac per regulas critices et exegeseos determinari potest. Sed tamen asserimus quod indirecte et oblique idipsum subsit infallibili Ecclesiae iudicio, quatenus sit intime cum eo connexum id in quod per se tendit divinum Ecclesiae magisterium. Quemadmodum id concipiendum sit, priusquam demonstretur, paulo accuratius illustremus.

Nemo profecto infícias iverit posse suo iure Ecclesiam iudicare in abstracto de veritate aut falsitate alicuius propositionis, puta num negare in homine lapso libertatem arbitrii sit fidei consonum vel adversetur etc. Hoc quidem nec Ianseniani in dubium vocant, ac si facerent, nullam partem infallibilitatis Ecclesiae adscriberent. Verum ipsi in hoc consistunt, ac statuunt, uti a principio diximus, debere Ecclesiam criticae humanae relinquere factum ipsum quod reapse Iansenii verba negent libertatem; et hoc ex humanis criteriis supposito, posse decernere infallibiliter quod propositio quae neget libertatem, habenda sit haeretica. Nobis id quidem non sufficit, sed praeter abstractam iuris definitionem, illud ipsum factum quod alioquin ex criticae regulis innotescit, Ecclesiae definitione attingi decernimus, licet indirecte, quatenus hoc quoque necessarium est, ut Ecclesia adaequate fungi possit iniuncto sibi munere magisterii. Etenim ut in demonstratione mox fusius dicemus, Ecclesiae non est tantum docere in abstracto fideles quaenam in censu catholicae doctrinae haberi debeant, vel inter haereses sint amandanda; sed etiam in concreto num haec et illa doctrina pabulum salutare sit, vel virulentum. Porro nequit infallibiliter decerni quod haec in individuo doctrina falsa sit atque vitanda, nisi infallibiliter quoque certum sit quod eadem, saltem iuxta sensum obiectivum, in iis verbis contineatur. Si enim hoc falsum esse possit, poterit etiam esse falsum

quod haec in individuo doctrina, seu quae in hoc libro reperitur, sit falsa atque vitanda. Licet igitur ad Ecclesiam per se non spectet sententiam ferre de humano illo facto, spectat tamen ratione nexus qui inter tale factum intercedit et ius doctrinae, quatenus nequit Ecclesia tale ius suo iudicio subiicere, nisi idem extendat ad ipsum factum.

Atque ex his apparet huiuscemodi Ecclesiae definitiones cadere in ius cum facto coniunctum. Unde haec facta, quatenus subsunt Ecclesiae definitioni, *dogmatica* dici consuevere. Eadem vero definiri possunt: *Facta per se mere humana, quae tamen vi nexus cum iure doctrinae, Ecclesiae definitioni obnoxia extant.* Vel, ut aliis placet: *sunt factum a quo determinatur ius*; aut etiam: *ius in facto fundatum.*

Hisce de natura factorum dogmaticorum praeiactis, sic instruimus nostrae assertionis demonstrationem. Si quid obstaret definitioni infallibili factorum dogmaticorum, esset quod ea facta humana sint, in verbo Dei non contenta. Atqui hoc in casu praesenti non obest. Ergo. Maior patet, quia hoc tantum adducitur a Ianscnianis, et hoc solum adduci potest. Nam caeteroquin expedire ad bonum animarum, et contineri in ministerio Ecclesiae, nemo non perspicit. Minorem sic evincimus: Ecclesiae est, utpote iudicis et magistrae, iudicare ac designare ea quae opponantur verbo Dei, sive iis quae in verbo Dei continentur. Sed hoc praestare non posset, si nequiret de illo facto iudicium ferre. Ergo licet illud factum per se sit humanum, potest Ecclesia de eodem decernere. Maior patet. Nam quis neget Ecclesiae illud ius et officium? Ipsa utique in quantum testis, non habet sibi proprium nisi perhibere quae in verbo Dei continentur. At vero inquantum iudex verbi Dei, debet posse iudicare de ipso verbo Dei, deque iis quae ipsimet opponantur. Secus non satis explicabit nec defendet verbum Dei, neque suo muneri

erga fideles satisfaciet. Iam vero quomodo Ecclesia iudicaret de rebus verbo Dei oppositis, nisi posset facta dogmatica determinare? Ut supra diximus, si incertum esset fundamentum, nutaret etiam quod ei superextruitur. Hoc igitur sub aspectu, et hanc ob caussam, tribuenda est Ecclesiae eiusmodi potestas.

Neque vero id derogat principiis superius constitutis. Hoc enim non est de facto mere humano iudicare; sed de facto connexo cum iure divino: de facto quod in se non est ab Ecclesia agnoscibile, sed in alio opposito potest ac debet agnosci. Christus non promisit suam assistentiam pro factis mere humanis: sed extendit tamen ad ea quae sint connexa cum iure divino. Denique non est hoc novum dogma funditus extruere; sed connexionem cum iure decernit; dependentias dogmatis sancit, ne dogma ipsum eludi possit, et Ecclesiae magisterium evadat inutile. (1)

LECTIO VII

Infallibilitatis Ecclesiae exercitium attingitur.

Quaerimus hoc loco quotuplici pacto possit Ecclesia suam exercere dotem infallibilitatis; quibusque ex criteriis illa actu locum habere intelligatur; unde ratio agnoscendae *qualificationis* propositionum colligi poterit. Generalis divisio modi quo Ecclesia suam exercens infallibilitatem, aliquid tenendum de fide, aut reiiciendum exhibet, est

---

(1) Cf. Bolgeni *i fatti dommatici*, vol. 2 in 8; tum in opusc. *l' economia della fede*, vol. un. Brescia 1790 Item Muzzarelli in op. *Il buon uso della logica* opusc. XXIV — Fénélon opp. tom. II *Troisiéme instruction pastorale contenant les preuves de la tradition concernant l'infallibilité de l' eglise touchant les textes dogmatique, au heretiques.*

in propositionem quam facit *explicitam et implicitam*. Propositio explicita habetur in omni decreto concilii oecumenici instructo Pontificis approbatione, vel in omni Pontificis decreto quod Ecclesia acceptaverit; vel denique in symbolis et formali fidei professione qua Ecclesia utitur. Complexus harum sanctionum constituit veluti immediatam et personalem praedicationem explicitam ipsius Ecclesiae. At vero eam cum semel ediderit, non potest omnibus et singulis per se proponere et inculcare. Utitur ergo pluribus sui organis et ministris, qui ipsius nomine illud perficiant. Ministri Ecclesiae nativam habentes ad tale munus destinationem, sunt episcopi seorsim accepti. Ili vero tamquam suis adiutoribus utuntur parochis, archipresbyteris, simplicibus presbyteris, aut ex clero aliis, quos vocant in partem sui ministerii. Utitur insuper Ecclesia doctoribus qui definitiones ab ipsa latas partim explicent, partim argumentis communiant, et ita evolutas fidelibus ac infidelibus proponant. Utitur denique ipsis quibuscumque fidelibus; praesertim vero patribus matribusque familias, per quos novellam prolem Ecclesia nuper ex baptismo receptam educat, et ad potiores instructiones disponit.

In his omnibus principalis agens est Ecclesia, cuius in proponendis fidei articulis reliqui non sunt nisi instrumenta. Ili si suo munere fungi, et perseverare in communione Ecclesiae velint, non suo sed Ecclesiae nomine quod tradunt proponere debent. Qui accipiunt, verbis ministrorum immediate adhaerent, et mediate Ecclesiae. Sed tamen ita verbi ministris fidem adiungunt, ut primario adiungant Ecclesiae. Immo nonnisi hypothetice credunt ministris; nimirum dummodo, ut ministros Ecclesiae agunt, ita revera sint, et illud quod proferunt nomine Ecclesiae, revera eius menti sit conforme.

Hinc sequitur quod fides discentium formaliter nunquam sit falsa, nisi errore circa ministrum laborent vincibili.

Secundo quod fides quae a ministris proponitur, sit subiective in ipsis ministris fallibilis et falsitati obnoxia ; sed obiective infallibilis est, inquantum proponitur uti fides Ecclesiae: unde in discentibus vera fides resultat. Quippe ex dictis non adhaerent ministris ut privati homines sunt, sed ut repraesentant Ecclesiam, et illud intendunt revera credere quod credit Ecclesia. Atque inde explicatur quomodo haeretici et schismatici quandoque veram fidem salvificam habere possint ; ac quemadmodum ipsi haeretici possint quodammodo dici in docendo ministri Ecclesiae. Nam licet in se sint refractarii, se tamen agunt ut verae Ecclesiae ministros ; nomine Ecclesiae loquuntur ; ad assentiendum fidei verae Ecclesiae homines impellunt. Qui vero bona fide eos audiunt, similiter ac catholici, illud intendunt credere, quod credit vera Ecclesia. Hoc autem est, fides salvifica. Ergo sunt capaces fidei salvificae.

Priusquam dimittamus hanc materiam, animadvertere est quod quicumque infra episcopos sunt, non immediate in docendo Ecclesiam repraesentant, sed episcopum cuius adiutores extant. Unde qui ipsis fidem praestant duas involvunt conditiones, si isti cum episcopo vere consentiant; et si episcopus ab Ecclesia non discrepet. Interim tamen habetur vel in hoc unitas magisterii et fidei Ecclesiae, qua per apte connexa et subalterna media doctrina Christi administretur, ita tamen ut eadem media in Ecclesiam tamquam in centrum conspirent ; et rursus Ecclesia in Pontificem supremum tamquam in sui centrum terminetur.

Propositio implicita Ecclesiae habetur in omni eo quod sensum ipsius circa aliquam rem manifestat. Itaque quatenus hunc suum sensum revelat, proponit Ecclesia dogmata per liturgiam, per publicam sacramentorum administrationem, per cultum religiosum, per praxes dogmaticas et disciplinares, per sensibilia omnia obiecta quibus in suis muneribus obeundis utitur; uti templa, altaria, imagines, sepulchra, et quidquid ex Ecclesia est, et in nostros oculos incurrit.

Haec quidem media sunt per quae varie fidem suam proponit Ecclesia. Sed quoniam non semper ac ipsa sive explicite loquitur sive modo implicito, aequalem inducit obligationem assentiendi; videndum restat quibus ex legibus ipsa Ecclesiae propositio sit dimetienda. Imprimis verissimum universim est illud omne et solum de fide catholica habendum esse quod proponitur omnibus ab Ecclesia catholica fide divina credendum. Ratio est quia non potest maior resultare obligatio quam revera inducat Ecclesia. Nisi ergo ea sic proponat, ut velit omnes tamquam fidei articulum suscipere; fides catholica, nempe omnibus tenenda, non resultat. Ex quo generali principio eruitur 1. quod non omne id quod reperitur in traditione constituat fidei articulum; sed ulterius requiritur implicita saltem sanctio et propositio Ecclesiae. Etenim sicuti aliud est Scriptura, aliud articuli propositio quam ex Scriptura Ecclesia eruit; ita aliud est traditio, aliud propositio dogmatis quam inde Ecclesia colligit. Illa se habet uti fundamentum, haec uti id quod fundamento superextruitur.

Sequitur 2. quod nulla consequentia certo licet et evidenter deducta ex aliqua propositione fidei, articulus fidei esse possit. Prob. Quia illa consequentia non est formaliter proposita ab Ecclesia, sed proprio ingenio deducitur. Et licet clare videatur, tamen haec notitia veritatis eiusdem et nexus cum praemissa quae est de fide, non habetur per Ecclesiae propositionem, per organum supernaturale etc. sed per proprii intellectus intuitionem, quod licet det rei evidentiam, non desinit esse organum veritatis naturale et humanum. Ita non proponitur res auctoritative: adeoque non est obligatio acceptandi eam velut divina auctoritate revelatam. Nihilominus in praemissa quam proponit Ecclesia in casu exposito consequentia continetur virtualiter. Unde eadem non erit aliquid *formaliter* de fide, sed tamen erit *virtualiter*. Adverte tamen locutos nos esse de consequentiis formalibus, quae nimirum peu-

dent ex una praemissa de fide et altera naturalis rationis : non vero de consequentiis improprie sic dictis , quae nimirum immediate perspiciuntur in ipsa enunciatione articuli ab Ecclesia traditi , et quas negare sit immediate et proxime ipsam articuli veritatem inficiari, et contradictoriam adstruere.

Sequitur 3. Multo minus esse de fide rationes quas Ecclesia dogmatis a se propositi adducit , dummodo definitio, ut quandoque, licet raro fit, non cadat expresse in ipsum fundamentum, uti cum Tridentinum asseruit Ioann. XX , 23. agi de sacramentali poenitentium absolutione. Idem dicendum de modo dogmatis , nisi expresse definitio modum spectet , quemadmodum respectu praesentiae realis Christi in Eucharistia contigit in articulo transubstantiationis per Tridentinum definito. Immo in ipso obiecto ea proprie pars et ille respectus in fidei dogma erigitur, qui fuit formale intentum et obiectum definitionis. Nam id solum formaliter propositum fuit ab Ecclesia, cum illud solum intenderit. Unde quaerendum diligenter est de scopo et aliis adnexis.

Sequitur 4. Ex capitibus doctrinae quae reperiuntur , praesertim in Tridentino , illa solum esse de fide quae concluduntur inflicto anathemate , quae declarantur esse doctrina catholica, quae aequivalent formaliter canonibus deinde adiectis , et eos praeformant. Generatim quidquid comperitur proponi uti fides catholica : nam solum quod sic proponitur est fidei proposito.

Sequitur 5. Non esse de fide quae in aliqua synodo conciliariter non sint facta , idest more aliorum conciliorum, re diligenter examinata. Non enim praesumi potest voluisse Ecclesiam proponere de fide , id quod ipsa non expenderit, cum sciat se non per inspirationem posse procedere sed per simplicem assistentiam. Unde Martinus V in concilio Constantiensi dixit se confirmare ea tantum quae conciliariter essent facta decreta fidei ; adeoque etiam

ex hoc capite reiicitur decretum sess. IV de praestantia concilii supra Pontificem.

Sequitur 6. in propositione implicita quam praestet Ecclesia, tunc induci obligationem admittendi rem ut articulum fidei, cum, omnibus inspectis, constet ita Ecclesiam rei illiusmodi adhaerere, ut velit haereticum haberi, et a salute extraneum qui secus opinetur. Quare cum sensus Ecclesiae, ex nuper dictis, patefiat per ipsius praxes atque alia huiusmodi, harum ratio habenda est, ut de ipso sensu Ecclesiae certa notitia informari possit.

Ex positis principiis varia resultat qualificatio propositionum. Dantur enim propositiones

haeretica	scandalosa
haeresi proxima	piarum aurium offensiva
haeresim sapiens	falsa
erronea	probabilis
temeraria	dubia

Harum notio ac definitio, inquit Canus, (1) non eadem omnibus, sed sua cuique est propria. Videtur tamen sic adstruenda. Propositio haeretica est propositio in terminis contradictoria alicui definitioni Ecclesiae. Propositio haeresi proxima est illa quae opponitur contradictorie alicui virtualiter, uti diximus, in propositione de fide contentae. Haeresim sapiens est ea quae licet nil aperte enunciet contrarium ei quod formaliter aut virtualiter sit de fide; deprehenditur tamen ad illud alludere, et intimam relationem cum una aut pluribus haereticis propositionibus habere. Propositio erronea est ea quae non opponitur alicui quod virtualiter et proxime in fide continetur, sed quod ex aliqua propositione fidei legitima, licet minus brevi et aperta ratiocinatione deducitur. His respondent ex adverso ea quae dicimus esse ex doctrina catholica. Pro-

(1) Op. cit. lib. XII, cap. X.

positio temeraria accipitur 1. minus proprie de propositione temere seu fortuito prolata; ut sunt illa quae viri quidam pii magis comminiscuntur quam contemplantur. Proprie vero est propositio prolata non contra fidem, sive formalem sive virtualem, sed contra *ecclesiasticae modestiae regulam*, sive contra universalem legem fidei et Scripturarum, ac sensum Ecclesiae, licet non dogmaticum, sine idoneo testimonio aut probabili ratione. Exempla sunt b. Virginem non esse cum corpore in coelum assumptam; Angelos non esse creatos cum mundo corporeo, contra insinuationem concilii Lateranensis sub Innoc. III; etc. Scandalosa generice est omnis erronea: at heic specifice est quae nec fidem impugnat, nec sensum Ecclesiae, sed affert aliquid quod derogare videtur sanctitati et utilitati doctrinae Ecclesiae, quam in se non condemnat; e. g. enumeratio incommodorum auricularis confessionis, quam in Germania oggessit Erasmus: dicere quod aula romana sit tota corrupta: quod clerus per censuras ecclesiasticas populum supplantat, et avaritiam multiplicat; etc.

Propositio piarum aurium offensiva species est scandalosae, quae nimirum non apta nata sit inferre universim scandalum omnibus sensibile, sed iis qui delicatiorem habent saporem et gustum rerum spiritualium, et pietati sunt magis addicti. Propositio falsa est quae adversatur simplici principio vel conclusioni theologicae. Improbabilis quae opponitur conclusioni probabiliter verae. Dubia quae aequali rationum pondere hinc inde suspenditur.

LECTIO VIII

De tertia Ecclesiae, dote, quae est auctoritas, praenotanda.

Quanti momenti sit controversia haec quam suscipimus de auctoritate Ecclesiae, intelliget quisquis animo reputabit ex una parte agi heic de tota potestate liberi regimi-

nis externi quod Ecclesiae concedendum sit, sine quo omnis evolutio virium eius internarum cadit irrita, et nullatenus Ecclesia potest sua missione erga homines fungi; tum vero huic ipsi potestati teterrimum bellum passim toto orbe inferri; ac multas adesse regiones quibus Ecclesia vix non omnimodam servit servitutem. Sed ne longius per remotiores mundi plagas vagemur, notum est in regno nostro ita multos vestigiis Petri Giannone mordicus insistere, ut in hominis huiusce verba omnino iurent, ac cum profano homine velint nihil reliquum Ecclesiae facere, quo sui compos et libera possit consistere.

Cum haec ita habeant, operae pretium ducimus accuratius totam hanc rem de Ecclesiae auctoritate expendere; ac ut disputatio dilucidior evadat, duo in antecessum exponimus: 1. quid ipsi tribuamus Ecclesiae nomine *auctoritatis*. 2. quaenam sit ex adverso sententia *regalistarum*. Monemus autem nos heic agere de iure non de praxi. Scimus enim plures initas esse a s. Sede cum principibus saecularibus conventiones, quas ipsi tuta conscientia servant; praesertim cum in iis ipsis praestandis non tam legislatores referant quam executores et instrumenta s. Sedis, quae eorum opera utitur. Itaque eo liberius loqui possumus, quo nostra disputatio nihil attingit principum facta, sed solum ius a quo certe ipsi se servant extraneos.

Ad 1. quod attinet, revocamus in mentem Ecclesiam ex nativa sua constitutione esse societatem visibilem. Quid porro exigit visibilis societas? Profecto ut per auctoritatem legitime in ipsa constitutam instituantur et administrentur externae relationes sociorum quotquot in eius ordine dari possunt. Nisi in visibili societate id per auctoritatem praestetur, impossibile est, ut ordo vigeat, ut per externam communicationem socii omnes unum corpus morale conflent, ut ipsa visibilis societas stabilis consistat. Si igitur in omni societate exigitur institutio et administratio isthaec externarum relationum; pari iure require-

tur in Ecclesia, inquantum est ipsa quoque societas adspectabilis. Porro in omni societate illa constitutio, et administratio relationum dicitur externum regimen, sive exerna *politia*. Similiter igitur erit de Ecclesia. Quo posito, iam constare potest quid intelligimus nomine auctoritatis Ecclesiae; nimirum potestatem sive sanciendi, sive conservandi externum regimen ipsius Ecclesiae; quod ex dictis non est aliud nisi iùs determinandi et custodiendi extrinsecas relationes in iis qui efformant corpus visibile Ecclesiae. Hinc licet inferre quae et quot includat, nostra sententia, illiusmodi potestas. Complectitur enim illa omnia quae involvunt hasce duas conditiones 1. ut sint externa aliqua relatio inducenda vel conservanda in corpore Ecclesiae et membris eius: 2. ut sint relatio corporis Ecclesiae inquantum tale est; proindeque relatio spiritualis, vel quae ad spiritualem revocetur. Atque in his omnibus non legislativa solum, sed et coactiva potestate gaudet Ecclesia, quemadmodum suo loco paulo post uberius exponemus.

Adversarii proficiscuntur ex principio opposito ei quod nuperrime énuntiavimus: non concipiunt ipsi Ecclesiam veluti societatem per se consistentem, sed veluti modificationem et dependentiam reipublicae civilis, seu ut meram affectionem eorum qui in civili societate antecedenter extant. Hinc ut alias adnotatum fuit, deduxere protestantes eius esse religionem cuius est regnum, ne scilicet, ut aiunt, status in statu extet; omnem exteriorem disciplinam iure sibi principes laicos arrogare, salva fidei et religionis substantia; etc. Haec principia magis evoluta sunt post Pfaffium et Boehmerum contendentes ad omnem coetum christianum compositum ex ecclesiasticis et laicis spectare potestatem sanciendi leges disciplinares. Protestantium vestigiis institere Ellies Dupinius, nosterque Giannone, ac generatim aulici regalistae. Hi quidem expresse non dixere deberi laicis principibus ius in sacra. Attamen

adstruxerunt Ecclesiae non competere ullam proprie dictam iurisdictionem extra doctrinam et sacramenta, nec ullum territorium. Itaque ipsorum iudicio partes Ecclesiae sunt dumtaxat doctrinam fidei morumque proponere, ac ministrare sacramenta. Alienum vero ab eadem est sancire leges ad haec ipsa promovenda; sed eadem duplici via poterunt obtineri: ex parte Ecclesiae per persuasionem, preces ad Deum, lacrymas etc. ex parte principum saecularium, qui ut civili societati dominantur, ita cives subiicient latis legibus et disciplinae, quae servari debent, prout ipsis expedire videatur, habita ratione ad exigentiam status civilis.

In eandem sententiam synodus Pistoriensis prop. IV. ex damnatis in Bulla *Auctorem fidei*, affirmat: *Abusum fore auctoritatis Ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per eam exigendo id quod pendet a persuasione et a corde; tum etiam multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis.* Atque ex his principiis fluit omnis adversariorum practica applicatio contra festos dies, publicas conciones, tribunalia inquisitionis, pia legata, redditus ecclesiasticos. Haec enim habent pro totidem abusibus a civili potestate eradicandis. Temperatiores decernunt requiri saltem *placitum regium* ad valorem et executionem legum Ecclesiae, ne forte collidantur cum iuribus imperii.

Vides disputationis campum esse amplissimum. Ut tamen brevitati consulamus, ad tria capita universa redigimus. I. De ipso principio adstruendo solliciti decernemus quinam sit status Ecclesiae respectu civilis societatis, num sit distinctus vel indistinctus; pendens aut independens; antecedens vel consequens, aut concomitans etc. II. Posito quod sit distinctus; num revera, inspecta eius natura, ipsi competat habere illam omnem auctoritatem quam nuper innuimus. III. An ei competat eadem pollere, ra-

tione etiam habita civilis societatis, an ex huius iuribus iura Ecclesiae elidantur. Quod ad primum attinet, quemadmodum superius innuimus, mens protestantium et aulicorum regalistarum haec est, quod Ecclesia quaedam respublica non sit, neque in Ecclesia ullum statum agnoscere liceat distinctum ab eo quem exhibet satus civilis. Est vero iuxta ipsos Ecclesia merum collegium, quod scilicet mente colligitur, habito respectu ad professionem communem doctrinae Christi cui omnes adhaerent. Hinc sicuti ii omnes qui aliquam artem aut scientiam in ipsa politica societate profitentur, non novam constituunt rempublicam, sed merum collegium; ita philosophantur de Ecclesia. Et sicuti collegiis mathematicorum aut physicorum etc. non alia competit auctoritas quam docendi et persuadendi, nullatenus autem civile regimen et vera iurisdictio; ita nullae sunt partes Ecclesiae nisi docendi et admonendi, non autem imperandi aut puniendi. Ita post Marsilium Patavinum et Ioan. Iandunum, quos proscripsit Ioannes XXII, Iustus Henningius Boehemerus, aliique eiusdem notae protestantes decernunt.

Nos ex adverso rem sic concipimus, quod deinde erit demonstrandum. Cives cuiuscumque politicae societatis in propria identitate personali inspici possunt sub duplici respectu. 1. Inquantum sunt humana individua, et hoc sub respectu efformant civilem societatem. Haec enim ex hominibus coalescit, qui naturaliter ordinantur ad ineundam societatem, ad quam porro in particulari ab aliquo facto determinantur. At vero iidem cives possunt secundo inspici in quantum sunt christiani; et sub hoc respectu iuxta nos iidem cives efformant societatem quae ecclesiastica audit. Quippe Christus, inquantum ad se pertinerent, non dimisit homines statui solitario, sed in veri nominis societatem, ut ex prima sectione patet, adunatos voluit, unde et veri nominis principatum in ipsa instituit.

Ex his fluit primo quod nostra sententia non inducamus

duos status, duasque societates aut respublicas separatas, sed tantum distinctas. Ratio est quia non sunt alii homines qui efforment civilem rempublicam, et alii in ipsa hac republica qui conflent Ecclesiam; neque scindi debet persona civium, ut utriusque societatis se membra constituant. Quia ergo distributio non est secundum subiecti substantiam, sed secundum solum respectum diversum cuius est capax, possunt resultare distinctae tantum societates et impermixtae, non autem separatae: secus deberet scindi et separari ipsa subiecti substantia.

Secundo simili ratione per nos non adstruuntur duo principatus separati, sed tantum distincti. Nam una est massa hominum ex quibus nonnulli ut homines et socii politici inspecti aliis praesident in civilibus; alii vero inspecti non uti cives, sed uti christifideles, hoc habent peculiare ut caeteris praesint.

Tertio consequitur quod in nostra sententia nullatenus habeamus, uti perpetuo heterodoxi obiiciunt, *statum in statu*, saltem in sensu adversariorum. Si enim sensus illius effati sit quod in una humana congregatione detur locus duplici statui ac reipublicae distinctae et non separatae, id ex dictis nullum habet incommodum; cum sint diversi ordinis, diversa obiecta spectent, diversa habeant media, et quae se invicem non elidant. Si vero sensus sit haberi per nostram hypothesim duos status separatos, quasi in unum antecedenter vigentem alius, introductis aliis subiectis, intrusus sit, uti fieret e. g. si Galli, aliive huc adventarent et erigerent aliud regimen in medio regiminis neapolitani; hoc utique absurdum est: sed nos non attingit, cum id ex dictis non habeatur in nostra theoria.

Quarto consequitur quod novus iste Ecclesiae status nullatenus laedat statum politicum; neque eius principatum. Ex dictis enim status Ecclesiae habetur per hoc quod illi ipsi homines qui caeteroquin ut homines componunt civilem societatem, praeterea considerentur uti christiani, et

sub hoc aspectu alia in ipsis alterius ordinis respublica deprehendatur. At per hoc non desinunt aequo ut ante modo considerari ut homines, et civilem sive societatem sive auctoritatem constituere; et illis omnibus iuribus frui quae enascuntur ex eo respectu hominum in societate positorum, sive ut imperantium sive ut obtemperantium. Quamobrem per hoc quod civili societati sit ecclesiastica adiuncta, utique civium uti talium et principum iura non sunt aucta; sed neque fuerunt imminuta. Sane percense ea omnia quae socialis politica auctoritas possit facere antecedenter ad coexistentiam in ea societatis ecclesiasticae. Eadem ad unguem reperies posse ab ea praestari, supposita illa coexistentia.

Quinto decernitur an respublica christiana politicae superveniat, et ei quodammodo inseratur, vel vice versa. Si enim sermo sit de iure, sive si in abstracto res spectetur, semper respublica civilis supervenit christianae. Nam omnis politica societas nasci debet et constitui, ex ipso iure naturae, in vera religione. Vera autem religio quoad substantiam identificata est semper cum religione et Ecclesia christiana. Ergo hoc ipso quod omnis politica societas nasci debuit in vera religione, nasci debuit in Ecclesia. Et si revera non nata est in Ecclesia, et prius homines fuere cives quam christiani, hoc arguit defectum facti ex culpa hominum, non autem defectum iuris iuxta quod debuisset unaquaeque respublica in vera religione oriri. Si autem attendatur factum, fieri potest ut praecedat civilis respublica; sicut ethnarchia gentilium praecessit societatem christianam in omnibus populis ad fidem conversis. Fieri etiam potest contrarium, si aliqua christianorum colonia aliquo deducatur, et ibi politicam societatem constituat.

Atque haec conceptum quem informamus status Ecclesiae in ordine ad civilem societatem in aperto collocant. Verum rem ita reapse habere uti proposuimus, nondum

est ostensum. Demonstratio continetur hoc argumento. Ecclesia est status distinctus a statu civili et non simplex collegium, si Christus illam relationem quam habent homines uti christiani, solitariam non dimisit, sed evectam voluit ad statum verae societatis, et veri, ex parte quorundam, principatus. Atqui ita se res habet. Ergo. Maior illustratur. Adverte igitur nos repetere rem huiusmodi non ex aliquo iure intrinseco, quo religio et Ecclesia debeat esse non collegium, sed status distinctus; verum ex positiva Christi voluntate; quae caeteroquin si vere stat, nemo potest contradicere. Itaque diximus: est Ecclesia status, si Christus voluit ut homines quatenus christiani essent, verum statum efformarent. Iam vero Christum id voluisse dubitari non potest, hoc ipso quod iuxta alias disputata Ecclesiam suam in formam verae visibilis societatis condidit; omnesque societatis partes et omnia attributa, maximeque sacrum veri nominis principatum, a laicis distinctum concessit. Ergo.

Sed ut plenius tota haec res intelligatur, meminerimus hominem natura sua religiosum esse, adeoque in quocumque statu concipiatur, semper in seipso gerere intrinsecam habitudinem ad cultum quem Deo praestet, cum inter caetera ad quae iure naturae adigitur, illud maxime emineat, ut Deum iuxta ac eidem placeat, colat. Verum isthaec habitudo ab ortu humani generis evecta non fuerat eo ut inde resultaret status distinctus a statu politico per constitutionem distincti principatus erga res temporales, et sacra. Fieri ergo debuit ut ille ipse princeps cuius officium esset urgere executionem reliquorum iurium naturalium in sociis, deberet et ei consulere, quod ad cultum refertur. Unde et patresfamilias et reges reperimus tum principes extitisse, tum sacerdotes. In lege mosaica per positivam Dei institutionem plurimum accessit illa relatio ad formam status et distincti principatus. Nam institutum fuit sacerdotium Aaronicum, cui nulli praeter Aa-

ronidas poterant participare , ac praeformata est synagoga et synedrium, per quod res sacrae ut plurimum administrabantur. Verum rex non omnino, postquam creari caepit , excludebatur: Nam licet non posset communicare sacro ministerio, neque sibi adscribere sacerdotium, unde poena multatus est Iosias quod voluerit thus Deo adolere ; nihilominus quod ad ipsa spectaret decreta de religione edenda , rex et sacerdotes unum efformabant veluti commune consilium et supremam auctoritatem. Per Christum res Ecclesiae supremam perfectionem nactae sunt. Ecclesia Christi summum gradum spiritualitatis obtinet : ideo Christus voluit ut nihil commune haberet cum societate politica terrena. Christus Ecclesiae institutor sibi substituit Ecclesiam ad repraesentandam iugiter suam personam. Ut ergo ipsius persona , tum in se , tum quatenus Ecclesiae fundator , neque iure neque facto ullo modo pendebat a principibus saeculi , sic voluit esse Ecclesiam. Itaque et societatem per se illam constituit , et principatum ei largitus est omnino distinctum , quem nullatenus laicae potestates attrectare possent. Neque per hoc , uti superius innuimus , ulli principum iuri derogasse dicendus est. Ius enim principis et officium ex ipso naturae dictamine hoc maxime est , ut subditos contineat in exercitio verae religionis qualis et quomodo a Deo fuerit constituta. Ergo quando nullus alius a Deo magistratus datus fuerat qui praeesset sacris , ne haec sine rectore relinquerentur , extendebatur principis munus ad curanda ipsa immediate sacra , vel ad constituendos ministros qui id facerent. Et sic principatus induebat formam sacerdotii. Neque enim haec revera princeps agebat uti potestas laica , sed sacerdotalis. Subinducta a Christo ecclesiastica distincta hierarchia ; principis officium est curare ut subditi verae religioni subserviant , quemadmodum a Deo est constituta. Est autem constituta sic ut omnia pendeant a sacro principatu. Ergo debet curare princeps ut omnes iura ta-

lis principatus sancte custodiant. Quamobrem non competit principibus aliud ius in sacra quam protectionis et tutelae, quod quidem ipsi ultro admittimus.

LECTIO IX

Ex adstructa conditione status Ecclesiae, iura externi regiminis quae eidem competunt, inferuntur, et cum iuribus civilis societatis conciliantur.

Si, uti demonstratum hactenus fuit, Ecclesia est verus visibilis status, et vera adspectabilis respublica, distincta planeque independens a republica et statu civili, debent in suo ordine eidem competere ad tuendum suum esse visibilis reipublicae, omnia illa iura quae respective sunt propria cuiuscumque humanae societatis, ut proprium esse conservet. Quaenam enim ratio est cur caeteris societatibus iura illiusmodi debeantur? Profecto quia societates sunt adspectabiles, et suum externum corpus conservare debent. Sed haec ratio militat etiam pro Ecclesia. Ergo.

Age ergo recolamus quaenam sint iura cuiuscumque humanae societatis, ut ea in Ecclesiam transferri possint. Revocantur illa ex doctrina publicistarum praecipue ad quatuor. Sunt enim ius *constituens*, *deliberativum*, *legislativum atque executivum*. Ius constituens est potestas disponendi et *organizandi* partes corporis socialis sic ut eius natura ac finis requirit. Quo fit ut ordo abstractus in idea fundatoris vel institutionis contentus, efficiatur concretus, et in corpore externo societatis exprimatur. Ius deliberativum est potestas cognoscendi statum actualem reipublicae, finem socialem, num eo tendatur, quo par est tendere; media theoretica et practica ad eundem assequendum. Ius legislativum est potestas iubendi leges iustas, utiles, ac convenientes corpori reipublicae, adeoque quotquot ad huius bonum requiruntur. Ius executi-

vum est auctoritas applicandi individuis in concreto generales iuris constitutiones.

Haec iura cum vigeant in quavis externa societate, ex instituta ratiocinatione rite suo modo et in Ecclesia agnosci debent. Constitutio essentialis Ecclesiae a Christo est, et mutari non potest. Sed tamen competit Ecclesiae *ius constituens* quoad omnimodam organizationem corporis fidelium. Et quoniam prima organizatio consistit in constitutione legitimorum praesidum, qui regant partem passivam societatis; hinc praecipuum ius Ecclesiae est ut canonice eligat atque instituat membra omnia ecclesiasticae hierarchiae a primo eius capite usque ad infimum ministrum, quoniam omnes concurrunt ad organizationem corporis Ecclesiae. Atque consentanee huic doctrinae scribebat ad Titum Apostolus (Tit. I, 5) *Huius rei gratia reliqui te Cretae, ut constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Ipsimet vero Apostoli v rios, ut ex ipsa Scriptura liquet, ordinarunt episcopos, ac septem primos diaconos. Denique nunquam non tale ius ab Ecclesia fuisse exercitum, historica monumenta apertissime produnt. Affinis institutioni est creatio, cum expedire videatur, novorum magistratuum; ut semper item Ecclesia praestitit, quae paulatim induxit omnes illas dignitates quae dici solent iuris ecclesiastici, uti patriarcharum, archiepiscoporum, chorepiscoporum, parochorum, et aliorum huiusmodi.

Secundo facit ad ius constituens institutio et partitio episcopatuum, vicariatuum, paraeciarum etc. Per haec enim apte distribuitur tum hierarchia, tum corpus Ecclesiae, et pastores gregibus, gregesque pastoribus idonee assignantur. Quamobrem videmus ab ipsis Apostolis distributas episcopis provincias; unde Timotheus Ephesinae, Titus Cretensi exclusive praefecti sunt ecclesiae; et (Apoc. cap. II) nominantur angeli variarum ecclesiarum, idest episcopi.

Tertio pertinet ad ius constituens comparare corpori christianae reipublicae maximam unitatem, seu unius com-

munionis concordiam. Id enim est per quod proxime unum corpus sociale habetur; ac frustra organizarentur partes, nisi haec socialis unitas obtineretur. Itaque per hanc potestatem debet Ecclesia prospicere ut pars subiecta pastoribus apte subordinetur, atque hi ad illam accommode se habeant; ac generatim schismatis omnimoda tollatur occasio: item media positiva conferre debet Ecclesia per quae mutua inter christianos pax et concordia servetur et iugiter augeatur. Ita Apostoli cum viderent ortum murmur graecorum adversus hebraeos, quod despicerentur viduae eorum in ministerio quotidiano, (Act. VI) in schismatis remedium elegerunt septem diaconos. Et Paulus schisma composuit apud Corinthios profectum ex persona baptizantium. Et rursus Apostoli in concilio hierosolymitano occurrerunt schismati quod fovebat quaestio de ritibus mosaicis etc.

Quarto pertinet ad ius constituens institutio et coordinatio recta tribunalium ecclesiasticorum, et formae iudicii etc. Non enim sufficit positiva concordiae media adhibere, nisi occurratur per opportunum tribunal dissidiis quae pacem possint labefactare.

Iuxta ius *deliberativum*, cum hoc sit auctoritas cognoscendi de statu reipublicae, de fine atque mediis; potest et debet Ecclesia imprimis cognoscere de statu tum totius reipublicae christianae, tum particularium dioeceseon, tum variarum institutionum spiritualium, quae in ipsis forte reperiantur. Sic Paulus cognovit de statu ecclesiae Corinthiorum, quod schisma induceret in participatione Eucharistiae: de ecclesia Galatarum, quod ad iudaismum inclinaret; etc. Atque hinc emergit ius visitationis quoad episcopos propriarum dioeceseon; et ius in Pontifice supremo mittendi quocumque legatos ad eumdem scopum. Idem dicas de fine, sive actuali ad ipsum societatis tendentia, deque mediis theoreticis et practicis. Paulus e. g. Corinthiis normam dedit servandam in usu charismatum in ordine ad finem quem in eo spectare esset.

Docuit num et quatenus vesci possent christiani idolothytis, quod ad media et practicas operationes attinet; quantum tribui oporteret virginitati; quomodo mulieres se habere deberent in templo; qui regendus usus matrimonii, et amor coniugalis; etc: generatim autem Corinthiis dixit: *caetera cum venero disponam*. Similiter igitur Ecclesiae est dignoscere tendentiam christianae reipublicae ad finem sibi constitutum; et quaenam pro loco et tempore sint adhibenda media; quae praxes sive in cultu, sive in caeteris servandae, quae forte abolendae, et quidquid in genere constituit practicam actionum normam, quam homines sequi debeant inquantum christiani. Revera Ecclesia e. g. tempore Novatianorum poenas canonicas pro illius aetatis conditione valde intendit; postmodum nonnihil relaxavit; confessionem publicam alias frequentavit, quam postea abolevit; etc. Per haec ergo tribuenda est Ecclesiae omnis practica et theoretica morum norma; et iudicium authenticum omnis controversiae, quae circa morum praxim et regulam cultus oriri possit.

Ius Ecclesiae *legislativum* vagatur per illa omnia quae in bonum corporis christianae reipublicae in ordine spirituali cedere possunt. Unde extenditur ad omnes externas relationes quarum est capax ipsum sociale corpus. Hinc leges de cultu, et quae in omnibus suis membris et affectionibus ecclesiasticam hierarchiam respiciant, ac demum quae christianorum relationes ad semetipsos et alios temperant. Sic Apostoli legem edidere de abstinendo a sanguine et suffocatis. Paulus ad Timotheum et Titum arcet neophytos et bigamos ab ordinationibus sacris; etc. Leges hae debent esse non iustae solum, sed etiam ex obiecto spirituales. Unde aiebat Christus (Lucae XII, 14) *Quis me constituit iudicem inter vos*. Utiles bono Ecclesiae; unde inquit Paulus (II Cor. XIII, 10) *Non enim data est mihi potestas in destructionem, sed in aedificationem*; etc. Denique convenientes, h. e. practice conformes

actuali conditioni eorum qui in societate versantur.

Ius *executivum* ex dictis est auctoritas applicandi individuis in concreto leges universales. Quia vero leges respiciunt sive res sive personas; hinc datur auctoritas applicandi leges ad res et ad personas. Prima specifice dici potest ius *administrativum*; altera ius *gubernativum*. Item executioni potest obsistere aut ius quod opponatur, aut vis, seu realis inobedientia ac resistentia. Hinc duo alia enascuntur iura subalterna *iudiciarium* et *coactivum*.

Haec omnia quadrant Ecclesiae. Nam ipsa exercet ius gubernativum, quatenus per suos ministros legitime institutos ubique locorum singulis applicat normas fidei, et ut iuxta eas vivant, assidue urget. Exercet item ius administrativum, quatenus bona communia Ecclesiae ubivis locorum opportune administrentur, puta praedicatio et sacramenta; immo ut thesaurus bonorum operum iugiter in huius reipublicae corpore augeatur. Huc pertinent largitio indulgentiarum; reciprocatio communionis sanctorum, suffragia pro defunctis, publicae preces, aut poenitentiae quae iubeantur; etc. Similiter ut bona omnia temporalia quae possidentur ab hominibus, inquantum sunt christiani, sancte distribuantur et adhibeantur. Quare satagit de piis legatis et institutionibus, de missarum stipendiis, de redditibus ecclesiarum, de beneficiis sive liberis sive curatis; etc. quae proinde omnia nonnisi Ecclesiae ipsius iurisdictioni subsunt.

Ius Ecclesiae *iudiciarium* versatur in omnibus controstroversiis circa res et personas, quae ex parte privatorum oriuntur. Itaque ipsius est e. g. cognoscere caussas matrimoniales, quatenus spiritualem respectum includunt; lites de beneficiis, aut piis legatis et institutionibus dirimere; dioècesanorum ac capitulorum querelas adversus episcopos excipere, et reliqua omnia quaecumque in iure canonico de iudiciis recenseutur.

Quod attinet ad ius *coactivum*, resistentia potest oriri

vel a catholicis, vel a schismaticis et haereticis, vel ab infidelibus. Ecclesia in primos et alteros veram habet iurisdictionem; unde poenis multare eos potest. Infidelibus ex defectu iurisdictionis actualis nequit alia impendere media quam persuasionis; nisi forte ad propulsandam vexationem graviora essent adhibenda. Cum de catholicis agitur atque haereticis delictum ipsorum est utique spiritualis ordinis, secus non referretur ad Ecclesiam: sed tamen totus homo puniri potest, non tantum eius anima. Unde poenae ab Ecclesia profectae possunt esse tum spirituales, tum temporales. Et sane incestuosum Corinthium Apostolus tum excommunicationi subiecit, tum carnis afflictationi. (1)

Ecclesiam igitur quatuor descriptis iuribus natura sua gaudere, ex dictis est evidentissimum. At vero, ut a principio innuimus, quaerendum superest, num eadem iura integra constent si comparentur cum iuribus potestatis laicae; et quemadmodum invicem utraque conciliari et componi possint. Atque ut in antecessum difficultas ex omni parte perspiciatur, ea potissimum oritur ex identitate subiecti quod utrique subest potestati; atque ex identitate materiae quae utrique subiacet imperio. Ex hoc fonte videtur perpetua collisio progenerari posse inter civilem rempublicam et Ecclesiam. Nam verum quidem est diversos esse respectus quibus una et altera potestas hominibus dominatur; ac universim valet illud (Marc. XII, 17): *reddite quae sunt Caesaris Caesari; et quae Dei Deo;*

---

(1) Cf. de his omnibus Muzzarelli: *Il buon uso della logica*. Opus. V. *disciplina ecclesiastica*. Praeterea Zaccaria in op. cui tit. *Comandi chi può, ubbidisca chi deve; o sia dissertaz. III della forza obligatoria dell' ecclesiastica disciplina*. — Item: *Lasciamo star le cose come stanno; o sia dissert. I sulla mutabilità poco intesa da' più della disciplina ecclesiastica*. — *Rendete a Cesare ciò che è di Cesare, ma sì a Dio rendete quel che è di Dio; o sia dissert. II sulla podestà regolatrice della disciplina.*

Sed tamen ob subiecti et materiae identitatem politica societas potest legibus perstringere illas ipsas actiones aut res, quas alioquin alio dirigit respublica sacra; et sic continget mutuo impediri. Ut in concreto loquamur, prima collisio haberi videtur quoad ius in personas. Nam e. g. potest Ecclesia christianis omnibus aditum ad clericatum et ordines vel monasticam disciplinam patefacere. Simul vero posset societas politica classes nonnullas hominum excipere, ut tempore Gregorii Magni Mauritius excepit milites; quia scilicet uti cives existimavit reipublicae necessarios. Item Marcianus excepit quosdam publicis certis muneribus occupatos; etc. Similiter Ecclesia eximit clericos a publicis officiis, utpote sacris addictos. At vero princeps cur non possit uti cives iisdem subiicere? etc. Secunda collisio exhibetur in actionibus sociorum. Fac enim Ecclesiam in aliqua regione ob spirituale bonum prohibeat aliqua matrimonia mixta. Nonne propter bonum sociale, quod expediat paci publicae, opulentiae aut multiplicationi sociorum, potestas politica poterit eadem sive inhibere, sive permittere? Si ut christianis Ecclesia quosdam festos dies imponat, nonne ut civibus imperium politicum poterit consuetum laboris pensum indicere, ne commercium retardetur, aut ob alia publica emolumenta? Tertio, quod attinet ad res sive facultates, si inquantum Deo dicatae ad Ecclesiae dominium et administrationem referuntur; inquantum tamen antecedenter sunt bona civium, et publicae civili utilitati subserviunt, cur non possit politica respublica impedire alienationem illorum bonorum, ne Ecclesiae donentur, vel certis legibus moderari? Item per hoc quod sint Ecclesiae dicatae, non potuit humana respublica privari iure quod in ea habet uti bona materialia et opes civium, qui sibi sunt subiecti. Igitur ipsa administratio horum bonorum est communis imperio politico; ac tunc tantum non foret, cum Ecclesia ex se haberet bona temporalia, et ex sua penu depromeret; non

autem si quidquid habet ex societate politica ad se transtulit. Quarto eadem est de locis ratio. Si enim locus aliquis utpote sacer censeri debeat immunis; utpote pars politici territorii principi plane erit subiectus. Unde hic poterit impedire erectionem templi vel monasterii ; tamquam in proprio territorio reos comprehendere ; etc. Quinto si delicta, utpote ab ecclesiasticis patrata, obnoxia sunt foro Ecclesiae ; utpote item cives sunt qui patrarunt, et publicum ordinem violarunt, foro saeculari videntur addicendi. Denique si multa potest Ecclesia in quavis republica ob spirituale bonum quod curare debet ; incumbit item principi dispicere , ne ex malitia aut oscitantia per Ecclesiae sanctiones publica tranquillitas perturbetur, aut propria securitas periclitetur. Sic si Ecclesia dat alicui dioecesi episcopum , cavere debet princeps ne sit infensus suo dominio , vel malus civis , vel proditor. In quibus casibus cur non possit eundem excludere ? Idem dic de aliis dispositionibus personalibus aut realibus quae ab Ecclesia proficiscantur.

Respondeo ex recensitis repugnantiis nonnullas praeseferre collisionem tantum *negativam* , alias *positivam* : unde duplex solutio. Collisionem negativam voco simplicem concursum iurium in idem subiectum , licet sub diverso respectu ; puta ut quibus ad clericatum vel monachatum Ecclesia aditum offerat, praecludat imperium; quos dies Ecclesia festos faciat , sibi princeps laicus reservare velit ; etc. Compositio collisionis huius generis pendet ex principio superioritatis status Ecclesiae supra statum civilem. Quo fit ut in tali concursu iurium debeat status politicus inferior cedere et dare locum exercitio iuris Ecclesiae ; tum quod nobilioris sit ordinis , tum quod refundatur in bonum ipsius reipublicae civilis. Quod Ecclesia sit status nobilioris ordinis prae statu civili , confitentur ipsi adversarii , quos inter Giannone ait : non posse id inficiari nisi eum qui dixerit animam non esse praestantio-

rem corpore. Ergo sequitur quod libenter se debeat politica auctoritas cohibere, quando videat subiectum suae iurisdictionis incompatibili ratione impediri per Ecclesiam ab eo quod ipsa posset iniungere. Hoc vero non facit contra propriam naturam, vel cum proprio detrimento. Nam maxime consentaneum est politicae auctoritati, ut societatem humanam ordinet ad bonum spirituale, et ei faciat subservire. Bonum etiam spirituale est ultima perfectio ac supremus terminus bonorum temporalium. Itemque eo plus ordinatur et consolidatur bonum temporale, quo melius se habet inter cives bonum spirituale. Quaque versus ergo res spectetur, ipso naturae iure constat haec cessionis obligatio. Nihilominus Ecclesia debet hac in re prudenter se gerere; ipsique principes, siquid negotium facessit, possunt summo Pontifici exponere, qui ut experientia liquet, in omnibus quae liceant, facilem se principibus exhibebit. Hinc solvuntur omnes casus propositi quoad personas et actiones.

Quod ad res attinet, tollitur negativa collisio ex hoc principio quod societas humana habeat in bona sociorum dominium sive administrationem *politicam non civicam*; hoc est, potest ordinare possessiones privatorum ad bonum publicum et dirigere, non vero pro lubito absumere, quasi sint ipsius possessio. Privati autem habent dominium civicum quo possunt uti libet rem absumere, licet non habeant politicum, proinde subsint directioni publicae auctoritatis in eo ipso quod possident. E. g. agri dominus potest de agro disponere uti placet; sed si publica auctoritas vetuerit plantationem aliquorum olerum etc. ob communem valetudinem; debet obtemperare. Hoc posito, privati iuxta dominium civicum possunt Ecclesiae donare quidquid volunt, sicut possent alio quovis modo absumere, vel donare mimis, histrionibus; etc.; et in hoc nequeunt a quoquam impediri. Unde vere transfertur dominium in Ecclesiam, quo haec a nemine orbari potest. Sed

ea re nullatenus laeditur dominium politicum, quod habebat status laicus in illa bona. Idem enim retinet in eadem translata in Ecclesiam, sicuti si donata fuissent individuo cuicumque eiusdem regni. Quare etiam ecclesiastici e. g. non possent serere olus prohibitum; nisi nominatim ex positiva principis concessione eximerentur. Unde sequitur quod immunitas realis Ecclesiae sit ex una parte iuris naturalis, ex alia positivi. Est naturalis prout pendet a libera translatione dominii civici: est vero positiva prout subducitur possessio a dominio politico.

Collisio negativa in immunitate personarum et locorum evanescit, si animadvertamus ex una parte potissimum praesidium status politici esse religionem; hanc vero sine cultu externo, adeoque absque sacris ministris ac locis Deo dicatis non posse subsistere. Ex alia parte non posse sacros ministros conservare apud vulgus suam dignitatem, si traducantur ad tribunalia laica, et a laicis iudicari debeant, eorumque delicta coram populo exequantur. Item loca sacra nequeunt sibi debitam venerationem conciliare, si pro arbitrio possint in usus profanos converti, si *arresta* in ipsis permittantur; etc. Cum igitur permagni intersit ipsius societatis politicae religio, et haec personalem et localem immunitatem exquirat, conducit ad ipsum bonum societatis, ut nullum ius sibi in tales personas, et loca tribuat, licet aliquod forte haberet, si tales personae, ac illa loca in abstracto spectarentur.

Facilis est etiam ad postrema responsio, quae videntur constituere collisionem positivam, in eo sitam ut societas ecclesiastica, nisi coerceatur, possit perniciem procreare societati politicae. Sed si formido huius collisionis daret ius iniiciendi vincula Ecclesiae; a fortiori eadem societati politicae iniici deberent, ne forte haec possumdaret bonum spirituale. Quid ergo dicerent politici, si nobis id arrogare vellemus? Reponerent hos esse casus raros et incidentes qui proinde legem inducere non debent, neque

permixtionem omnium iurium exposcere ; quod quidem maius malum esset quam quaevis incidens ordinis perturbatio. Adderent non deesse alia media sive ad praecavenda , sive ad reparanda incommoda , puta expostulationis et recursus apud auctoritatem perturbatori superiorem. Denique dicerent absonum esse in rebus humanis talem institutionem quaerere quae nullis incommodis tum in se , tum in privatis individuis quibus applicatur , sit obnoxia ; etc.

Admittimus haec omnia et rata habemus. Sed si locum obtinent pro societate politica contra ecclesiasticam, quanto magis valebunt pro ecclesiastica , quae ut caeteras rationes et experientiae argumentum praetermittam, pro rectore ac duce habet ipsum Christum et Spiritum Sanctum, cuius auspiciis attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, et in corporis sui aedificationem semper agit , non vero in destructionem? (1)

---

(1) Videsis de his omnibus opus celeberrimum Ioan. Antonii Bianchi ord. min. de observantia : *Della potestà e della politica della Chiesa.* — Roma 1745.

FINIS

Tractatus de Ecclesia Christi.

LAUS DEO.

INDEX

SECTIONUM ET LECTIONUM

SECTIO I

Qua Ecclesiae Christi origo seu divina institutio, et quae huic affinia sunt in perspicuo ponuntur.

SECTIO II

Qua interna Ecclesiae Christi natura seu constitutio explicatur.

SECTIO III

Quae proprietatum et notarum Ecclesiae vim rationemque in perspicuo ponit.

SECTIO IV

In qua notarum applicatio instituitur, et earum ope vera Ecclesia detegitur, atque a falsis heterodoxorum omnium sectis discernitur.

SECTIO V

In qua dotes Ecclesiae constituuntur et illustrantur.

FINIS INDICIS.

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE
PER LA REVISIONE DE' LIBRI

Nihil obstat
ANDREAS CAN. FERRIGNI PISONE
Censor Theologus

IMPRIMATUR
IOANNES CAN. GALLO
Deputatus inter.

LEOPOLDUS RUGGIERO
a secretis

CONSIGLIO GENERALE
DI PUBBLICA ISTRUZIONE

IULIUS CAPONE
Reg. Censor

FRANCISCUS XAV. APUZZO
Praesidens inter.

JOSEPH PIETROCOLA
Secretarius